AEGIDII COLUMNAE ROMANI. ... DE REGIMINE PRINCIPUM. LIB...

Egidio : Romano, Girolamo Samaritani

AEGIDII COLVMNAE ROMANI.

ARCHIEPISCOPI BITVRICENSIS
Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini.
S.R.E. Card. Doctoris Fundamentarij.

De Regimine Principum. Lib. III.

PER Fr. HIERONYMVM SAMARITANIVM
Senensem in Sac. Theol. Magistr. summa diligentia nuper
recogniti, & vna cum vita Auctoris in lucem editi.

AD ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.
D. MICHAELEM PERETTVM
PRINCIPEM VENAFRI.



ROMAE, *Apud Bartholomaeum Zannettum*. 1607.

SVPERIORVM PERMISSV.

Nos Fr. Hippolytus Rauennas Ord. S. Augustini Prior Generalis. Harum serie, & vi litterarum, facultatem concedimus Ven. in Christo Dilecto Patri Fr. Magistro Hieronymo Senensi, vt seruatis seruandis possit imprimere Aegidium Romanum Ordinis nostri, De Regimine Principum; & hoc in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Datum Romae die 9. Octobris M D C V I I.

Fr. Hipp. Gen. Indignus.

Imprimatur, si videbitur R. P. M. Sacri Palatij Apostolici. Caesar Fidelis Vicesg.

Imprimatur

Fr. Augustinus Galaminius Sacr. Palatij Apost. Magister, die 3. Octobris, 1607.

ILLVSTR.MO ET EXCELL.MO

D. MICHAELI PERETTO

PRINCIPI VENAFRI.

F. HIERONYMVS SAMARITANIVS Senensis Ord. S. Aug. In Sacra Theol. Magister. S. D.

HABET hoc vitis natura (Princeps amplissime) vt, nisi quidpiam nanciscatur, cuius adminiculo fulta, se extollat, fructusque vberrimos, & iucundissimos proferat, humi sit ei sine vllo cultu, atq; vtilitate serpendum, atq; adeò brutorum ferita- te oppressa, & stirpium obducta situ,

præstantiam, quam ei natura est elargita, nullo modo præseferat. Hoc idem videtur etiam doctissimorum hominum accidere litterarum monumentis. Nisi enim illa viri alicuius Principis nomine, ope, splendore fulciantur, non modo temporis iniuria conficiuntur, & euanescunt, sed etiam maleuolorum improbitate ita extinguuntur, vt nullus ex ijs in posteros fructus existat. Quamobrem quum viderem præclarissimum opus, egregiè olim à præstantissimo viro Aegidio Columna Romano conscriptum, qui ordinem nostrum maxime sua virtute, doctrina, splendore illustrauit, & auxit, iacere tamen vetustate quasi collapsum; non abs re futurum putaui, si illud, iterum typis traditum, quodam modo reuiuisceret, & in pristinam dignitatem alicuius Principis amplitudine quodam quasi adminiculo subleuatum, vindicaretur. Cuius verò potius auctoritas, ac

dignitas opus hoc illustrare potuerit, quam tua, Princeps illustrissime, qui pro virili parte curaueris, vt, quod eo continetur, virtutum tuarum coloribus, non modo adumbraretur leuiter, sed omnino expressum, cæteris etiam ad imitandum proponeres? Quis verò non intelligat tanto te splendore, dignitatisq; celsitudine extolli, quam scilicet è pyri illius cognomine clarissimo, atq; à Sixti V. Pont. Opt. Max. præstantia, & sanctitate percepisti; vt optimi Principis personam, atq; officium in te vno contemplari potuerint vniuersi? Quid dicam, tibi nostram Religionem, quam tuendam, & exornãdam suscepisti, tantum debere, vt hãc perexiguam Ord. nostri vniuersi, & meæ in primis erga te obseruantiæ significationem præterire nullo modo potuerim? Reliquum est, vt pro tua illa perpetua animi benignitate, & munusculum hoc tibi debitum

agnoscas; & Religionem nostram, quæ, plurimis tuis, & Sixti V. beneficijs aucta, tibi plurimum debet, recentibus in dies meritis, ac tuæ liberalitatis fructibus prosequaris. Vale.

AD LECTOREM.

ANIMI vim, atque præstantiam, qui perceperunt, quandam eo contineri naturam confirmarunt, quæ spiritualis est, & immortalis, humano corpori inserta. Et quidem quum ille sit facultatibus innumeris insignitus, illa tamen, vel omnium maxima esse dignoscitur, qua Dei Opt. Max. habet imaginem in se ipso expressam. Hinc fit, vt naturæ suæ viribus vniuersa possit, breui temporis momento, cogitatione complecti, atque acerrima intelligendi ratione recondita quæque perscrutetur, & assequatur. Quin etiam diuina beneficia paululum fidei lumine excitatus, immensam illam Dei Opt. Max. maiesta-

tem, ac celsitudinem naturæ suæ fines egrediens intelligentia potest, ac mente intueri. Quid vero dicam de humana voluntatis libertate, ac facultate, qua Deo bene iuuante res humanas, fluxas, & caducas contemnit, à vitijs abhorret, virtutes prosequitur, & colit, & charitatis ardore inflammatus diuinis perfectionibus impertitur? Etenim is, quum naturam suam minimè deserat, diuinam profectò admittere videtur, quod sane præcipuam quandam dignitatem, quam Deus animo est elargitus, indicare videmus, & comprobare. Verumtamen tanto bono se priuant ij, quorum mens inani humanarum rerum specie, atque illecebris irretita, humi defixa iacet, neque extollitur in sublime, sed fœdissimo inanium curarum ambitu, turpique voluptatum cœno inficitur, & inquinatur. Quorum vero animus altissima iecit fundamenta virtutum, vt diuino splendore collustrati, ad illam ipsam diuinitatem contemplandam se extollere potuissent, atque beatitudine à Deo sibi parata potirentur, non dignitatis obliti suæ; illi profectò inscitiæ tenebras repulserunt, atque omni opera effecerunt, vt tanta sibi dignitas dignitatibus cumularetur. Quid fuit vnquam aduersi, quod eos à suscepto consilio reuocaret? quem laborem sibi, quod incommodum non adeundum putarunt? quas vigilias recusarunt? quæ litterarum studia neglexerunt? Tu id totum Aegidij Columna optime præstitisti. Tu vnà cum

gene-

generis, ortusq; tui splendore præstantiã, virtutemq; hausisti. Quid verò in te ornamenti ex omniũ virtutum fonte non emanauit? Quid scriptis illis tuis innumeris propemodum complexus non fuisti? Testatur id mihi vel in primis libellus hic tuus, in quo tanquam in speculo, non sine maximo fructu, virtus illa tua elucescit, & in alios deriuatur. Etenim quis est, quin, quamquam rerum caducarum studio teneatur, ac blandæ voluptatis illecebris decipiatur, ad rerum tamen diuinarum contemplationem, ad veræ, solidæq; virtutis studium, ad Deum Opt. Max. vt par est, colendum, ac venerandum, illico rapiatur, dum ea legat, quæ sanctissimis referta præceptis, & institutis de regimine Principum, ac de omni virtutum genere scripta reliquit Aegidius? Ego vero, cum huius tam præclari, & Christianæ Rei*publicæ vtilissimi monumenti exemplariorum inopiam viderem, vt communi consulerem bono, Religionisq; nostræ in primis commodo, & ornamento, typis nuper librum tradendum curaui. Quare, quum id, Lector optime, eo nomine præstiterim, vt rationibus tuis, commodisque seruirem, si animum cupis optimis, & præstantissimis institutis informare (id quod omnibus est expetendum) ab huiusce libri lectione, ac studio ne discedas. Est enim ille fluminis cuiusdam vberrimi instar, vnde varij in te sapientiæ riuuli deriuentur. Est ille Solis instar, qui mentis tuæ caliginem suo splendore depel-*

lat, & vniuersa collustret. Vnum te rogo, vt veritatem, innumeris inscitiæ integumentis, erroribusque circumseptam, huius libri comparato præsidio planissimè intuearis. Vale, ac nonnulla alia à tanto viro conscripta, grauiora fortasse, quæ tamen temporum vetustate obliterata iacere videntur, in pristinam dignitatem, vt spero restituta, propediem expecta.

AEGI-

AEGIDII COLVMNAE ROMANI.

DOCTORIS FVNDAMENTARII. VITA.

A Reuerendiss. P. F. Magistro Angelo Rocca Camerte Episc. Tagastensi Ord. S. Aug. alumno, & Sacrarij Pontificij præfecto ex varijs auctoribus collecta.

AEGIDIVS Columnius, ciuis Romanus, Ordinis Eremitarum D. Augustini, iam inde ab infantia optimis moribus imbutus, & vsque ab adolescentia liberalibus artibus eruditus, miro ingenij acumine, tenacissimæq; memoriæ dono præditus, B. Thomæ Aquinatis Auditor, ac Discipulus fuit. Quare in vitæ sanctitate, diuinis scripturis, Philosophiaq; Aristotelica adeò profecit, vt à præceptore suo, viro tanto, suaque illustri familia, nulla ex parte degenerarit. Modestiam

ſtiam cum grauitate, animiq; demiſſionem cum generis claritate ita perbellè cuniunxit, vt nihil admirabilius. In alienis opinionibus confutandis, vt non rarò inter litteratos viros euenire ſolet, nihil eo temperatius, & moderatius. Id quod præſertim ſuis in ſcriptis re ipſa præſtitit. Cum enim ſui præceptoris aliqua opinio non arridet, eam ſupra captum ſuum eſſe ait: & Doctorem ipſum ſuppreſſo nomine, virum magnum; aut præſtantem appellat. Ingrati animi vitium, in quo nihil mali non ineſſe iudicabat, vehementer damnabat. Cuius rei argumentum non vulgare extitit, cum Defenſorium illud pro Magiſtro ſuo lucubrauit. Iuſtitiam non in poſtremis habebat. Hinc illud Ciceronis de Amicitia dictum in ſuum propoſitum non inconcinnè vertebat dicens: Qui iuſtitiam è vita tollunt, Solem ipſum è mundo tollere videntur. Quin ab ijs, qui regunt, incolumi dignitatis, aut officij nomine nullo vnquam pacto eam poſſe diuelli affirmabat. Cæteris virtutibus (vt vno verbo multa complectar) adeò claruit, & vitæ innocentiæ ita effulſit, vt ab omnibus haberetur ſanctus. Quare, cum quædam mulier graui morbo vexata (vt Beatus Iordanus Saxonus ſe referri ſenſiſſe teſtatur) ad eum tanquam Pontificali gloria fulgentem acceſſiſſet, ſui corporis valetudinem efflagitans, priſtinam valetudinem recuperauit ad hæc Aegidij verba: *Vade bona mulier: & fiat tibi*

B. Iordanus de vita fratrũ lib. 2. cap. 22.

tibi secundum fidem tuam. Nec mirum quidem. *Omnia enim possibilia sunt credenti: & gloriosus Deus in sanctis suis.* Hac vitæ sanctitate omnibus gratus erat, & maxima auctoritate pollebat: & cum adhuc in iuuentute esset, innocentiæ, & doctrinæ specimen præseferebat. Hic Parisiorum Lutetiæ, vbi lecturam super sententias splendidissimè gessit, Baccalaureatus gradum adeptus est, & primus in nostra Augustiniana familia Magistratus, seu Doctoratus insignia suscepit: & Parisiensem Academiam cum multos annos summo omnium applausu rexisset, M C C. X C I I. Prior Generalis nostrę Reip. creatus, tertio post anno abdicauit. Philippo Pulchro Francorum Regi mirum in modum gratus fuit iam inde à prima eius adolescentia, cuius iussu libros De REGIMINE PRINCIPVM conscripsit; mandatoq; eius, cum Rex ipse Pulcher Lutetiam à Rhemensibus sacris regressus, cum sacræ scholæ, vniuersiq; Musæi oratione nouos excipi Reges solemne foret, luculentissimam habuit orationem, sententijs, doctrina, & verborum suauitate refertissimam; quam in Paulo Aemilio de Regum Francorum gestis videre licet. Nec est admiratione dignum, si stylo minus eleganti, aut verbis minus cultis in speculatiuis scientijs vsus fuerit. Consultò enim id fecit, quippe qui eleganter philosophari, aut res speculari diuinas, vt eloquentiæ Principi III. de finibus placet, puerile esse,

non

non ignorabat: &,vt ille alter dicebat: Ornari res ipsa negat, contenta doceri. Adde, quòd Philosophus, aut Theologus intimos rerum sensus explicare non posset, si verborum lenocinijs, vocibusq; elegantioribus studeret, immò in ea ætate, & nostra etiam, in qua penè elingues sumus in latina lingua, stylus ornatus, & à vulgari sermone admodum alienus à paucis intelligeretur, cum res ipsæ ex se ipsis difficiles sint intellectu. Latinam igitur linguam, Rèthorumq, præcepta non mediocriter nouit, vt eius oratio insignis, commentariaq; in Rhetoricam indicant. Doctrina insuper ita excelluit, vt nomen fundamentarij Doctoris non immeritò sit adeptus. Fundamenta enim doctrinæ suæ iecit semper irrefragabilia. In quæstionibus soluendis fuit amplissimus, rerum exquisitor diligentissimus, & nihil ad quæstionem propositam intentatum, aut minus declaratum reliquit. In dicendo, & in rebus enucleandis ita clarus, vt omnis humanæ, & diuinæ sapientiæ ex omnibus Doctoribus scholasticis arcana dilucidasse videatur. Quare in Comitijs Generalibus Anno Domini MCCLXXXVII. Florentiæ habitis hæc à Patribus conscriptis sancita fuerunt.

Quia Venerabilis Magistri nostri Fratris Aegidij doctrina mundum vniuersum illustrat, Definimus, & mandamus inuiolabiliter

ter

ter obseruari, vt opiniones, positiones, & sententias scriptas, & scribendas prædicti Magistri nostri, omnes ordinis nostri lectores, & studentes recipiant, eisdem præbentes assensum; & eius doctrinæ, omni qua poterunt solicitudine, vt & ipsi illuminati alios illuminare possint, sint seduli defensores. *Ex registro ordinis asseruato.*

Et quod mirum est, in tanta scriptorum (vt sic dixerim) congerie, ob irrefragabilia fundamenta, ac tenacissimæ memoriæ donum stupendum in nullo vnquam sibi ipsi est aduersatus, nihilq; reprehensione, aut retractatione dignum pronunciauit. Hunc multi illustres Viri, & docti secuti sunt, & præsertim Magister Iacobus Viterbiensis eiusdem instituti, & Archiepiscopus Neapolitanus. Cum deniq; Lutetiæ Parisiorum, & in alijs Galliæ partibus suum studium consumpsisset, ob singularem vitæ sanctitatem, ac doctrinam gratus omnibus semper fuit. Principibus, & Pontificibus carissimus fuit. Quare à Bonifacio VIII. Pont. Max. (conciliante litteratura, & vitæ integritate) Archiepiscopus Bituricensis Ecclesiæ, & Aquitaniæ Primas consecratus est: Cardinalium quoque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cœtui fuit ascriptus: sed, morte præuentus, minimè diuulgatus. Cum autem naturæ iam concedere, animamq; Creatori suo, à quo abfuit nunquam, reddere sibi debere videretur,

Ca-

Capellam suam, vt vulgo aiunt, hoc est, ornamenta ad cultum diuinum spectantia, Conuentui nostro Romę in Sacello S. Tryphonis, vt sibi licebat, reliquit: Quædam verò alia Conuentui nostro Biturigum: Libros autem, suumq; corpus Conuentui nostro Parisiensi legauit, non immemor huius loci, à quo tot, tantisq; beneficijs fuerat exornatus. Cuius rei fidem, facit versiculus ille, quē cum sermonem ad vniuersitatē haberet protulit inquiens: *Est qui me nutrit, & qui nutritur, alumnus*: declarans, quomodo ipse ab ea olim nutritus fuisset: & ipse doctrinæ suæ pabulo eandem nutriret. Libros quidem innumeros conscripsit, ediditq;. Sed ad nos Cisappenninos hæc tantum scripta peruenerunt.

In Dialecticis.

In artem veterem. Comment.

In libros Priorum. Comment.

In libros Posteriornm *præclarissimus Comment. Cuius gratia* Rex *Anglorum multa ordini in tota Anglia loca construxit.*

In libros Elencorum sophisticorum. Comment.

De medio Demonstractionis oract.

In

In Libros Phisicorum. Comment.
In libros de Generatione, & corrupt. Comment.
In libros de Anima. Comment.
In parua naturalia. Comment.
In librum de causis. Comment.
De Formatione corporis humani. lib.
De Regimine Principum. lib. 3.
De Gratiarum actione ad Bonifacium viij. Pont. Max.
In libros Rhetoricorum Comment.
In libros Ethicorum Politicorum Oeconomicorum comment.
De differentia Ethicorum, Politicorum, & Rhetoricorum Tractatus.
In duodecim libros Metaphysicorum egregia Comment.
In eosdem libros Quæstiones disputabiles.
Theoremata de esse, & essentia.
De erroribus Philosophorum lib.
De primo principio, seu de esse, & essentia. Quæst.
De Intellectu possibili lib.

De pluritate formarum lib. I
Seu de gradibus formarum accidentalium, & in ordine ad Christi opera : & de intentionibus in medio.
De materia cœli, lib.
De Deceptione, *Tractatus.*

In Theologia.

De

De corpore Christi. Theoremata.
De Caractere Tractatus.
De Paradiso, Purgatorio, & Inferno, lib.
De subiecto Theologiæ, tract.
De Articulis fidei lib.
De peccato originali, Tractatus.
De Arca Noe.
De Prædestinatione, & præscientia, lib.
De diuina influentia in Beatos, Tract.
De Cognitionibus Angelorum, lib.
De Motu Angelorum, lib.
De Compositione Angelorum, lib.
De Mensura Angelorum, lib.
De resurrectione quæstiones disputatæ.
Quodlibeta sex.
Compendium Theologiæ.
Contra expositionem Petri Ioannis de Narbona super Apocalips. ex mandato Beatis. Bonifacij viij.
In ius Canonicum de sum. Trinit. & fid. Cathol. C. Firmiter, & C. Damnamus, & super decretalẽ cum Marthæ de Celeb. Missarum expositio.
Expositio super orationem Dominicam, & super salutationem Angelicam.

De

De renunciatione Papæ Tract.

De Ecclesiastica potestate. lib. 3. in uno volumine.

Contra Exemptos lib.

Contra impugnantes S. Thomam. Defensorium.

Contra Hereticos librum, quem terrens fulmen appellauit.

Et hæc ex Abbate Ioanne Tritthemio, Paulo Aemilio: & ex nostris: Ambrosio Coriolano, M. Onuphrio Panuinio, & M. Iordano.

Errata

Primus numerus Paginam, secundus lineam indicat.

22.26.	timen.	timens.
26.18.	indicens.	indecens.
30. 6.	qua.	quia.
41.24	consequẽter.	cõsequũtur.
52. 4.	& non aliter.	& aliter.
52. 9.	proprius.	per prius.
53.17.	in irascibili habent esse.	in irascibili, quia timor, & audacia in irascibili habent esse.
71.12.	obijcere.	abijcere.
92. 3.	alijs.	alij.
132.33.	conseruetur.	conuersetur
147.23.	per quis.	per quas.
156.22.	passiones.	passione.
162.26.	odit.	odire.
167.26.	quod decet.	ꝙ nõ decet.
172.32.	est.	cum.
192.12.	dicet.	decet.
193. 4.	regnatur.	reguntur.
206.33.	despectatores.	despectores.
209.25.	assequuntur.	assequitur.
219. 1.	Dubitare.	Dubitaret.
255.15.	vitur.	videtur.
284. 3.	cuius.	citius.
320.10.	causa.	causat.
330.16.	deliquere.	delinquere.
354.15.	præparc.	præparare.
355.29.	obtenebatur.	obtenebratur.
357.14.	decidi.	decipi.
403. 2.	vicio.	vici.
407. 2.	alienos.	aliquos.
461.vlt.	patare.	putare.
464.13.	citatur.	dicatur.
504.vlt.	non.	nam.
510.14.	quasi.	quare.
566. 8.	habere.	horrere.
570. 3.	stna.	vna.
581. 5.	exercitur.	exercitus.
609.21.	viduat.	videat.
612.23.	accendant.	accedant.

D. AEGIDII ROMANI Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, De regimine Principum Liber primus. Ubi tractatur de regimine sui.

EX Regia, ac sanctissima prosapia oriundo suo Domino speciali Domino Philippo primogenito, & hæredi præclarissimi viri Domini Philippi Dei gratia Illustrissimi Regis Francorum, Suus deuotus Fr. Aegidius Romanus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, cum recommendatione seipsum, & ad omnia famulatum. Clamat Politicorum sententia, omnes principatus non esse æqualiter diuturnos, nec æquali periodo singula regimina mensurari: sed aliqua sunt annualia, aliqua ad vitam, aliqua verò per hæreditatem & successionem in filijs, quæ quodammodo perpetua iudicantur. Cum igitur, nullum violentum esse perpetuum, ferè omnia naturalia protestentur, qui in se, & in suis posterioribus filijs suum principatum perpetuari desiderat, summopere studere debet, vt sit suum regimen naturale. Nunquam autem naturalis quis rector efficitur, si passione, aut voluntate cupiat principari, sed si custos iusti existens absq; ratione, & lege nihil statuat imperandum. Nam (vt testatur Philosophus) sicut est naturaliter seruus, qui pollens viribus, deficit intellectu: sic vigens mentis industria, & regitiua prudentia, naturaliter dominatur. Quare si vestra generositas gloriosa me amicabiliter requisiuit, vt de eruditione Principum, siue de regimine Regum quen-

1. cæ. t. 15.

1. Pol. c. 3.

quendam librum componerem, quatenus gubernatione regni secundum rationem, & legem diligentius circumspecta polleretis regimine naturali, vt apparet ad liquidum, non instinctu humano, sed potius diuino, huiusmodi petitio postulatur. Videtur enim Deus omnipotens, in cuius foemore scribitur, dominus dominantium & rex regum, vestræ domus sanctissimæ curam gerere specialem: cum vestram pudicam, ac venerabilem infantiam inclinauit, vt sequens suorum patrum, ac prædecessorum vestigia, in quibus peramplius & perfectius viget & viguit zelus fidei & religio christiana, non passione & voluntate, sed lege & intellectu regulas regni iustissimas cupiat præseruare. Hac igitur requisitione laudabili & honesta, quam mihi reputo in præceptum, necnon & suffragante bono gentis & communi, quod est diuinius quam bonum aliquod singulare, irrecusabiliter inclinatus (auxiliante altissimo) delectabiliter opus aggrediar, vt vestra reuerenda nobilitas requisiuit.

Quis modus procedendi in regimine Principum. Cap. I.

OPORTET vt latitudo sermonis in vnaquaq. re sit secundum exigentiam illius rei, & non magis neq. minus, vt vult Philosophus 7. Metaph. Si ergo de regimine Principum, siue Regum intendimus artem, & notitiam tradere, vt non fiant vlteriores sermones quam præsens opus requirat, primò videndum est, Quis sit modus procedendi in hac arte. Sciendum ergo, quod in toto morali negotio modus procedendi secundum Philosophum est figuralis & grossus: oportet enim in talibus typo & figuraliter pertransire, quia gesta moralia completè sub narratione non cadunt. Possumus autem triplici via venari, quod modum procedêdi in hac scientia oportet esse figuralem & grossum.

7. Met. tex. 15.

1. Eth. cap. 3.

Prima via sumitur ex parte materiæ, circa quam versatur huiusmodi ars. Secunda ex parte finis, qui intenditur in hac arte. Tertia, ex parte auditoris, qui erudiendus est per talem artem. Prima via sic patet. Cum enim doctrina de regimine Principum sit de actibus humanis, & cōprehendatur sub morali negocio, quia materia moralis (vt dictum est) non patitur perscrutationem subtilem, sed est de negocijs singularibus: quæ (vt declarari habet 2. Ethicorum) propter sui variabilitatem, magnam in- *2. Eth.*
certitudinem habent. Quia ergo sic est, ipsa acta singula- *cap. 2.*
ria, quæ sunt materia huius operis, ostendunt incedēdum esse figuraliter & typo. Hanc autem rationem videtur tangere Philosophus 1. Ethicorum, cum ait, quod dicetur *1. Eth.*
sufficienter de morali negocio, si manifestatio fiat secun- *cap. 3.*
dum subiectam materiam. Vnde subdit, quod disciplinati est, intantum certitudinem inquirere secundum vnumquodq. genus, inquātum natura rei recipit. Videtur enim natura rei moralis omnino esse opposita negocio mathematico. Nam demonstrationes mathematicæ sunt certæ in primo gradu certitudinis, vt ait Coment. 2. Met. ratio- *2. Met.*
nes verò morales sunt superficiales & grossæ. Geometræ *com. 16.*
igitur est non persuadere, sed demonstrare: Rhetoris verò, & Politici, non est demōstrare, sed persuadere. Propter quod 1. Ethicor. scribitur, quod per peccatum est, mathe- *1. Eth.*
maticum persuadētem acceptare, & rhetoricum demon *cap. 3.*
strationes expetere. Secunda via sumitur ex parte finis, qui intenditur in hac arte. Nam (vt scribitur 2. Ethic.) *2. Eth.*
opus morale suscipimus non contemplationis gratia, ne- *cap. 2.*
que vt sciamus, sed vt boni fiamus. Finis ergo intentus in hac scientia, non est sui negocij cognitio, sed opus: nec est veritas, sed bonum. Cum ergo rationes subtiles magis illuminent intellectum, superficiales verò & grossæ magis moueant & inflamment affectum; in scientijs speculatiuis, vbi principaliter quæritur illuminatio intellectus, procedendum est demonstratiuè & subtiliter in negocio

morali, vbi quæritur rectitudo voluntatis, & vt boni fiamus, procedendum est persuasiuè & figuraliter. Vnde 1. Ethicorum scribitur, morale negocium amabile de talibus & ex talibus dicentes, & de iis quæ sunt vt frequentius, grossæ & figuraliter veritatem ostendere. Tertia via sumitur ex parte auditoris, qui erudiendus in hac arte. Nam licet intitulatus sit hic liber de eruditione Principũ, totus tamen populus erudiendus est per ipsum Quamuis enim non quilibet possit esse Rex vel Princeps: quilibet tamen summopere studere debet, vt talis sit, quod dignus sit regere & principari, quod esse non potest, nisi sciantur, & obseruentur, quæ in hoc opere sunt dicenda, totus ergo populus auditor quodammodo est huius artis, sed pauci sunt vigentes acumine intellectus, propter quod dicitur 3. Rhetoricorum, quod quanto maior est populus, remotior est intellectus. auditor ergo moralis negocij est simplex & grossus, vt ostẽdit in 1. Rhetoricorum. Cum igitur totus populus subtilia comprehendere non possit, incedendum est in morali negocio figuraliter & grosse. Immo quia (secundum Philosophum in Politicis) quæ oportet dominum scire præcipere, hæc oportet subditum scire facere: si per hunc librum instruuntur Principes, quomodo debeant se habere, & qualiter debeant suis subditis imperare, oportet doctrinam hanc extendere vsque ad populum, vt sciat qualiter debeat suis Principibus obedire. Et quia hoc fieri non potest (vt tactum est) nisi per rationes superficiales & sensibiles: oportet modum procedendi in hoc opere, esse grossum & figuralem.

[Margin: 1. Eth. cap. 3. — 3. Rhet. — 1. Rhet. — 1. Pol. c. 4. & 3. Pol. cap. 3.]

Quis sit ordo dicendorum. Cap. II.

CVm omnis doctrina & omnis disciplina ex præexistenti fiat cognitione, vt dicitur 1. Posteriorum, bene se habet narrare ordinem dicẽdorum, vt de ipsis quædam præcognitio habeatur. Hac enim præcognitione

[Margin: 1. Post. tex. 1.]

præhabita, intellectus dicendorum facilius capietur. Sciendum ergo, quod hunc totalem librum intendimus in tres partiales libros diuidere. In quorum primo ostendetur, quomodo quilibet homo seipsum regere debeat. In secundo verò manifestabitur, quomodo debeat suam familiam gubernare. In tertio autem declarabitur, quomodo præesse debeat ciuitati, & regno. Primo ergo libro deseruiet Ethica siue Monastica. Secundo Oeconomica. Tertio Politica. Est autem hic ordo, rationalis, & naturalis. Rationalis quidem, quoniam ea, quæ sunt ad alterum, sumunt originem ex ijs quæ sunt ad nos ipsos. vnde 9. Ethic. scribitur, quod amicabilia quæ sunt ad amicos, videntur venisse ex ijs, quæ sunt ad seipsum. *9. Eth. cap. 12.* Ille enim amicus esse videtur, qui sic se habet ad amicum cui amicatur, vt ad seipsum. Quod ergo dictum est de amicabilitate, veritatem habet de ipsa industria regiatiua: qui enim industris esse vult vt alios regat, debet industris esse vt seipsum gubernet: quare rationabile est, vt prius determinetur de regimine sui, quam de regimine familiæ, siue regni. Est etiam hic ordo non solum rationalis, sed etiam naturalis. Natura enim semper ex imperfecto ad perfectum procedit; vt prius est quis naturaliter imperfectus & puer, quam perfectus & vir. In ipsis etiam speculabilibus ordine naturali semper ex imperfecto ad perfectum procedimus, vt prius quis habeat scientiam, & cognitionem imperfectam, & postea habeat eam perfectiorem: & sic dando se speculationi, continue in scientiā perficitur, donec secundū modum sibi possibilem habeat perfectam notitiam. Quod ergo secundum naturalem ordinem dictum est de speculabilibus, veritatem habet de ipsis operabilibus. Nam sicut in speculabilibus cognitio imperfecta naturaliter præcedit perfectam: sic in operabilibus perfectam industriam præcedit astutia imperfecta. Cum ergo non requiratur tanta industria ad regendum seipsum, quanta requiritur in gubernatione familiæ: nec

requiratur tanta prudentia in regimine familiæ, quanta in gubernatione ciuitatis & regni: ordine naturali decet regiam maiestatem primò scire se ipsum regere, secundò scire suam familiam gubernare, tertiò scire regere regnum, & ciuitatem. In primo autem libro in quo agetur de regimine sui, sunt quatuor declarāda. Nam Primò ostendetur in quo regia maiestas debeat suum finem, & suam felicitatem ponere. Secundo quas virtutes debeat habere, tertio quas passiones debeat sequi. Quarto quos mores debeat imitari. Nam cùm bene viuere, & bene regere seipsum, esse non possit, nisi quis se det bonis actibus, & bonis operibus regulatis ordine rationis: volēs tractare de regimine sui, oportet ipsum notitiam tradere de omnibus his quæ diuersificant mores & actiones. Inde est

2. Eth. cap. 2. ergo, quod vult Philosophus 2. Ethic. proficuum esse morali negocio, scrutari ea quæ sunt circa operationes, quomodo faciendum sit eas. Operationes autem nostræ ex quatuor (quantum ad præsens spectat) videntur oriri, & diuersificari; videlicet, ex finibus, habitibus, passionibus, & moribus. Nam cum finis sit operationum nostrarum principium, secundum quod quis sibi alium & alium finem præstituit, alia & alia operatur. Ad sciendum ergo quæ operari debemus, maxime proficuum esse videtur, quem finem nobis præstituere debeamus. Rursus quia (vt dici-

2. Eth. cap. 3. tur 2. Ethicorum) signum generati habitus, est delectationem, & tristitiam fieri in opere, secundum quod alios & alios habitus habemus, in alijs, & alijs actibus delectamur; Tertio diuersificantur actiones, & opera non solum ex finibus vel ex habitibus, sed etiam ex passionibus. Nā aliter, & aliter passionati, aliter, & aliter operantur. Videmus enim quòd quia timor, & desperatio nō sunt eadem passio cum spe, timentes, & desperantes de victoria, turpiter agunt, & dimittunt aciem, & fugiunt de bello: sperantes autem se vincere, inuadunt bellantes, & aggrediuntur hostes. Quod ergo dictum est de spe, & timore, intelli-

gendum est de alijs passionibus: singulæ enim affectiones & passiones aliquam inclinationem in nobis efficiunt, vt alia, & alia opera faciamus. Quarto etiam ipsi mores opera diuersificare videntur. Nam habentes mores senum, aliter operantur, quam habentes mores iuuenum. Senes enim (vt suo loco ostendetur) sunt naturaliter increduli, & auari: iuuenes vero sunt naturaliter liberales, & creditiui. Videntur autem hæc quatuor habere aliquam analogiam adinuecem. Nam ex alijs, & alijs motibus, habēt esse aliæ, & aliæ passiones: ex alijs, & alijs passionibus, consurgunt alij, & alij habitus: ex alijs, & alijs habitibus, præstituuntur alij, & alij fines. Sicut enim diuersi sunt mores iuuenum & senum, sic aliæ affectiones, & passiones sunt in vtrisq. Et sicut bonorum, & malorum sunt diuersæ affectiones, sic diuersi sunt habitus vtrorumq;. Rursus ex alijs, & alijs habitibus, præstituimus nobis alios & alios fines. Nam (vt dicitur 3. Ethic.) qualis vnusquisq; est, talis finis sibi videtur: vt in intemperato videtur quod totus finis, & magna felicitas, sit vti venereis voluptatibus: sicut etiam habentes alios habitus inclinantur, vt finem sibi præstituant conformem suo habitui. In primo ergo libro de omnibus his quatuor tractabimus, videlicet, de fine, siue de felicitate Principum, de eorum virtutibus, & de ipsorum passionibus, & moribus. Primo tamen dicemus de ipso fine siue de ipsa felicitate: quia finis respectu agendorum, est principalius principium, quam aliquod aliorum.

3. Eth. cap. 2. & 10.

Quanta sit vtilitas in dicendis. Cap. III.

QVoniam (vt dictum est) opus istud suscepimus gratia eruditionis Principum: cum nunquam quis plene erudiatur, nisi sit beniuolus, docilis, & attentus: postquā in primo capiculo reddidimus regiam maiestatem beniuolam, ostendendo, quæ dicenda sunt, nos esse faciliter

tractaturos: & in secundo reddidimus eam docilem, narrando ordinem dicendorum: restat vt in hoc capitulo tertio reddamus eam attentam, declarando quanta sit vtilitas in dicendis. Nam quia communiter homines odiunt sermonem perscrutatum, vt plurimum auditores sunt beniuoli proferentibus sermones faciles, & superficiales. Quod si in alijs scientijs hoc est corruptio appetitus, in morali tamen negocio, vbi modus rei requirit traditioné figuralem & grossam, non est corruptio appetitus, sed magis est ordo rectus & debitus. In huiusmodi ergo arte ex facilitate tradendi redditur auditor beniuolus: sed ex ordine dicendorum redditur docilis; nam quis maxime efficitur docilis idest habilis ad capiẽdum doctrinam, si ei dicenda quadam serie, & ordine proponantur. ex vtilitate autem dicẽdorum redditur auditor attentus, nam quilibet attente audit, si sperat se vtilia auditurum. Ex dicendis autem, si rectè cognoscantur, & debite obseruentur, consequitur maiestas regia (quantum ad præsens spectat (quatuor, quæ quilibet maxime amare, & desierare debet. Primo enim lucrabitur maxima bona. Secundò lucrabitur seipsum. Tertiò alios. Quartò consequetur, vt habeat ipsum Deum, & felicitatem æternam. Distinguũtur quidem vno modo ipsa bona: quia quædam sunt bona minima, quædam media, quædam maxima. Minima sunt bona exteriora. Media sunt bona interiora, quæ possunt esse communia bonis, & malis: huiusmodi sunt industria mentis, ingenium naturale, potẽtiæ animæ: his enim bonis etiam ipsi mali participant. Bona vero maxima, sunt bona interiora, quæ mali participare non possunt: cuiusmodi sunt virtutes, quibus (secundum Sanctos, & etiã secundum Philosophos) nemo male vtitur: dicitur enim 1. Rhetor; quod solæ virtutes sunt, quibus non contingit male vti. Alio modo distinguuntur bona, vt patet per Philosophum tam in Magnis moralibus, quam etiam in Ethicis, quia quædam sunt delectabilia, quædam vtilia, quædam

1. Eth. c. 8.

1. Rhet. cap. 1. circa finem.

dam honesta. Bona autem honesta, sunt bona per excellentiam: nam in his bonis (secundum ipsum) includuntur bona delectabilia, & vtilia. Bona enim, si honesta sint, habent in se magnam delectationem, & includunt bonitatem vtilium bonorum. Cum ergo in hoc libro intendatur, quomodo maiestas regia fiat virtuosa, & quomodo eos, quos habet regere, inducat ad honestatem & virtutem: maxima est vtilitas in dicendis, quia, eis obseruatis, habebuntur bona maxima, & honesta. Secũdo est maxima vtilitas in dicendis; quia ex eis non solum quis lucrabitur maxima bona, sed etiam lucrabitur seipsum. Est enim morale negocium (vt plures tactum est) vt boni fiamus: bonus autem vir seipsum habet, malus autem seipso caret. Sic enim imaginari debemus, quia sicut in ciuitate, & in regno plures ordinantur ad vnum ducem, & ad vnum regem, sic in vno & eodem homine potentiæ quæ sunt rationales per participationem, ordinantur ad intellectum qui est rationalis per essentiam: sicut ergo rex non dicitur habere regnum, nec dux dicitur habere ciuitatem, si in regno vel ciuitate sunt aliqui, qui nõ obediant regi, vel duci: sic homo aliquis singularis dicitur non habere seipsum, si appetitus dissentiat rationi, & si rationale per participationem non obediat rationali per essentiam: homo enim (secundum Philosophum 9 Ethi.) maxime est intellectus & ratio: quando ergo ratio non dominatur ijs quæ sunt in homine, homo non dominatur sibi ipsi, nec regit seipsum, nec proprie seipsum habet: imo vnum vult ratione, & aliud agit passione tractus & inclinatus quare si malus homo non habet seipsum, sed bonus, per hoc negocium, quod est vt boni fiamus, homo seipsum lucratur. Tertiò lucratur alios: nam ex hoc quod aliquis recte regit seipsum, dignus est, vt efficiatur rector, & dominus aliorum. Nam vigens prudentia, & alijs virtutibus moralibus, de quibus in hoc libro tractabitur, dignus est principari, quod si hac careat, dato quod per ci- *9. Eth.*

milem

uilem potentiam principetur, magis tamen eſt dignus ſubijci quam principari, & magis eſt naturaliter ſeruus quam dominus. Quartò obſeruatis his, quorum in hoc libro trademus notitiam, conſequemur vt habeamus Deũ ipſum, & felicitatem æternam. Eſt enim Deus ipſe, eſſentia vnitatis & bonitatis, quia eſt maxime vnus, & maxime bonus. quanto ergo quis appropinquat plus ad vnitatem & bonitatem, tanto eſt cõformior primo principio, & perfectius habet ipſum Deus. Mali autem homines minime ſunt vniti: totum enim regnum eorũ eſt diſperſum. Regnum enim cuiuslibet hominis, eſt ex eo quod potentiæ animæ reguntur per rationem, & intellectum, quando igitur aliud dictat ratio, aliud ſequitur appetitus (quod contingit in habentibus animam peruerſam,) tũc homo non eſt vnitus, ſed in ſeipſo diſſenſionem habet, propter quod difformis eſt à primo Principio. Sed pollentes virtutibus, & abundantes in bonis honeſtis, quia conſequuntur regulam rationis, & conſequuntur bona ſimpliciter, non bona ſecundum ſenſus, in ſeipſis habent vnitatem, & bonitatem: propter quod conformantur primo Principio, & in ſeipſis ipſum Deũ habere dicuntur. Tanta igitur eſt vtilitas in dicendis, quod, eis obſeruatis, lucrabimur maxima bona, nos ipſos, & etiam alios: & habebimus ipſum Deum, & per conſequens felicitatem æternã. Verum quia ea, quorum trademus notitiam, abſq; diuina gratia obſeruari non poſſunt, decet quemlibet hominem, & maxime regiam maieſtatem implorare diuinam gratiam. Nam quanto maieſtas regia in loco altiori conſiſtit, tãto magis indiget diuina gratia, vt poſſit virtutũ opera exercere, & ſibi ſubditos valere inducere ad virtutem.

Quot ſunt modi viuendi, & quomodo in eis felicitas habet eſſe. Cap. IIII.

PRæmiſſis quibuſdam præambulis neceſſarijs ad propoſitum, quia reſpectu ſequentis operis ex facilitate mo-

te modi tradendi reddidimus regiã maiestatem beniuolam, ex ordine dicendorum reddidimus eam docilem, ex vtilitate reperta in eis reddidimus ipsam attentam, restat dicere seriatim quæ in hoc opere sunt dicenda. Verum quia finis est principium agibiliũ principalius, quam aliquod aliorum, vt dicebatur supra, ideo à fine & felicitate inchoandum est. Cum ergo secundum diuersos modos viuendi diuersi diuersimode sibi finem præstituant, narrandi sunt modi viuendi, & ostendendum est, quomodo in eis felicitas est ponenda. Distinxerunt autem Philosophi (vt patet ex 1. Ethic.) triplicem vitam, videlicet, voluptuosam, politicam, & contemplatiuam. videbant enim hominem esse medium inter superiora, & inferiora: est autẽ homo naturaliter medius inter bruta quibus est superior, & substantias separatas (quas communi nomine vocamus angelos) quibus est inferior. Tripliciter igitur poterit considerari homo: Primo vt communicat cum brutis: Secundo vt est aliquid in se: Tertio vt participat cum angelis, siue cum substantijs separatis. Secũdum has tres considerationes sumptæ sunt à Philosophis prædictæ tres vitæ voluerunt enim quod homini vt communicat cum brutis, competit vita voluptuosa; vt est aliquid in seipso, vita politica: sed vt participat cum substãtijs separatis, competit ei vita contemplatiua. Quilibet ergo vel viuit vt bestia, vel viuit vt homo, vel viuit vt angelus. nam secundum vitam voluptuosam, viuit vt bestia: secundum ciuilem, viuit vt homo: secundum contemplatiuã, vt angelus. Distinxerunt ergo has tres vitas, siue hos tres modos viuendi: non tamen posuerunt, nisi duplicem felicitatem: nam in vita voluptuosa negauerunt esse felicitatem, quod & Theologi negant: posuerunt enim felicitatẽ politicam, & contemplatiuam: vt dicatur quis felix politice; quando est felix vt homo, habendo in se prudentiam, quæ est recta ratio agibilium: dicatur felix contemplatiue, quando est supra hominem, & quando est felix non

1. Eth. cap. 5.

solum

solum vt homo, sed vt est in eo aliquid diuinum, & aliquid melius homine. perfectũ igitur in agibilibus, vocabant felicem politice: sed perfectum in speculabilibus vocabant felicem contemplatiue, & appellabant ipsum, nõ hominem, sed homine meliorem. nam agere & communicare in actionibus cum alijs, cõpetit homini vt homo est: sed speculari & cognoscere veritatem, competit ei vt est in eo intellectus speculatiuus; qui est aliquid diuinũ, & secundum quem communicamus cum Deo, & cum
1. Polit. cap. 2. substantijs separatis. Vnde ex 1. Politicorum patet, quod quilibet vel est homo, vel est homine peior, & tunc est bestia: vel est homine melior, & tunc est quid diuinum & semideus. Si autem est homo, quia homo (vt ibi probatur) est naturaliter animal sociale, ciuile, & politicum, sequitur quod regatur secundum prudentiam, & viuat vita politica. Si autem est bestia, & homine peior, tunc non regitur ratione, & prudentia, sed regitur passione, & viuit vita voluptuosa. Sed si sit diuinus, & homine melior, tunc speculatur per sapientiam, & viuit vita contemplatiua. Tanta est ergo differentia inter prudentẽ in agibilibus, & perfectum in speculabilibus, quanta est inter viuentem vita humana & politica, & viuentem uita contemplatiua & angelica. Dediti enim operabilibus, propter diuersitatem negociorum emergentium, turbantur erga plurima, & vt plurimum isti sentiunt passiones carnis: dediti verò speculabilibus, quodammodo ab his passionibus sũt abstracti. Et quia viuere in carne, & non secundum carnem, est magis angelicum quam humanum, felicem vita contemplatiua volunt Philosophi appellare, non felicem politice & vt hominem, sed vt communicat cum substantijs separatis. Sapientes igitur, & viri speculatiui, sunt maxime honorandi, quia sunt supra hominem collocati. Sic ergo de modis viuendi, & de felicitatibus repertis in ipsis, Philosophi distinxerunt: non tamen ad plenum, & per omnem modum potuerunt attingere veritatem. Nam licet

cet vere dixerunt quod in vita voluptuosa non est quærenda felicitas, vt infra clarius ostendetur: de vita tamen politica, quam Theologi vocant vitam actiuam, & de vita contemplatiua non vsquequaq; vera senserunt: crediderunt enim, quod ex puris naturalibus absque alio auxilio gratiæ posset quis omnia peccata euitare, & perfectè viuere secundum vitam actiuam, vel contemplatiuam: quod falsum est. Nam (vt supra tangebatur) omnibus volétibus viuere recte, necessaria est diuina gratia, & maxime necessaria est Legibus, & Rectoribus aliorum. Posuerunt etiam vitam contemplatiuam esse in pura speculatione. quod est falsum. Nunquam enim quis in tali vita perficitur, nisi sit in eo amor Dei, siue dilectio charitatis. In his ergo non bene senserunt. Quod autem vitam contemplatiuam dixerint esse potiorem, quam vitam politicam & actiuam, à Theologis & à veritate catholica non discordant. His peractis, dicamus, quod decet regiã maiestatem hos modos viuendi cognoscere, & vitam voluptuosam fugere, ne sit homine peior: nam tales (vt dicitur 1. Ethicorum) sunt vitam pecudum eligentes. Vitam autem actiuam & contemplatiuam in se habere debet, vt per vitam actiuam vacet alijs, magnifica faciendo, sibi subditos recte regendo. Per vitam contemplatiuã vacet sibi per internam deuotionem & Dei dilectionem, in Dei amore proficiendo: non enim vitam contemplatiuam ponimus in pura speculatione, vt Philosophi sentiebant. Vnde si in speculatione diuinorum vita contemplatiua consistit, hoc est, prout ex tali speculatione intenditur interna deuotio, & diuinus amor. Hanc autem internam deuotionem tanto magis decet habere reges & principes; quanto apud tribunal summi Iudicis reddituri sunt de pluribus rationem.

1. Eth. cap. 5.

1. Eth.

Quod

Quod maxime expedit regiæ maiestati suum finem & suam felicitatem agnoscere. Cap. V.

EST autem diligenter notandum, quod sicut materia per debitas transmutationes consequitur suam perfectionem & formã, sic homo per rectas & debitas operationes consequitur suam perfectionem & felicitatem. Cum ergo nunquam contingat recte agere, vt requirit consecutio finis, ignorato ipso fine, expedit volenti consequi suum finem, vel suam felicitatem, habere præcognitionem ipsius finis. Possumus autem dicere quod (vt ad præsens spectat) duplici via venari possumus, quod expedit regi suum finem cognoscere. Prima est, inquãtum per sua opera cooperatur, vt sic finis consecutiuus. Secunda vero, inquantum est aliorum directiuus. Prima via sic patet: nam ad hoc quod aliquis per suas operationes finem consequatur, tria requiruntur. Primo, quod agat bene. Secundo, quod ex electione. Tertio, quod agat delectabiliter. Si enim non ageret bene sed male, non consequeretur finem, sed contrarium finis: nam finis vt dicitur
2. Physic. non solum dicit quid vltimum, sed etiam quid optimum. propter 2. Meta. innuit Philosophus, quod finis & bonum idem: & qui tollit finem, tollit omne bonum. Quare si male agentes digni sunt vt mala consequantur; quia malum contrariatur bono, per consequens contrariatur fini, male agentes (secundum quod huiusmodi) digni sunt, non vt consequantur finem, sed contrarium finis. Immo non solum male agentes non consequuntur finem, sed potentes bene agere, nisi bene agant, non debetur eis corona, nec debetur eis finis, vel felicitas. Vnde Philosophus 1. Ethic. ait, quod in Olimpidiadibus, idest in illis bellis & agonibus non coronãtur fortissimi, sed agonizantes: qui enim fortissimi sunt, potentes agonizare, attamen

2. Phys. tex. 31.
2. Met. cap. 7. tex. 8.
post f. c. de Oppo.
cap. 8.

tamen si non actu agonizant, non debetur eis corona. oportet igitur actu bene agere, vt per opera nostra mereamur consequi finem, vel felicitatem. Secundo requiritur quod ex electione agamus. nam qui casu vel fortuitu bene agit, ex hoc non est laudandus, nec debetur ei ex hoc finis vel felicitas: nam quæ ex electione non fiunt, non sunt voluntaria. Ex inuoluntarijs autem (vt patet per Philosophum 3. Ethic.) non laudamur nec vituperamur: vnde in eodem 3. dicitur, quod nullus est beatus nisi volens. Sed quæ non agimus ex electione, non agimus volentes: ergo per se loquendo ex talibus operibus (secundum quod huiusmodi sunt) non consequimur beatitudinem, & felicitatem. Immo cum ex operibus virtuosis felicitatem consequamur (quia virtus est habitus electiuus in medietate consistens, vt dicitur 2. Ethic.) oportet operationes, per quas finem consequimur, ex electione procedere. Tertio agere oportet delectabiliter. nam quanto quis in aliquo opere magis delectatur, tãto magis voluntarie & ex habitu efficit opus illud. vnde Philosophus 2. Ethic. vult, quod non sufficit agere bona, sed bene: nec sufficit operari iusta, sed iuste. contigit enim aliquos prauos facere aliqua de genere bonorum, tamen quia non faciunt ea bene & delectabiliter, non oportet per huiusmodi opera eos consequi finem vel felicitatem. Cum ergo ista tria contingunt, quod agamus bona, ex electione, & delectabiliter, maxime contingit nos sic finem consequi. hæc autem maxime contingunt, cognito fine. expedit ergo (vt finem consequamur) finem præcognoscere. Sic enim imaginari debemus, quod sicut est in causis efficientibus, quod agentia secunda mouent in virtute agentis primi: sic fines secundarij mouent in virtute finis vltimi. propter quod sicut si non esset agens primum, nullum agens ageret: sic si non esset finis vltimus, & si nõ apprehenderemus aliquid, vt bonum vltimatum quod voluntatem moueret, nullum aliud bonum voluntatem mouere

3. Eth. cap. 1. cap. 5.

2. Eth. cap. 8.

2. Eth. cap. 3.

mouere posset; quicquid enim vult voluntas, vult in ordine ad aliquod quod vult finaliter & vltimate: non apprehenso ergo aliquo sub ratione finis, non contingit nos bene agere: quia hoc posito cessat omnis humana actio. vt ergo agamus, oportet nobis præstituere aliquem finem: sed vt bene agamus, oportet nobis præstituere finem bonum & debitum: quia ex fine opera nostra speciem sumunt: non enim esse posset quod esset bonum opus, si ordinaretur in malum finem: præcognitio ergo finis requiritur, vt bene agamus. Secundo talis præcognitio requiritur, vt ex electione agamus. nam sicut sagittantes non videntes signum, si signum percutiant, hoc est casu & fortuitu: sic non præcognoscentes finem, si bene agant, & finem consequatur, hoc non est ex electione, sed à fortuna.
1. Eth. cap. 2. vnde Philosophus 1. Ethicor. volens ostendere necessariá esse præcognitionem finis, ait, quod cognitio finis ad vitam nostram magnum habet incrementű: consequemur enim ex hoc magis ipsum finem; quemadmodum sagittatores signum habentes, magis vtique adipiscentur id quod oportet. Tertio præcognitio finis non solum facit nos agere bene, & ex electione, sed etiam delectabiliter. nam grauia efficiuntur delectabilia & dulcia, considerata beatitudine, & felicitate, quam ex ipsis consequimur. Cuilibet ergo homini, vt agat bene, ex electione, & delectabiliter, expedit suam felicitatem præcognoscere: sed maxime hoc expedit regiæ maiestati, quia in operibus suis debet intendere bonum gentis & commune, quod est magis expediens & diuinius, quam bonum aliquod singulare. Patet ergo, quod maxime decet regiam maiestatem cognoscere suam felicitatem, vt opera communia, quæ sunt quodammodo diuina, exerceat bene, delectabiliter, & ex electione. Secundo patet hoc idem ex eo quod Rex est aliorum directiuus. nam si sagitta signum non percipit, non tamen propter hoc impeditur quin signum percutiat, quia à sagittante in signum dirigitur.

sicut igitur magis expedit sagittatorem signum percipere quam sagitta, eo quod sit sagittæ director: sic magis expedit regiam maiestatem felicitatem, & finem cognoscere quam populum, eo quod sit populi directiua.

Quòd non deceat regiam maiestatem, suam felicitatem ponere in voluptatibus. *Cap. VI.*

VVlgus communiter non percipit, nisi delectationes sensibiles: & inde est quod communi nomine (vt communiter ponitur) solas delectationes maxime sensibiles, cuiusmodi sunt delectationes, tactus, & gustus, absolute appellamus voluptates, & delectationes, cum tamẽ (simpliciter loquendo) delectationes intelligibiles, & spirituales sine comparatione sint potiores, & excellentiores, quam voluptates sensibiles. In huiusmodi autem voluptatibus sensibilibus non esse felicitatem ponendã, triplici via venari possumus. Quantum enim ad præsens spectat, felicitas tria importare videtur. Felicitas enim dicit perfectum, & per se sufficiens bonum. Nam tunc dicimus aliquem esse felicem, quando assecutus est id, in quo consistit suum perfectum bonum. Vnde Philosophus 1. Ethicorum describens felicitatem, ait, Felicitas est finis operatorum, & perfectum, & per se sufficiens bonum. Ex hoc autem primo sequitur secundum, videlicet, quod felicitas sit aliquid secundum rationem, & vt ratio dictat. Cum enim bona secundum rationem, & secundum intellectum sint bona simpliciter, & perfectè, bona vero secundum sensum sint bona secundum quid, & vt nunc, si felicitas ponitur esse perfectum bonum, oportet quod sit bonum secundum intellectum, & rationem: vel (quòd idem est) oportet quod sit tale bonum, quale recta ratio prosequendi iudicet. Ex his autem sequitur

Eth. 1. cap. 7. & 9.

quitur tertium, videlicet, quod felicitas consistat in bonis animæ, non in bonis corporis. Cum enim corpus ordinetur ad animam, sicut materia ad formam, & sicut imperfectum ad suam perfectionem, bona corporis sunt imperfecta respectu bonorum animæ: propter quod huiusmodi bona non dictat ratio sic prosequenda esse, vt bona animæ. Felicitas igitur, ex quo dicit bonum perfectum, dicit bonum secundum animam, & secundum rationem. Nam in operatione animæ secundum rationē, consistit perfectum bonum humanum, vt declarari habet 1. Ethic. Cum igitur voluptates, & delectationes sensibiles non sint bonum perfectum, nec bonum secundum animam, & secundum rationem, constat in talibus non esse felicitatem ponendam. Quòd autem huiusmodi voluptates, non sint bonum perfectum, & sufficiens, de leui patet. Nā quod sic bonum est, satiat appetitū: huiusmodi autem voluptates appetitum satiare non possunt, vt in seipso quilibet experiri potest. vnde Philosophus 3. Ethi. loquens de talibus delectationibus ait, quod insatiabilis est delectabilis appetitus. Secundo in talibus non est ponenda felicitas, quia non sunt bona secundum rationem, sed magis sunt bona secundum sensum, bona enim secundum rationem quanto maiora sunt, tanto magis reddunt rationem liberam, & expeditam. Nam quod secundum rationem existit, inconueniens est quod rationem impediat: sed huiusmodi delectationes sensibiles si vehementes sint, rationem obnubilant, iuxta illud 3. Ethicorum, Si tales delectationes magnæ, & vehementes sint, cognitionem idest rationem percutiunt. Tertiò non est ponenda felicitas in voluptatibus sensibilibus, quia talia magis sūt bona corporis, quam animæ. Cum enim corpus ordinetur ad animam, & non econuerso: si felicitas est finale bonum, ad quod bonum alia ordinantur, huiusmodi bonum non est ponendum in voluptatibus sensibilibus, quę sunt bona corporis, sed magis in operibus virtutum,

[Margin notes: Eth. 1. cap. 13. — 3. Eth. cap. 12. & 1. Po. c. 6. — Eth. 3. c. 12.]

quæ

quæ sunt bona animæ. Possumus enim dicere, quod licet sint delectationes aliquæ licitæ, & honestæ, eo quod ipsa opera virtutum Homini bono, & virtuoso magnam delectationem faciant: nulla tamen delectatio est essentialiter ipsa felicitas, licet possit esse aliquid felicitatem cõsequẽs, sed hoc declarare non est præsentis negocij. Forte tamen de hoc aliquid infra dicetur. Ad præsens autem scire sufficiat, quod non decet aliquem hominem suam felicitatem ponere in delectationibus sensibilibus. Est ergo detestabile cuilibet Homini ponere suam felicitatem in voluptatibus: sed maxime hoc est detestabile Regiæ maiestati; quod etiã triplici via venari possumus. Primo enim talia sunt detestabilia Regi, quia ipsum maxime deprimunt. Secundo, quia eum contemptibilem reddũt. Tertio, quia esse ipsum indignum principari faciunt. Dicebatur enim supra, quod in vita voluptuosa cõuenimus cum brutis, & desiderantes sic viuere sunt vitam pecudũ eligentes: quanto ergo quis in altiori gradu existit, tanto per hanc vitam magis deprimit. Dictum est enim quod decet Principem esse supra Hominem, & totaliter diuinum. Nam (vt dicitur 5. Politicorum principatus debet respondere magnitudini, & dignitati, vt quanto quis maior Princeps existit, tanto alios magis excellere debet in dignitate vitæ, & magnitudine bonitatis. In tanto ergo gradu existens, indignum est, vt vitam pecudum eligat, quia per eam valde deprimitur. Secundo hoc est detestabile Regi, quia seipsum contemptibilem reddit. vnde Philosophus 5. Politicorum ait, quod maxime expedit Principibus, esse moderatos in delectationibus corporibus. Innuit enim ipse ibidem quod dantes se delectationibus talibus, sunt similes dormientibus, & ebriis: nam dediti huiusmodi voluptatibus, usum rationis amittunt, sicut dormientes, & ebrij uti ratione non possunt: cum ergo secundum eundem Philosophum non facile sit contemptibilis qui sobrius, sed qui ebrius, nec qui uigil, sed qui

cap. 4.

Polit. 5. cap. 9.

Pol. 5. cap. 9.

dormiēs, decet Regiam maiestatem tales delectationes immoderatas fugere, ne contemptibilis uideatur. Tertio decet Principem talia detestari, ne principari efficiatur indignus, nam nullus eligit Iuuenes in Duces, eo quod nó constet eos esse Prudentes, indignum est enim Puerū principari. Sed (ut dicitur 1. Ethic.) differt autem nihil iuuenis secundum ætatem, aut secundum morem. Sequens enim delectationes sensibiles, dato quod sit Senex tempore, quia est Puer moribus, indignus est principari. Est ergo diligenter notandum, quod sicut non differt esse Puerum ætate, & moribus: sic non refert esse Senem moribus & ætate, propter quod sicut si sit Senex tempore, & Puer moribus, indigne principatur; sic si sit Puer ætatæ, & Senex moribus, dignus est principari. non enim ait Philosophus quod nemo eligat Iuuenes in Duces, eo quod constet ipsos non esse prudentes, sed eo quod non constet eos esse prudentes: quare si constat eos habere mores seniles, & vigere Prudentia, digni sunt principari. Sit ergo conclusio capituli, quod, ne Princeps deprimatur, & ne contemnatur, & ne indignus sit principari, debet immoderatas voluptates despicere.

Eth. 1. cap. 3.

Quòd non decet regiam maiestatem, suam felicitatem ponere in diuitijs. Cap. VII.

Pol. 1. cap. 5. & 6.

PHilosophus 1. Politicor. distinguit duo genera diuitiarum nam secundum ipsum quædam sunt diuitiæ naturales, quædam sunt artificiales. Diuitiæ naturales, quædam sunt artificiales. Diuitiæ naturales dicuntur esse, quæ naturaliter ex rebus naturalibus producuntur, cuiusmodi sunt quæ accipiuntur ex agris, vel ex arboribus, vt frumenta, & vina, vel etiam ex animalibus, & vniuersaliter quæcunq; immediatè ad victum, & vestitum deseruiunt

seruiunt, inter naturales diuitias computantur. Artificiales autem diuitiæ sunt, quæ per artem, & industriam hominum inuentæ, in has naturales diuitias commutantur, cuiusmodi sunt aurum, & argentum, & vniuersaliter omne numisma, quæ immediate indigentias corporales non supplent, sed per commutationem deseruiunt indigentię corporali. Aurum enim, & argentum licet sint naturalia metalla, sunt tamen artificiales diuitiæ. In neutris autem diuitijs est ponenda felicitas. Tangit enim 1. Politicor. tria, propter quæ venari possumus, in artificialibus diuitiis felicitatem non esse ponendam. Primo, quia artificiales diuitiæ ad naturales ordinantur. Secundo, quia talia habent quod sint diuitiæ ex ordinatione hominum. Tertio, quia secundum seipsas indigentiæ non satisfaciunt Dicebatur enim supra, felicitatem esse illud bonum, ad quod alia bona ordinantur. propter quod diuitiæ artificiales eo ipso quod ordinantur ad diuitias naturales, rationē felicitatis habere non possunt. Secundo in talibus non est ponenda felicitas, quia non habent quod sint diuitiæ, nisi ex ordinatione Hominum. Vera enim felicitas nostra est bonum nostrum secundum se, non bonum nostrum ex ordinatione Hominum tantum: numismata autem non habent quod sint diuitiæ nisi ex ordinatione Hominū. Vnde 1. Politicorum dicitur, transmutatis vtentibus, idest transmutata dispositione vtentium, siue transmutato ordine, & dispositione hominum, huiusmodi diuitiæ nullam habēt dignitatem, neque vtilitatem, quod autem tantum auri, vel tot numismata tantum valeant tritici, hoc est, quia numismata reputantur magna in opinione Hominum, & quia sic vult ordo, & dispositio vtentium eis. Tertio in talibus non est ponenda felicitas, quia aurum, & argentum, & omnia numismata non solum animam non satiant, nec sunt perfectum bonum, sed etiam per seipsa non satisfaciunt indigentiæ corporali. potest enim contingere (vt dicitur 1. Politicorum.) quod quis diues pecunia, fame moriatur.

Pol. 1. cap. 6.

cap. 6.

1. Pol. cap. 6.

Polit. 1.

riatur. Recitatur enim ibi de quodam, cuius nomen erat Mida, qui cũ nimis esset auidus auri (vt fabulose dicitur) impetrauit à Deo, vt quicquid tangeret, fieret aurum. Cũ ergo tactus referuetur in singulis partibus corporis, etiam ore nihil tangere poterat, quin conuerteretur in aurum. Erat ergo ei magna copia auri, cum tamen fame periret. Quod esse non posset, si aurum, vel cetera numismata, vere essent diuitiæ, & vere satisfacerẽt indigentiæ corporali. Tum ergo quia numismata sunt diuitiæ in ordine ad aliud, tum quia sunt diuitiæ ex institutione Hominum, tum quia cum sint corporalia, ipsi indigentiæ corporali per se non sufficiunt, in eis nõ est ponenda felicitas. Quòd autem in naturalibus diuitijs, cuiusmodi sunt cibus, & potus, & ea quæ per se indigentiæ corporali satisfaciunt, nõ sit ponenda felicitas. de leui patet. nam cum felicitas sit bonum optimum, in optimo nostro quæri debet. Cum ergo anima sit potior corpore, felicitas non est ponenda in talibus diuitijs, quæ sunt bona corporis, sed (vt superius dicebatur) ponenda est in actibus virtutum, quæ sunt bona animæ. Cuilibet ergo Homini detestabile est ponere suam felicitatem in diuitijs, sed maxime detestabile est regiæ maiestati. Nam si Rex aut Princeps ponat suam felicitatem in diuitijs, tria maxima mala inde consequuntur. Primo, quia amittit maxima bona. Secundo, quia efficitur Tyrannus. Tertio, quia efficitut populi deprędator. Diligẽs enim pecuniam vt finem, & timen pecuniam elargiri, nunquam potest esse magnificus, cuius est facere magnos sumptus: nec etiam potest esse Magnanimus, quia metuẽs pecuniam perdere, nihil magnum attentabit. immo (cum ille sit Magnanimus, cui nihil corporale est magnum, vt vult Philosophus 4. Ethicorum cap. de Magnanimitate) quia in opinione auari, & in opinione ponentis suam felicitatem in diuitijs, diuitiæ sunt quid magnum, impossibile est talem esse Magnanimum. Si ergo Magnificentia, & Magnanimitas sunt maxima bona, & maxime decet regiam

cap. 6.

Eth. 4. cap. 3. De Magnan.

giam

giam maiestatem esse ornatam talibus virtutibus, detestabile est ei suam felicitatem in talibus ponere. Secundo detestabile est Regi, vel Principi suam felicitatem ponere in diuitijs, quia hoc facto Tyrannus efficitur. est enim differentia inter Regem & Tyrānum, vt patebit in 3. lib. cum determinabitur de regimine Regni. nam Rex proprie est, qui intendit bonum Regni, & bonum commune: si autem intendit bonum proprium, hoc est ex consequenti. Tyrannus verò econuerso, principaliter intendit bonum priuatum: si autem intendit bonum publicum, hoc est ex consequenti, vt inquantum ex bono communi euenit ei aliquod bonum proprium. Cum ergo finis maxime diligatur, ponens suam felicitatem in numismate, principaliter intendit reseruare sibi, & congregare pecuniam. nō ergo est Rex, sed Tyrannus, cum nō intendat principaliter bonum publicum, sed priuatum. Tertio hoc posito sequitur quod Rex sit Populi deprædator. nam finis adeò intense diligitur, quod quilibet studet omni via, omni modo, quo potest, consequi finem suum. Ponens igitur suam felicitatem in diuitijs, non erit sibi curæ, si opprimat viduas, & pupillos, si deprædetur Populum & Rem publicam, dum tamen possit pecuniam congregare, qui enim bene intelligit, quid importatur nomine finis, non potest eum latere quemlibet, omni via qua potest, velle consequi suum finem. est igitur Rex Tyrannus, si sic vult esse Dominus, quod tamē bonum Reipublicæ non procuret: sed tūc est deprædator, quando non solum non procurat bonum, sed etiam infert malum. Quare si detestabile est, Regem admittere maxima bona, esse Tyrannum, & deprædatorem detestabile quoque est suam felicitatem in diuitijs ponere.

Pol. 5. cap. 10. Rex Tyrannus.

Quòd non decet regiam maiestatem, suam felicitatem ponere in honoribus. *Cap. VIII.*

FOrte multi viuentes vita politica credunt felicitatē ponendam esse in honoribus, eo quod vt plurimum Ciues maxime honorari desiderant. Sunt autem in honoribus tria attendenda, per quæ triplici via venari possumus, felicitatem in eis ponendam non esse. Primo enim honor est bonum ad aliud ordinatum. Secundo, est bonū extrinsecum. Tertio, est magis in honorante, quam in honorato. Felicitas autem econtrario non est bonum ad aliud ordinatum, sed est bonum ad quod alia ordinantur. non est bonum extrinsecum, sed intrinsecum. habet esse maxime in ipso felice, seu in eo cuius est illa felicitas. Quòd autem honor sit bonum ad aliud ordinatum, patet per Philosophum 1. Ethicorum, qui vult honorem esse exhibitionem reuerentiæ in testimonium virtutis. Causa ergo, quare maxime homines volunt honorari, est, vt appareant sapientes, & virtuosi, quibus maxime debetur honor. Ideo secundum Philosophum nullus curat honorari a Pueris, quia reuerentia talium non est debitum testimonium Sapientiæ, & virtutis. quare si honor est bonū ordinatum ad virtutem, in honore non est ponenda felicitas, sed potius in ipsis virtutibus, vel in actibus earum. Secundo non debite ponitur felicitas in honoribus, quia honor non est bonum intrinsecum, sed extrinsecum, dictū est enim quod honor est reuerentia exhibita in signū virtutis: signum autem, vel testimonium, si plene manifestare vult ipsum signatum, oportet quod sit quid notum & manifestum: intrinseca autem non sunt nobis nota, & manifesta, sed extrinseca: non enim cognoscimus quæ quis in corde cogitat, sed quæ exterius repræsentat. Reuerentia ergo, quæ est honor, si debet manifestare virtutē

Eth. 1. cap. 5. & 12.

Rh. 1. c. 11.

eius cui exhibetur, non sufficit, quod si cogitata in corde, sed requiritur, vt exterius proferatur. Honor ergo habet rationem boni extrinseci, cum sit reuerentia exhibita per quædam exteriora signa. Quare si felicitas non est ponē-da in bonis extrinsecis, quæ sunt bona minora; sed in intrinsecis, quæ sunt bona maiora, in honoribus felicitas poni non debet. Tertio hoc idem patet ex eo quod honor magis est in honorante, quam in honorato, vt plane vult Philosophus 1. Ethicorum quare si in honoribus ponatur felicitas, continget illa detestanda peruersitas, quod felicitas magis sit in alio, quam in eo, cuius est illa felicitas. sicut enim prouerbialiter dicitur, curialitas est eius qui facit ipsam, sic honor magis in eo est, qui facit ipsum, quā in eo qui per huiusmodi reuerentiam honoratur. Apparet autem hoc esse sensibiliter verum: nā si aliquis inclinat se reuerenter ad alium, vel honorat ipsum, constat inclinationem illam proprie esse in inclinante, non in eo cui inclinatio exhibetur. Accidens enim proprie est in suo subiecto, non autem in obiecto: vel si aliquo modo est in obiecto, magis tamen est in subiecto. Inclinatio ergo illa & reuerentia siue honor magis est in honorante, quam in honorato. Sed cum felicitas sit maxime in ipso felicitato, vel in ipso beatificato, in honoribus non est ponenda felicitas. Indecens est ergo cuilibet homini ponere suam felicitatem in honoribus, vt credat se esse felicem, si ab hominibus honoratur. Maxime tamen hoc est indecens regiæ maiestati. quod etiam triplici via venari potest. Si enim Rex suam felicitatem in honoribus ponat, sequētur ipsum tria mala: erit enim superficialiter bonus erit præsumptuosus, & erit iniustus, & inæquale. Nā si Princeps suam felicitatem in honoribus ponat, cum sufficiat ad hoc quod quis honoretur, quod videatur esse bonus, non curabit esse bonus existenter, sed apparenter, & superficialiter: vnde & Philosophus in Politicis, curantes de honore tantum, dicit esse fictos, & superficiales. Si ergo

Eth. 1. cap. 5.

Phil. in Pol.

ergo maxime decet Regẽ esse bonum existentem, maxime indecens est ipsum ponere felicitatem in honoribus, ne sit fictus, & superficialis. Secundo indecens est Regi, ponere suam felicitatem in honoribus, quia ex hoc efficietur periclitator Populi, & præsumptuosus: nam cum finis maxime diligatur, si Princeps suam felicitatem in honoribus ponat, vt possit honorem consequi, præsumet suam gentem exponere omni periculo. Exemplum huiusmodi habemus de filio cuiusdam Romani Principis nomine Torquati, qui nimij honoris auidus, contra Imperiũ Patris, vt honorem sequeretur, se exposuit periculis bellicis: vnde Torquatus Romanus Princeps, ne alij ex hoc exemplum assumerent, & ne essent nimij honoris auidi, filium sic præsumptuosum occidit, non obstante quod dictus filius victoriam obtinuerat ab hoste. Ne ergo Princeps se præcipitet, & ne nimis præsumat, non expedit ei suam felicitatem in honoribus ponere. Tertio hoc est indicens ei, ne sit iniustus & inæqualis: decet enim Principem sua bona distribuere secundum dignitatem personarum, vt plura bona decet dignis, & sapientibus, quam indignis, & Histrionibus. Sed si Princeps suam felicitatem in honoribus ponat, quia finem summo ardore diligit, non curabit remunerare personas secundum propriam dignitatem, sed solum eo modo beneficia diuidet, quo plus honoris consequi possit. Si ergo Rex suam felicitatẽ in honoribus ponat, erit malus in se, quia nõ curabit esse nisi superficialiter bonus: erit malus in populo sibi commisso, quia non curabit eum periculis præsumptuose, & præcipitanter exponere: erit malus in suis rebus, quia eas non distribuet æqualiter secundum personarum dignitatem.

Eth. 2. cap. 7.

Liu. à princ. lib. 8.

Quòd

Quòd non decet regiam maiestatem, suam ponere felicitatem in gloria, vel in fama. Cap. IX.

DIfferunt autem gloria,& fama ab honore,& laude: quia honor, & laus sunt causa famæ, & gloriæ: ex hoc enim est aliquis in fama, & gloria, quia laudatur,& honoratur. Honor autem differt à laude,quia est vniuersalior ea:nam laus proprie non est nisi per signa vocalia; sed honor esse habet per quęcunque signa exteriora.vnde dicitur 1. Rhetoric. quod partes honoris sunt sacrificia, recordationes in metris,decantatio, aut solutæ orationis ad laudem recitatio, primi consessus,& cætera talia exteriora signa pertinentia ad reuerentiam.Gloria quidem & fama pro eodem accipi consueuit: nam gloria est quædam clara notitia de aliquo: est enim gloria claritas quædam: hæc etiam est fama, quia fama est quædam clara cũ laude notitia. Si tamen vellemus aliquo modo distinguere inter gloriam, & famam: diceremus quod fama oritur ex gloria: erit ergo hic ordo, quia gloria oritur ex honore: nam ex hoc quod aliquis est in magno honore,& in magno apparatu, ex hoc apparet clarus,& gloriosus: fama autem oritur ex honore & gloria, quia ex hoc quod aliquis est in honore,& gloria,habetur in fama & pretio. Accipiendo sic gloriam, & famam large, & pro eodem, posset forte alicui videri felicitatem ponendam esse in fama & gloria, eo quod ipse possit esse magnæ latitudinis, cum ad diuersas partes diuulgare possit: & magnæ diuturnitatis,cum per multa tempora contingat ipsam indelebilem esse. Videtur ergo quod maxime Princeps in hoc suam felicitatẽ ponere debeat, dicente Philosopho 5.Ethic. quod merces quædam dãda est Principibus, hæc autem est honor & gloria, quibus si contenti non sint, Tyranni fiunt. Sed hoc stare non potest;

Rhet. 1. cap. 5.

Eth. 5. cap. 2. & 10.

quod triplici via venari possumus. Quantum enim ad præsens spectat, vt satis potest patere per habita, felicitas non est tantum signum boni, sed est etiam perfectum, & per se sufficiens bonum. Secundo felicitas inest tantum bonis, & beatis, non autē infelicibus, & prauis. Tertio est in interioribus bonis, non in his quæ exterius existunt. Fama autem è contrario, est magis signum bonitatis, quā sit ipsa bonitas. Et non solum competit bonis, sed etiam vt plurimum competit ipsis prauis. Rursus magis innititur exterioribus signis, quā interiori bonitati. Si enim fama alicuius ideo existit, quia apud homines de ipso habetur quædam laudabilis, & clara notitia, cum scientia nostra non sit ipsa res, nec sit causa rerum, sed magis sit signum earum, & quid causatum ab eis: fama nec est bonitas nostra, nec ab ea dependet bonitas nostra, sed solū est quoddam apparens signum nostræ bonitatis. in ea igitur felicitas nostra esse non potest. Secundo hoc stare non potest, quia fama, & gloria apud homines non solum habetur de bonis, sed etiam de hominibus prauis: quia enim multoties in iudicando decipimur, contingit vt plurimum illa detestanda peruersitas; quod boni, & digni non habētur in precio, & praui, & infelices sunt in gloria & in fama. Tertio in fama non est ponenda felicitas, quia magis innititur exterioribus signis, quam interiori bonitati: nam Homo non intuetur nisi ea quæ foris parent: nō enim videmus ipsas cogitationes mentis, non ipsas virtutes, & malitias in animo existentes: sed si iudicamus aliquem bonum, & virtuosum, hoc est ex his quibus exterius innotescit. Sicut enim ad hoc quod aliquis honoretur, sufficit quod exterius bonus appareat: sic ad hoc quod aliquis sit apud homines in fama, & gloria, sufficere videtur, quod exterius bona prætendat. Quare cum Regem deceat esse totum diuinum, & quasi semideum, inconueniens est felicitatem ponere in eo, quod est signū bonitatis, quam sit bonitas, & quod ipse praui participa-

re

te possunt, & magis innititur exterioribus signis, quam interiori bonitati: inconueniens enim est, quod Rex se credat esse felicem, si sit famosus apud Homines, vel si sit in populis gloriosus. Nō igitur debet Rex se credere esse beatum, si sit in gloria apud homines: attamen beatus est, si sit in gloria apud Deum. Dictum enim est, quod gloria & fama, est quædam clara cum laude notitia. Dei autem notitia (vt ad præsens spectat) in tribus differt à notitia nostra: nam notitia Dei causat res, notitia nostra causatur à rebus, vt vult Commen. 12. Met. Rursus notitia Dei est infallibilis, notitia nostra pluries fallitur. Amplius notitia Dei est de ipsis intimis nostris, notitia vero nostra per se, & directe solum exteriora comprehendit: bonitas ergo nostra per se dependet a notitia Dei, tanquam effectus à sua causa. Rursus circa bonitatem nostram notitia Dei non fallit, cum scientia sua falli non possit. Amplius bonitatem, & malitiam nostram intimā Deus clare videt, & percipit. Non igitur esse potest, quod aliquis apud Deum sit in gloria, & in fama, vel sit apud ipsum in clara notitia cum laude, nisi sit bonus, & beatus, vt exigit status suus. Licet ergo sic sit de notitia Dei, & de fama, & de gloria apud ipsum Deum, nequaquam tamen in fama, & in gloria hominum felicitas est ponēda. Quod vero dicebatur, quòd est diuturna & lata. Dici potest, quod è conuerso, quia est modica & arta: nam secundum Boetium fama Romani populi nunquam transiuit Caucasum montem, quomodo ergo fama vnius hominis per vniuersam terram se extendet? sed, cum tota terra sit quasi punctus respectu cæli, & secundum Astronomos quælibet stella fixa visu notabilis sit maior tota terra, arta & exigua est fama cuiuslibet hominis. Rursus homini fama est breuis non diuturna, cum totum tēpus vitæ præsentis sit quasi punctale respectu Dei æternitatis: cum enim Homo secundum intellectum sit immortalis, in eo debet felicitatem ponere, quod immortaliter & per-

com. 12. Met. te. 51.

Pro. 7. lib. 2. de Philo. consol.

perpetuò durare possit. Quod vero dicebatur mercedem tribuēdam esse Regibus, & hunc esse honorem & gloriā. Non est intelligendus textus Philosophi, quod Reges principaliter pro suo merito quęrere debeant gloriam, & famam Hominum, quia modicus esset eorum fructus: sed hoc pro tanto dictum est, qua decet Reges, & Principes esse magnificos, & magnanimos. Magnanimi autē licet non intendant principaliter honorem, sed bonum: honor tamen eos consequitur, & decet eos acceptare honorem sibi exhibitum, non habentibus Hominibus aliquid maius, quod eis tribuant, vt dicitur 4. Ethic. non quod honor sit condigna retributio eis, vt ibidem dicitur. Acceptare ergo honorem tanquam retributionem condignā, potest intelligi dupliciter, vel ratione ipsius honoris in se, vel vt procedit ex affectione dantium. Honor autem in se, cum non sit nisi quoddam signum, & quoddam testimonium bonitatis, vt patet, non est condigna retributio in vita. Attamen vt huiusmodi honor procedit ex affectione dantium, habet ibi esse quædam congrua remuneratio: nam eo ipso, quod dantes non habent aliquid maius quod retribuant, congruit Principi hoc modo honorem exhibitum acceptare. Propter quod (vt plane patet) in huiusmodi retributione acceptatur affectio dantium; & non proprie honor datus. Quòd si tamen Principes non acceptarent hanc affectionem dantium, sed requirerēt à gente sibi commissa alia exteriora bona, vtputa aurum, vel argentum, vel diuitias alias, Tyranni essent: nam ex hoc efficerentur populi prædatores.

Eth. 4. cap. 3.

Quòd non decet regiam maiestatem suam felicitatem ponere in ciuili potentia.
Cap. X.

Veg. in lib. de re Mil.

VEgetius in libro De re militari, super omnia commendare videtur bellorum industriam. Hoc enim

(secun-

(secundum ipsum) est quod Romam maxime exaltauit, quia maxime dederunt operam rebus bellicis, & summo opere studuerunt, quomodo possent sibi subijcere nationes. Propter quod (secundum eundem Vegetium) hoc esse debet principalissimum in intẽtione Principis, quod abundet in ciuili potentia, & quod per eam sibi subijciat nationes & gentes. Quod si in hoc esset, felicitas regia videretur ponenda in ciuili potentia, quod est falsum: probat enim Philosophus in 7. Pol. quinque rationibus felicitatem non esse ponendam in ciuili potentia. Prima via sumitur, ex eo quod talis principatus non multum durat. Secunda, ex eo quod esse potest sine bonitate vitæ. Tertia vero, ex quod est indignus, Quarta autem, ex eo quod per huiusmodi principatum ciues ordinantur ad minora bona. Quinta vero, ex eo quod tale dominium vt plurimũ infert nocumẽtum. Prima via sic patet, nam per ciuilem potentiam velle sibi subijcere nationes, hoc est, velle dominari per violentiam. Violentia autem perpetuitatem nescit. Cum igitur violenta non diu durent, talis principatus diu durare non potest. Immo sicut ignis, qui est naturæ calidæ, naturaliter agit, cum calefacit: sic homo, qui est nãliter liber arbitrio, tũc naturaliter dominatur hominibus, quãdo eis libere, & voluntarie principatur. quod contingit si populus libere, & voluntarie præcepta Principis exequatur. Non ergo Rex debet se credere esse felicem, si per violentiam, & per ciuilem potentiam dominetur: quia tale dominium cum sit violentum, & contra naturam, diu durare non potest: felicitas enim non est ponenda in aliquo transitorio, sed magis in aliquo sempiterno. Secundo in ciuili potentia non est ponenda felicitas, quia hoc potest inesse alicui absq; bonitate vitę, felicitas enim, vt supra dicebatur, est perfectum, & per se sufficiens bonum. Impossibile est autem in aliquo esse maximum bonum, nisi ille bene viuat, & sit maxime bonus: sicut impossibile est in aliquo esse intensam albedinem, nisi ille

Secundũ Vegetium.

Pol. 7. c. 2. 3.

fit

ſit intenſe albus. Quòd autem ciuilis potentia poſſit ineſſe alicui abſque bonitate vitæ, patet ex ijs quæ temporibus retroactis facta conſpeximus. Videmus multos Tyrannos peſſimos maxime abundaſſe in ciuili potentia. Polit. 5. cap. 11. Nam Dionyſius Syracuſanus, ſiue Sicilianus, vt recitat Philoſophus in politicis, maxime abundauit in ciuili potentia, & tamen peſſimus Tyrannus erat. Nero autem, & Heliogabalus, qui fuerunt Romani Principes, maxime abundauerunt in ciuili potentia; peſſime tamen viuebãt. Nam tantæ fuerunt luxuriæ, vt omnino viderentur mulieres. tantæ fuerunt crudelitatis, vt non videretur in eis eſſe aliquid molle, nec clementia aliqua. Vnde Philoſophus 7. Politicorum ait, quod ridiculum eſt aliquem putare eſſe felicem, ſi abijciat bene viuere. Polit. 7. cap. 2. Non ergo in ciuili potentia eſt ponenda felicitas, quæ ſine bonitate vitæ ineſſe poteſt. Tertio in huiuſmodi potentia non eſt ponenda felicitas, quia huiuſmodi Principatus non eſt optimus, nec eſt dignus. Si enim felicitas in aliquo Principatu poni debet, ponenda eſt in Principatu optimo, & digno, principari autem per ciuilem potẽtiam, eſt principari ſeruis, non liberis: nam talis Principatus eſt per coactionem, & violentiam. Cum ergo Principatus ſe extendant adinuicem, ſecundum eos quibus aliquis principatus, vt vult Philoſophus in Politicis, Phil. in Polit. quanto liberi ſunt meliores ſeruis: tanto principari liberis, eſt melius & dignius, quam principari ſeruis. principatus ergo per coactionem, & ciuilem potentiam, cum non ſit liberorum, ſed ſeruorum, non eſt optimus, neque dignus. Ideo 7. Politicorum dicitur, Pol 7. cap. 3. δεσποτικῶς. quod principatus liberorum, qui eſt cum virtute, eſt melior, quam principari deſpotice, ideſt dominaliter. Quarto non eſt ponenda felicitas in ciuili potentia: quia ſi Princeps ſe crederet eſſe felicem, ſi abundet in ciuili potentia, non ordinabit ciues, niſi ad exercitum armorum, & ad ea, per quæ ſibi poſſit ſubijcere nationes. inducet ergo ciues non ad virtutem iuſtitiæ, ſed ad virtutem for-

titu-

titudinis. Iustitia autem, vt dicit Philosophus 7. Politic. est maius bonum, quàm sit fortitudo. non ergo ordinabit ciues ad bona maiora, vt ad iustitiam, sed solum ad minora, vt ad fortitudinem. ne ergo pericliteur bonum gentis, quod est diuinius, quam aliquod bonum singulare, non decet principem suam felicitatem ponere in ciuili potétia. Quinto hoc non decet ipsum, quia huiusmodi principatus infert vt plurimum nocumentum. nam cum felicitas sit finis omnium operatorum, quilibet totam vitam suam, & omnia opera sua vt plurimum ordinat ad illud in quo suam felicitatem ponit: ponens ergo suam felicitatem in ciuili potentia, & in subijciendo sibi nationes, forte bene se habebit tempore belli: tempore tamen pacis nesciet bene viuere. nam, cum vt plurimum studuerit, nisi in exercitijs bellicis, & totam vitam suam ordinauerit ad fortitudinem, non ad iustitiam, & temperantiam, tempore pacis, in quo opus est iustitia, & temperantia, nesciet viuere, sed fiet vitiosus, & incurret nocumentum secundum animam. Propter quod Philosophus 7. Politicorum vituperans Lacedæmones, ponétes felicitatem in ciuili potentia, ait, turpe esse, cum bellamus, participare bonis, cum vero vacamus & sumus in pace, fieri vitiosus. Quare si inconueniens est ponere felicitatem in aliquo non diuturno, & in eo quod potest esse sine bonitate vitæ, & est quid indignum, & per quod ordinantur ciues ad minora bona, & vt plurimum infert nocumentũ: inconueniens est etiam Principem ponere suam felicitatem in ciuili potétia, & quod credat se esse felicem, si possit sibi subijcere nationes multas.

7. Pol. c. 1.

7. Pol. cap. 2.

C Quòd

Quòd non deceat Regiam maiestatem suam felicitatèm ponere in robore corporali, vèl in pulchritudine, vel in alijs bonis corporis. Cap. XI.

SAtis per habita manifestũ est, quod in bonis corporalibus non est ponenda felicitas. Sunt tamen tria bona corporis, quæ homines maxime desiderare videntur, videlicet, sanitatem, pulchritudiuem, & robur. Immo nonnulli in talibus suam felicitatem ponunt. Videtur enim omnino esse contrarium de bonis corporis, & animæ. Bona enim corporalia quanto minus habentur, magis desiderantur: prius enim, quam talia bona prægustentur, creduntur esse maiora, quam sint: eis autem adeptis, apparẽt non esse tanta, quanta credebantur. Virtutes autem, & bona intellectualia modum conuersum tenent: nam eis adeptis, inueniuntur maiora, quam crederentur. Ideo ignorantes dulcedinem sapientiæ, aliquando reprehendunt vacantem philosophiæ, & negotio scientifico: quia ignorãt bonitatem, & dulcedinem virtutum, & sciẽtiarum. quòd si bene eam cognoscerent, non solum non increparent dantes se scientijs & virtutibus, sed etiam deriderent quicunq; talibus non vacarent. Bona ergo corporalia, quia non habita reputantur maiora quam sint, multi carentes corporalibus bonis, adeò affectant ea, & credunt ipsa esse tantæ excelleutiæ, vt si haberent illa, reputarent se esse felices. Ideo dicitur 1. Ethic. quod infirmi egentes vt sint sani, felicitatem ponunt in sanitate, & mendici in diuitijs, turpes in pulchritudine, debiles in robore. Sed quod non sit felicitas in robore, nec in sanitate, nec in pulchritudine, triplici via venari possumus. Primo, quia talia bona sunt corporalia. Secundo, quia quodammodo exteriora. Tertio, quia sunt de facili mutabilia. Corporalia

Eth. 1. cap. 4.

ralia enim sunt, quia habent esse in corporalibus, vt subiectę: nam sanitas est in humoribus, pulchritudo in membris, robur in ossibus, & neruis. Nam (vt vult Philosop. 3. De eligendis) sanitas est debita adæquatio humorum. Pulchritudo est debita commensuratio membrorum. Robur debita proportio ossium & neruorum. Quare cum humores, membra, nerui, & ossa sint corporalia, sanitas, pulchritudo, & robur corpotalia esse dicuntur; non ergo in eis est ponenda felicitas. Secundo in talibus felicitas poni non debet, quia sunt quodammodo exteriora bona. Nam homo (secundum Philosophum) est magis intellectus, quam sensus: & anima plus est de ratione hominis, quam corpus: & semper forma magis dicit naturam rei, quam materia. Illa ergo sunt bona maxima interiora nostra, quæ se tenent ex parte animæ: ponenda est ergo felicitas non in sanitate, nec in pulchritudine corporis, sed animæ. Non igitur quis credat se esse felicem, si habeat æquatos humores, & sit sanus corpore: vel quod habeat conformia membra, & sit pulcher: vel habeat proportionem ossium & neruorum, & sit robustus corporaliter. Sed si habeat æquatas potentias, vt quod inferiores potentiæ subsint rationi; & sit sanus, & fortis mente: & si huiusmodi potentias habeat ornatas virtutibus, & bonis operibus. & sit pulcher in anima, tunc (vt exigit suus status) credat se esse felicem. Dicimus autem (vt exigit suus status) quia plena felicitas in hac vita haberi non potest. In sanitate ergo, & fortitudine, & pulchritudine corporali, quia sunt quodammodo bona exteriora, felicitas poni non debet. Quod autem in bonis interioribus sit proprie felicitas, patet per Philosophum 7. Politicorum dicentem, quod testis est nobis Deus, quod felicitas in bonis interioribus est ponenda. Testificatur enim hoc Deus per seipsum, vt idem ibidem innuit: nam Deus non est beatus per aliqua exteriora bona, sed per ea quæ sunt in seipso. Si ergo anima beata assimilatur Deo, non erit bea-

Phil. 3. de elig. 2. To. lo. 13.

In prob. se. 30. q. 2.

Phil. Polit. 7.

ta,nisi per bona,quæ sunt in seipsa. Tertio in talibus bonis non est ponenda felicitas,quia sunt valde mutabilia. Aequatio enim humorum, cum subsit motui supercœlestiũ corporum, variationi aeris,mutationi ciborum,de facili variationem recipit. Sed amissa sanitate,amittitur robur corporis,quia laxantur membra,debilitantur nerui. propter quod tollitur proportio illa neruorum, & ossium,in quibus habet esse fortitudo corporalis. Sic etiam tollitur pulchritudo,quia amissa sanitate, membra fiunt macilenta,non remanet in eis color debitus: amittunt conformitatem illam,in qua reseruatur decor,& pulchritudo. non decet ergo Regem,nec aliquem hominem in talibus suã felicitatem ponere, quæ sunt corporalia, & quodammodum exteriora, & de facili mutabilia. Dicamus ergo ad intelligentiam omnium dictorum,quod non decet Principem felicitatem ponere in voluptatibus corporalibus, nec in diuitijs,nec in honoribus,nec in fama,nec in ciuili potentia, nec in sanitate,nec in robore corporali, nec in pulchritudine: omnibus tamen istis debet vti, vt sunt organa ad felicitatem. Debet enim vti cibis, in quibus est delectatio corporalis,propter conseruationem indiuidui,siue propter conseruationem propriæ personæ:nam, cum ipse sit caput Regni,ex defectu eius posset consurgere malum gentis. Debet vti actu matrimoniali propter conseruationem speciei, siue propter procreationẽ prolis: nam ex defectu filiorum multa regna passa sunt diuisionem,& scandala:decedẽtibus enim Principibus absque liberis, plures insurgunt, vt dominentur, & faciunt dissensionem in Populo. Debet enim Princeps possidere sufficientes diuitias,vt possit regnum defendere,& exercere operationes virtutum: decet enim Regem esse magnificum,beneficiare personas dignas: quod sine diuitijs fieri non potest. Sic etiam, ne vilipendatur maiestas regia,est Rex dignus honore, & expedit ei habere ciuilem potentiam: nam propter paruipensionem Principis, vt pluri-

plurimum aliqui operantur mala, & offendũt alios, quod Regno non expedit. Sic etiam debet esse curæ ipsi Principi de debita fama, quia propter hoc inducuntur subditi ad virtutem. Nam (vt probatum est) qualis est Princeps, talis est Populus. Cum ergo Princeps, bonus prædicatur, subditi suscipiunt materiam benefaciendi. Sic etiam, sanitas, pulchritudo, & fortitudo competunt Principi, non quod in eis sit proprie felicitas, sed quia possunt esse organa ad felicitatem. Talia ergo diligenda sunt, vt sunt organa ad felicitatem, & vt faciũt ad quandam claritatem felicitatis. Propter quod, de his, quomodo diligenda sunt, hic breuiter pertransiuimus, quia de eis inferius sumus aliqua tractaturi.

Quomodo in amore Dei, & in actu prudentiæ, est ponenda felicitas. Cap. XII.

DVas autem felicitates Philosophus posuit, vnam politicam, aliam contemplatiuam. Voluit autem felicitatem non esse ponendam in viribus, siue in potentijs animæ, quia his non solum boni, sed etiam mali participant. Nec etiam voluit esse ponendam eam in habitibus, quia habens habitum, & non operans, quasi assimilatur dormienti: quandiu autem homines dormiũt, non videntur discerni felices à miseris, vt innuit Philosophus 1. Ethicorum. *Eth. 1. cap. 13.* In actu ergo, siue in operatione animæ est ponenda felicitas: non in operatione vitij, sed in operatione virtutis: non virtutis cuiuslibet, sed virtutis perfectæ. Felicitas ergo (vt dicitur 1. Ethicor.) est operatio animæ secundum virtutem perfectam. *Eth. 1.* Cum igitur perfecta virtus secũdum Philosophum in vita politica sit Prudentia, & in vita contemplatiua sit perfecta Virtus Sapientia, siue Metaphysica, secundum ipsum, quicunq; scit alios bene

regulare secundum Prudentiam, est felix politice: qui vero scit bene speculari secundum Metaphysicam, est felix contemplatiue. De his ergo duabus felicitatibus mentionem fecit: de quarum vna determinatur 1. Ethicorum, vt de felicitate politica: de alia vero, scilicet contemplatiua determinat in 10. Vtrum autem sit vera illa positio Philosophi, vel non, non est præsentis speculationis. Tamen, vt appareat, quomodo deceat regiam maiestatem ponere suam felicitatem in actu prudentiæ, sciendum quod decet Regem maxime suam felicitatem ponere in ipso Deo, quod triplici via venari possumus. Rex enim est homo, est Dei minister, & est rector multitudinis. Inquãtum autem est homo, participat intellectum, & rationẽ. cum ergo bonum rationis non sit bonum aliquod particulare, quod est bonum secundum sensum, sed bonum rationis sit bonum vniuersale, & intelligibile, decet Regiã maiestatem eo ipso quod homo est, & rationem participat, ponere suam felicitatem in bono maxime vniuersali, & maxime intelligibili: hoc autem est ipse Deus, qui est maxime bonum vniuersale, quia est bonum omnis boni, in eo enim omnis bonitas reperitur: est etiam bonum maxime intelligibile, quia est maxime simplex, & maxime à materia separatus. Secũdo decet Principem suam felicitatem ponere in ipso Deo, non solum quia homo est, sed etiam quia speciali modo est Dei minister. Nam illud quod habet aliquid per participationem, & imperfecte, est instrumentum & organum eius, quod habet illud essentialiter & perfecte, quia ergo vim regitiuam, & potentiam regendi habet principaliter, & perfecte solus Deus, oportet quod quicunq; principatur, siue regnat, sit diuinum organum, siue sit minister Dei. Quare si minister, suam mercedem, & suum præmium debet ponere in suo Domino, & debet eam expectare ab ipso, decet Regem, qui est Dei minister, suam felicitatem ponere in ipso Deo, & suum præmium expectare ab ipso. Tertio hoc

Eth. 1.

decet

decet Regem, ex eo, quod est multitudinis rector: nam regens multitudinem debet intendere commune bonum. In eo ergo debet suam felicitatem ponere, quod est maxime, & commune bonum. huiusmodi autem est (vt dicebatur) Deus ipse: Rex ergo tum quia est Dei minister, tum etiam quia habet intellectum, & tum quia intendit bonum commune, debet suam felicitatem ponere in Deo, cui seruit, qui est bonum maxime intelligibile, & maxime vniuersale, & commune. Si ergo Rex debet in Deo ponere suam felicitatem, oportet ipsum huiusmodi felicitatem ponere in actu illius virtutis, per quem maxime Deo coniungimur: huiusmodi autem est actus dilectionis, siue charitatis. Nam amor, & dilectio maxime vim vnitiuam, & coniunctiuam habent. Vnde Dionysius 4. De diuinis nominibus ait, quod amorem, siue diuinum, siue angelicum, siue humanum, siue naturalem, siue animalem, vnitiuam quandam dicimus esse virtutem. In amore ergo diuino est ponenda felicitas. Sed cum probatio dilectionis sit exhibitio operis, & ex hoc aliquis probetur esse dilectiuus alterius, si agat quæ ipse vult: si Princeps est felix diligendo Deum, debet credere se esse felicem operando quæ Deus vult. Maxime autem Deus requirit a Regibus & Principibus, vt per prudẽtiam, & legem populum sibi commissum iuste, & sancte regant. Regibus ergo, & Principibus ponenda est felicitas in actu prudentiæ, non simpliciter, sed vt est imperatus a charitate. Propter quod in ipso actu charitatis, per quam immediatius coniungimur ipsi Deo, magis est ponenda felicitas, quam in actu prudentiæ: licet in huiusmodi actu modo quo dictum est, aliqualiter felicitas sit ponenda.

Dion. 4. de diu. nom.

Quantum sit præmium Regis bene regentis populum sibi commissum. Cap. XIV.

MAgnum autem esse præmium Regis, & magnam eius esse felicitatem, si per prudentiam, & legem recte regat populum sibi commissum, ex quinque venari possumus. Nam merces Regis (vt ad præsens spectat) ad quinque comparari videtur; videlicet, ad Deũ, à quo redditur; ad Regem, cui tribuitur: ad actum, ex quo cõsurgit: ad virtutem, per quam efficitur: & ad materiam, circa quam versatur. Deus enim est remunerator omniũ bonorum: & quia non remunerat nisi ex amore, cum semper amor sit ad similes, & conformes, oportet esse similem, & conformem Deo, qui ab eo remunerari desiderat: quanto ergo quis magis gerit imaginem eius, & plus se conformat ei, maius meritum ab ipso suscipiet: Principis autem status requirit, vt sit Deo conformior, quam eius subditi. Immo eo ipso quod Rex studet per legem, & prouidentiam suum regnum regere, quomodo Deus totum vniuersum regit & gubernat, Rex maxime conformatur ei: ergo respectu Dei, à quo præmium expectatur, est magna merces Regis, si regnum suum recte regat, quia ex hoc ipsi Deo maxime conformatur. Secundo, magnum est præmium Regis, si referatur ad ipsum Regem, cui huiusmodi præmium est reddendum: nam omnis actus ex ipsa difficultate operis quandam bonitatem assumit: potentes enim transgredi, si non transgrediantur, laudabiliores fiunt: multi enim non existentes in statu quo possint mala facere, præseruant se à malo: quod si tamen ad statum dignitatis assumerentur, multas transgressiones efficerent. Propter quod Ethic. 5. scribitur, quod principatus virum ostendit. Tunc enim apparet qualis homo sit, cum in principatu existens, in quo

Eth. 5. ca. 1.

potest

potest bene & male facere, cogitat qualiter se habeat. Si ergo merces regia comparetur ad ipsum Regem, cui reddenda est, quandam magnitudinem habere videtur: Reges enim vacantes communi bono, si non transgrediantur, cum possint transgredi, maioris meriti esse videtur. Dicimus autem (vacantes communi bono) quia si bono communi non vacarent, non oportet eos esse maioris meriti ex hoc quod transgredi possent, quia non considerato communi bono, si quis periculo se exponat, dato quod non transgrediatur, quia indiscrete agit, suum meritum non augmentatur. Tertio, magnum est meritũ Principis, cõsiderato actu, per quem tale meritum habet esse. Nam ex hoc actus est vitiosus, inquantum est cõtra naturam, & contra rationis ordinem. Ex hoc autem est bonus, & virtuosus, inquantum est secundum naturam, & ordinem rationis: quanto ergo actus magis est secundum naturam, & ordinem rationis, tanto est magis bonus, & magis meritorius. Valde autem secundum naturam esse videtur, quod pars exponat se pro toto. videmus quod quia periclitato capite, periclitatur & totum corpus, brachium quod est pars corporis, statim exponit se totaliter pro capite, ne totum corpus pereat. Reges ergo si bene regant gentem sibi commissam, ex operibus eorum consequenter mercedẽ magnam: quia pro bono gentis, & pro bono totali, totaliter se exponunt. Quarto magna est merces Regum ratione virtutis, per qua quis meretur huiusmodi meritum: nam minor virtus requiritur ad regendum seipsum, quam ad regendum familiam, & quam ad regendum ciuitatem: magna ergo debet esse virtus Regis, ad quem spectat regere non solũ se, & suam familiam, sed etiam totum regnum. Cum ergo magnæ virtuti debeatur magna merces, magnum erit meritum bene regentium regnum suum. Quinto, magnum erit præmium ipsorum Regum, si cõsideretur materia, circa quam operatur: laudatur enim aliquis, si

F f diri-

dirigat personam aliquam singularem. Cum ergo bonū gentis sit diuinius, quam bonum aliquod singulare, ipsa materia, circa quam operatur Rex, quæ est gens, & multitudo, indicat eius præmium esse magnum.

Primæ partis primi libri de Regimine *Principum finis. Vbi tractauit, in quo* Reges, *&* Principes *debeant suam felicitatem ponere.*

SECVNDA PARS Primi Libri de regimine Principum: in qua tractatur, quas virtutes debeant habere Reges, & Principes.

Quomodo diuiduntur potentiæ animæ, & in quibus potentijs habent esse virtutes.

Cap. I.

POSTQVAM auxiliante Deo compleuimus primam partem huius primi libri, in quo agitur de regimine sui, Ostẽdentes in quo Reges & Principes suam felicitatem debeant ponere, quia non decet eos suum finẽ ponere in diuitijs, nec in ciuili potentia, nec in aliquibus talibus, sed omnibus his (vt supra plenius probabatur) debent vti tãquam organis ad felicitatem. Suam autem felicitatem ponere debent in actu prudentiæ, prout talis actus est imperatus à charitate: nam tunc Reges habent felicitatẽ suo statui debitam, & condignam, quando instigãte Dei dilectione secundùm prudentiam regitiuam, gentem sibi commissam secundùm legem, & rationem sanctè, & iustè regãt. Principaliter ergo Regum felicitas ponenda est in ipso Deo, & ex cognitione & dilectione eius studium suum, & vitam suam ad hoc ordinare debet, vt cognoscentes, & diligentes Deum, tanquam veri ministri eius secundũ ordinem rationis dirigant Populum sibi commissum. His ergo itaq; peractis, & ostenso in quo Reges ponere debeant

debeant suum finem secundum ordinem superius prætaxatum, restat ostēdere quibus virtutibus Reges pollere debeant. Virtutes autem quædam sunt quidam ornatus, & quædam perfectiones animæ. Oportet ergo prius ostendere, quot sunt potentiæ animæ, & in quibus potentijs habent esse virtutes. Consequenter autem manifestabitur, quomodo virtutes sunt distinguendæ. Postea vero ostendemus, quot sunt numero huiusmodi virtutes, & quæ illarum sunt principales, & secundariæ. Deinde autem declarabitur singulariter, quæ sit vnaquæque illarum virtutum, & quomodo decet Reges, & Principes tales virtutes habere. Potentiæ autē animæ sic distingui possunt; quia potentiæ animæ quædam sunt naturales, quædam cognitiuæ sensitiuæ, quædam appetitiuæ, & quædam intellectiuæ. Naturales potentiæ sunt illæ, in quibus communicamus cum vegetabilibus, & plantis, vt potentia nutritiua, augmentatiua, generatiua, & talia quæ etiam ipsis arboribus competunt. Potentiæ vero cognitiuæ sensitiuæ, sunt visus, gustus, auditus, & talia, in quibus communicamus cum brutis. Appetitiuæ vero distinguuntur: nam quidam appetitus est in homine, in quo non cōmunicat cum brutis, vt est appetitus sequens intellectum: quidam vero in quo communicat cū eis, vt appetitus sequens sensum. Appetitus autem sequens sensum potest nominari sensualitas: sequens intellectum nominatur voluntas: secundum quem modum loquendi bruta habent sensualitatem, & appetitum sensitiuum, sed non habent voluntatem, & intellectum. Virtutes ergo de quibus loqui intendimus, quæ sunt quidam habitus laudabiles, vel erit in potentijs naturalibus, vel in ipsis sensibus, vel in appetitu sensitiuo, vel in appetitu intellectiuo, vel in ipso intellectu, vel in omnibus his, vel in aliquibus horum. In potentijs autem naturalibus esse non possunt. quod tripliciter patet. Primo, quia ex naturalibus nec laudamur, nec vituperamur: nullus enim dicitur

Eth. 1. cap. 13.

tur

tur bonus homo ex eo quod habeat digestiuam bonam, vel bonam augmentatiuam. Secundo, in talibus non habent esse virtutes: quia virtus est aliquid secundum rationem, vt probari habet 2. Ethic. Potentiæ autem naturales (secundum quod huiusmodi) rationi non obediunt: nam siue quis ratiocinetur, siue velit, non propter hoc (per se loquendo) potentiæ naturales variantur in actibus suis, sed semper secundum modum sibi possibilem suas actiones efficiunt. Tertio, in talibus potentijs non sunt habitus, & virtutes, qui habitus sunt ad determinandum potentias, vt bene vel male agant: vt per habitus vitiosos determinatur potentia ad agendum male, per virtuosos ad agendum bene: cum ergo natura sit determinata ad vnum, & potentiæ naturales sufficienter determinentur ad agendum, ex natura sua secundum eas nec sumus vitiosi, nec virtuosi, vt hic de vitio, & virtute loquimur: quare in eis huiusmodi virtutes esse non possunt. His ergo tribus rationibus, per quas probatum est virtutes non esse in potentijs naturalibus, probari potest eas non esse in cognitione sensitiua, siue in potentijs sensitiuis. Nam sicut non laudamur, nec vituperamur ex potentijs naturalibus: sic non laudamur, nec vituperamur ex sensibus. Nam sicut nullus laudatur tanquam bonus homo, ex eo quod bene digerit, vel bene crescit: sic non laudatur ex eo quod acute videt, vel subtiliter audit, nisi forte hoc esset per accidens, vt si quis ex superflua comestione, vel ex nimia potatione incurrisset ophthalmiam oculorum, ne bene videret, vel debilitatem stomachi, ne bene digereret: increparetur ille, non quia male digerit, vel quia non clare videt, quia clare videre, & bene digerere (per se loquendo) non est in potestate hominis: sed increparetur ex nimio potu, vel ex superfluo cibo, nam erat in potestate sua, vt posset vti potu, & cibo moderate. Secundo in sensibus non est ponenda virtus moralis, quia sicut potentiæ naturales non obediunt rationi, quia secundum

Eth. 2. cap. 6.

Eth. 2. cap. 6.

regu-

regulam rationis nullus magis, vel minus augetur, vel magis,& minus digerit: sic nec sensus obediunt rationi, non enim est in potestate hominis videre clarius, vel minus clare: quare si virtus moralis est aliquid secundũ rationem, huiusmodi virtus in sensibus poni non debet. Tertio in talibus non est moralis virtus,quia sicut potẽtię naturales sufficienter determinantur ad actiones suas per suam naturam: sic & sensus. Nam sicut ignis tantum calefacit,quantum potest calefacere, propter quod, quia determinatus est in actione sua, nec laudatur,nec vituperatur,nec est in eo virtus moralis: sic quia potentia digestiua tantum digerit quantum potest digerere, & oculus tantum videt quantũ potest videre, in eis virtus moralis esse non potest. Nam per virtutem moralem determinatur potentia ad agendum: hæc autem sufficienter determinantur ad actiones proprias per naturam: non ergo indigent virtute morali. Si ergo nec in potentijs naturalibus, nec in sensibus est virtus moralis, cum præter potentias naturales, & sensus non sit nisi intellectus,& appetitus intellectiuus, & sensitiuus, oportet esse in talibus virtutes morales.

Quomodo distinguuntur virtutes: & quomodo esse habent in intellectu & appetitu. *Cap. II.*

OStenso, quod nec in potentijs naturalibus,nec in sensibus habent esse virtutes: restat ostẽdere,quomodo distinguuntur virtutes, & quomodo in appetitu & intellectu existunt. Distinguendum est igitur de virtutibus, & de huiusmodi potentijs: nam virtutum quædam sunt intellectuales, quædam morales, quædam mediæ inter intellectuales & morales. Virtutes intellectuales dicũtur illæ quæ sunt in intellectu speculatiuo, cuiusmodi sunt scien-

scientiæ speculatiuæ, vt naturalis Philosophia, Geometria, Metaphysica, & cætera talia. Virtutes vero simpliciter morales sunt illæ, quæ sunt in appetitu, siue appetitus ille sit sensitiuus, siue intellectiuus, cuiusmodi sunt Iustitia, Temperantia, Fortitudo, Mansuetudo, & cætera talia; de quibus sumus singulariter tractaturi. Virtutes autem mediæ inter intellectuales & morales, sunt virtutes existentes in intellectu practico, vt Prudentia, & aliæ virtutes sibi annexæ. Prudentia autem, secundum Commentatorem super libris Ethicorum, media est inter virtutes morales, & intellectuales; computari tamen potest cum virtutibus moralibus: nam Prudentia non est nisi in hominibus bonis, sicut nec virtutes morales: praui enim homines & si possunt esse scientes, astuti, & versipelles; prudentes tamen esse non possunt, vt suo loco patebit. Inde est ergo quòd dicitur 6. Ethic. quod impossibile est prudentem esse non existentem bonum. Dimissis ergo virtutibus huiusmodi intellectualibus, vt dimissis sciẽtijs speculatiuis, de prudentia, & de virtutibus moralibus est tractandum. Suscepimus enim (vt pluries diximus) præsens opus, non vt sciamus, sed vt boni fiamus: quæ bonitas, sine prudentia & virtutibus moralibus, nobis inesse non potest. Has autem virtutes, in intellectu, & appetitu, sic esse contingit. Dictum est enim, virtutem esse aliquid secundum rationem: oportet ergo esse rationalem potẽtiam, in qua potest esse virtus. Rationale autem duplex est secundum Philosophum, per essentiam, & per participationem. Intellectus autem est rationalis per essentiam. Appetitus vero per participationem. Nam appetitus licet non sit ipse intellectus, vel ipsa ratio essentialiter, dicitur tamen participare rationem, quia est aptus natus rationi obedire. Potentiæ autem naturales, & sensus, nec sunt rationales per essentiam, quia non sunt ipsa ratio: nec ratione participant, quia per se, & secundum quod huiusmodi non obediunt rationi. Igitur in sensibus, & in potentijs

Comm. super li. Eth.

Eth. 6. cap. 12.

Eth. 1. cap. 13.

tentijs naturalibus (vt supra dicebatur) non habent esse virtutes, sed solum esse habent in intellectu, & appetitu. In nobis autem duplex est appetitus, intellectiuus, & sensitiuus. Nam sicut appetitus naturalis sequitur formam naturaliter adeptam, sic appetitus cognitiuus sequitur formam per cognitionem apprehensam. Sicut enim grauia, ex eo quod habent formam grauis, sequitur ea quædã naturalis inclinatio, & quidam appetitus naturalis, vt naturaliter desiderent esse deorsum: sic habentia cognitionem prout habent in seipsis formam apprehensam, sequitur quædam inclinatio, & quidam appetitus secundum formam illam. Propter quod sicut in nobis duplex est cognitio, sensitiua, & intellectiua: sic etiam est in nobis duplex appetitus, videlicet, sensitiuus, qui sequitur formã apprehensam per sensum: & intellectiuus, qui sequitur formam apprehensam per intellectum. Appetitus autem sensitiuus duplex est. Nam cum animalia sint supra inanimata, si natura elementis & rebus inanimatis dedit duplicem potentiam, vnam per quam tendunt in propriam quietem, & aliam per quam resistunt, & agunt in prohibentia, & in contraria: multo magis hanc duplicem potentiam natura dedit ipsis animalibus, quæ sunt perfectiora illis. Videmus enim quod ignis naturaliter est calidus, & leuis. per leuitatem autem tendit in locum proprium, & in quietem sibi conuenientem: per caliditatem vero agit in contraria. ne ergo ignis per quæcunque contraria agentia impediretur, ne per leuitatem in proprio loco quiesceret, dedit ei natura potentiam calefactiuam, vt per eam resisteret, & ageret in contraria corruptiua. Si ergo igni, & rebus inanimatis natura dedit duplicem potentiam, vnam per quam adipiscuntur propriam quietẽ, & aliam per quam agunt in prohibentia & contraria: multo magis hoc dedit animalibus. Tribuit ergo eis duplicem appetitum sensitiuum, vnum per quem prosequũtur propriam quietem, & propriam delectationem, vt

concu-

concupiſcibilem: & alium per quem reſiſtunt,& aggrediuntur prohibitiua, vt contraria, vt iraſcibilẽ. Ita quod concupiſcibilis ſe habet ſicut leuitas,vel grauitas,in leuibus,& grauibus. Iraſcibilis vero ſe habet quaſi caliditas, vel frigiditas in eis. Nam ſicut grauia per grauitatem recedunt à loco ſurſum tanquam à non conueniente, & tendunt in locum deorſum tanquam ad locum conuenientem,& conformem: per frigiditatem vero reſiſtunt contrarijs,ne corrumpantur à propria natura,& deſerant propria loca, & propriam quietem. Sic animalia per concupiſcibilem fugiunt mala triſtia, & proſequuntur bona delectabilia. Per iraſcibilem vero aggrediuntur contraria, quæ poſſent ea ab huiuſmodi delectationibus prohibere. Vt Leo per concupiſcibilem pergit,vt proſequatur cibum tanquam quid delectabile: per iraſcibilẽ vero aggreditur animalia illa volentia ipſum prohibere in cibo adepto. Propter quod bene dictum eſt, quod concupiſcibilis reſpicit bonum,& malum ſecundum ſe; iraſcibilis vero reſpicit bonum, & malum inquantum habent rationem difficilis, & ardui. Nam cum bonum ſecundum ſe dicat proſequendum,malum vero quid fugiendum: concupiſcibilis, quæ ſecundum ſe tendit in quietem & in bona delectabilia,& fugit mala triſtia,pro obiecto habet mala, & bona ſenſibilia ſecundum ſe conſiderata. Iraſcibilis vero, ſecundum quam aggredimur, & reſiſtimus prohibentibus, & nociuis,tendit in bona,& mala ſenſibilia, non ſecundum ſe conſiderata, ſed vt habent rationem ardui, & difficilis: nam arduitas,& difficultas potiſſime ſunt repugnantia, & prohibentia,ne poſſimus conſequi bonum, & vitare malum. Imperfecte ergo egiſſet natura,ſi dediſſet animalibus concupiſcibilẽ, per quam vitarent mala, & proſequerentur bona, niſi dediſſet eis iraſcibilem, per quam aggrederentur impedientia delectationem illam: vt igitur animalia,ſecundũ modum ſibi conuenientem, prout bene poſſint delectari

per concupiscibilem, data est eis irascibilis, per quam resistant, & aggrediantur impedientia delectationem illam. Duplex est ergo appetitus sensitiuus, irascibilis, & concupiscibilis. Appetitus autem intellectiuus, qui dicitur voluntas, remanet indiuisus. Nam cum intellectus vniuersaliori modo respiciat suum obiectum quam sensus, appetitus intellectiuus, qui sequitur intellectum vniuersaliori modo, fertur in bonum, quam appetitus secundum sensum: & quia quanto aliquid sub vniuersaliori modo accipitur, tanto vnum & idem existens ad plura se extendit, licet appetitus sensitiuus sit alius, & alius, secundum quem prosequimur delectabilia, & secundum quem aggredimur terribilia: appetitus tamen intellectiuus vnus, & idem existens fertur in omne bonum intelligibile. Non ergo est alius appetitus intellectiuus, secundum quem prosequimur bona delectabilia per intellectum, & aggredimur bona ardua: sicut est alius appetitus sensitiuus, secundum quem prosequimur bona sensibilia delectabilia, & aggredimur terribilia. Quare si omnis virtus moralis, vel est in intellectu, vel in appetitu: & appetitus alius intellectiuus vt voluntas, alius est sensitiuus: & hoc duplex, irascibilis scilicet, & concupiscibilis: oportet omnem virtutem moralem, vel esse in intellectu, vel in voluntate, vel in irascibili, vel in concupiscibili. Accipiendo ergo virtutem moralem large prout ipsa prudentia dicitur quædam virtus moralis, dicere possumus quod secundum has quatuor potentias animæ in quibus habet esse virtus, sumptæ sunt quatuor Virtutes Cardinales; videlicet, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia. Nam Prudentia est in intellectu, Iustitia in voluntate, Fortitudo in irascibili, Temperantia in concupiscibili.

Quot

Quot sunt virtutes morales, & quomodo earum numerus est sumendus. Cap. III.

PHilosophus circa finem v. Ethicorum præter Prudentiam, & iustitiam, enumera 10. virtutes morales, videlicet, Fortitudinem, Temperantiam, Honoris amatiuã, Magnanimitatem, Largitatem, Magnificentiam, Mansuetudinem, Veritatem, Affabilitatem, & Eutrapeliam, quam bene vertibilitatem, vel societatem appellare possumus. Igitur computata Iustitia, & Prudentia duodecim sunt virtutes morales; de quibus omnibus quid sunt, & quomodo decet eas Reges habere, & quas partes habent, vel virtutes annexas, singulariter est dicendum. Numerus autem earum sic potest accipi. Nam cum subiectum virtutis sit, vel intellectus, vel voluntas, vel appetitus sensitiuus: omnis virtus moralis, vel est in intellectu, vt Prudentia: vel in voluntate, vt Iustitia, vel in appetitu sensitiuo, vt ille decem virtutes morales, quas enumerauimus, quas tangit Philosophos circa finem 2. Ethicor. Possunt alio modo sic accipi hæ virtutes. nam virtutes sunt medietates quædam, & nõ habent fieri, nisi circa ea quæ sunt in potestate nostra, in quibus decet nos ponere medietatem, vel æqualitatem, siue rectitudinem: huiusmodi autem, tria sunt, scilicet, rationes, passiones, & operationes exteriores: per virtutes enim debemus habere rationes rectas, passiones moderatas, & operationes exteriores æquatas, & mensuratas. Secundum ergo, quod habemus rationes rectas sumitur Prudentia, prout vero habemus exteriores operationes mensuratas, & æquatas habet esse Iustitia, sed prout sunt in nobis passiones moderatæ accipiuntur illæ decem virtutes morales, de quibus in principio huius capituli fecimus mentionem. Iustitia ergo,

Eth. 2. cap. 7.

Εὐτραπελία

Eth. 2. circa finem.

quæ est in voluntate, sic differt ab illis decem virtutibus, quæ sunt in appetitu sensitiuo: vtræq; enim moderant, & æquant operationes exteriores, & passiones existentes in appetitu; aliter tamen, & non aliter. Nam illæ decem virtutes per se, & primo moderant, & rectificant passiones; si autem rectificant operationes exteriores, hoc est ex consequēti, inquantum moderatis passionibus, moderate ferimur in operationes exteriores. Iustitia autem econuerso, proprius æquat, & moderat ipsas res, vel ipsas operationes exteriores: facit enim, quod cuilibet tribuatur quod decet, vel quod ei detur quod suum est. Si autem moderat, & rectificat passiones, & motus existentes in appetitu, hoc est ex consequenti, inquantum moderatis, & æquatis rebus, & operibus exterioribus, passiones in nobis rectificantur, & moderantur. Tertio autem, hæc eadem diuisio sumi potest. Nam omnis virtus moralis tendit in bonum rationis. Tendere autem in bonum rationis potest esse tripliciter, vel quia huiusmodi bonū perficit, vel quia ipsum efficit, vel quia ipsum custodit, & conseruat. Prudentia autem tendit in bonum rationis, quia ipsam rationem perficit enim Prudentia in ipso intellectu, tanquam perfectio in ipso perfectibili. Iustitia vero tendit in bonum rationis, quia huiusmodi bonum efficit: nam Iustitia in operibus exterioribus, & in ipsis rebus efficit illud bonum, & illam æqualitatem, quam ratio dictat. Aliæ autem virtutes morales (vt communiter ponitur) tendunt in bonum rationis; quia illud custodiunt, & conseruant. Nam huiusmodi virtutes, moderantes passiones, agunt, ne per eas homo abducatur, & recedat à bonis rationis. propter quod huiusmodi bona dicuntur custodire, & conseruare. Dicamus ergo, quòd virtus moralis, vel rectificat rationem, & est in ratione, & est rationis perfectiua: & sic est prudentia. Vel est in voluntate, & adæquat operationes exteriores, & est boni rationis effectiua; & sic est Iustitia. Vel est in appetitu sensitiuo,

no, & moderat passiones, & est boni secundum rationem custoditiua, & conseruatiua: & sic sumuntur illæ decem virtutes morales superius numeratæ. Quarum numerus & sufficientia sic potest accipi. Dictum est enim virtutes illas esse circa passionesrquas per se habent moderare, & adæquare. prout ergo ex alijs, & alijs obiectis surgunt aliæ, & aliæ passiones, accipi poterant aliæ, & aliæ virtutes, prout in illis passionibus secundum ordinem rationis aliud, & aliud medium reperitur. Vt ergo liceat typo, & superficialiter pertransire, dicamus quod passiones, vel surgunt ex bono, vel ex malo. Si ex malo, vel ex futuro, vel ex præsenti. Si ex futuro sic fiunt in nobis passiones, timor, & audacia: timor cum ab eo refugimus, audacia cum illud aggredimur. inter has autem duas passiones sumitur vna virtus media scilicet Fortitudo. erit ergo fortitudo (quæ est medietas timoris, & audaciæ) in irascibili habent esse. Si verò huiusmodi passiones oriuntur ex malo præsenti, quod est nobis iam illatum, vel insurgimus ad puniendum, & tunc est ira, quæ est propter paruipensionem: vel propter malum illatum appetit pœnam in vindictam. Si autem ab hac punitione, vel ab hac vindicta deficimus, sic est mitiditas. medium autem horum est virtus, quæ dicitur Mansuetudo. Mansuetudo tamen non proprie nominat virtutem mediam inter mitiditatem, & iram, immo magis nominat ipsam passionem, quæ est mitiditas: attamen (vt dicitur 4. Ethicorum) quia non habemus proprium nomen respectu huiusmodi virtutis, nominatur nomine passionis deficientis, & dicitur Mansuetudo. Erit autem Mansuetudo in irascibili, quia in ea sunt mitiditas & ira, contra quas huiusmodi virtus videtur consistere. Duæ igitur virtutes existentes in irascibili, sumuntur circa passiones, quæ oriuntur ex malo. vt fortitudo est circa passiones ortas ex malo futuro: mansuetudo circa passiones ortas ex malo præsenti. Si autem sumantur virtutes circa passiones, quæ oriuntur ex bono,

Eth. 4. cap. 5.

tunc distinguendum est de bono;quia quoddam est bonũ hominis in se, quoddam vero est bonum eius, vt habet ordinem ad alios. Bonum hominis in se duplex est, quia quoddam est delectabile, vt cibi, & potus,& talia: quoddam vero vtile,vt pecunia:quoddam vero honestum, vt honor, honestum enim ab ipso honore sumit originem, est enim honestum quasi honoris status. Circa passiones ortas ex bono delectabili,non sumitur, nisi vna virtus, vt Temperantia, quæ est in concupiscibili. Circa passiones vero ortas ex vtili sumuntur duæ virtutes. Nam huiusmodi bonum, vel est mediocre,& commune,& sic sumitur Liberalitas, quæ est circa mediocres sumptus. Vel est illud bonum arduum,& sic est Magnificentia, quæ est circa magnos sumptus: idem est enim magnificentia, quod magnificens. erit igitur liberalitas in concupiscibili,magnificentia vero ratione arduitatis erit in irascibili. Si vero illud bonum sit honestum,siue honor: tunc honor ille vel est mediocris, & tunc est quædam virtus, quæ communi nomine dici potest Honoris amatiua,siue honoris amor.Si autem honor ille sit magnus, sic dicitur Magnanimitas, quæ est circa honores. Erit autem honoris amatiua in concupiscibili,Magnanimitas vero in irascibili. Ex quo patet,quod quia bona delectabilia non sic possunt habere rationem ardui sicut vtilia,& honesta, licet tam ex bonis vtilibus quam ex honestis sumantur duæ virtutes,quarum vna est in cõcupiscibili, alia in irascibili: ex bonis tamen delectabilibus non sumitur, nisi vna virtus,quæ est in concupiscibili, vt Temperantia. Si vero huiusmodi virtutes sumantur circa passiones, quæ oriuntur ex bonis, vt communicamus cum alijs, sic (vt
Eth. 2. cap. 7. dicitur secundo Ethicorum)sumuntur tres virtutes.Nam cum alijs communicamus in verbis, & operibus: opera autem,& verba, vt communicamus cum alijs deseruiũt nobis ad veritatem, vitam, & ludum. Erit ergo triplex virtus; videlicet,Veritas, Affabilitas, & Eutrapelia, quæ

potest

potest dici bona versio. Est autem Veritas (vt hic de ea loquimur, & vt est virtus non speculatiua) quando aliquis non est hypocrita nec iactator, sed est apertus, & verbis & factis ostendit se talem, qualis est. Affabilitas vero est, quando quis bene se habet circa conuersationẽ vitæ, vt quando non est adulator, non est discolus, sed est affabilis, & curialis. Eutrapelia vero siue bona versio, est, quando aliquis sic se habet in ludis, vt non sit histrio, quod de omnibus velit ludere: nec sit agrestis, quod de nullo velit ludere: sed sit Eutrapelus & bene se vertens, vt se habeat circa ludos prout expedit. Omnes autem hæ tres virtutes, quia non sunt circa aliquid arduum, sunt in concupiscibili. Patet ergo quod cum quatuor potentiæ animæ sint susceptibiles virtutum de quibus loquimur, duodecim sunt huiusmodi virtutes, quia vna est in intellectu, & vna in voluntate; quatuor in irascibili, & sex in concupiscibili. In intellectu est prudentia. In voluntate iustitia. In irascibili est Fortitudo, Mansuetudo, Magnanimitas, & Magnificentia, quæ sic accipiuntur: quia Fortitudo, & Mansuetudo sunt circa passiones ortas ex malis, vt Fortitudo est circa passiones ortas ex malis futuris, Mansuetudo circa passiones ortas ex malis præsentibus. Magnificentia vero, & Magnanimitas sunt circa bona ardua, aliter & aliter: quia Magnificentia est circa magna bona vtilia, vt circa magnos sumptus: Magnanimitas vero circa magna bona honesta, vt circa magnos honores. In concupiscibili autem sunt sex virtutes; videlicet, Temperãtia, Liberalitas, Honoris amatiua, Veritas, Affabilitas, & Eutrapelia: quæ sic accipiuntur, quia tres harum, vt Temperantia, Liberalitas, & Honoris amatiua, sumuntur secundum bonum hominis in se. aliæ vero tres, secundum bona hominis in ordine ad alium. secundum ergo vtraque bona, sunt tres virtutes. Nam bona hominis in se tria sunt: nam quædam sunt delectabilis, circa quæ est Temperantia: quædam vtilia, circa quæ est

Liberalitas: quædam honesta, circa quæ est honoris amatiua. Sic etiam bona in ordine ad alium tripliciter possunt considerari: vel vt deseruiunt nobis ad manifestationem, & sic est veritas: vel ad vitam, & sic est affabilitas: vel ad ludum, & sic est Eutrapelia. Ostensum est ergo, quot sunt huiusmodi virtutes: & quomodo distinguuntur.

Quòd bonarum dispositionum, quædam sunt virtutes, quædam supra virtutes, quædam sunt ancillantes virtutibus, & quædam præparationes ad virtutem. *Cap. IIII.*

DIstinximus in præcedenti capitulo, quod duodecim sunt Virtutes: quarum una est in intellectu, vt Prudentia: una in uoluntate, ut iustitia: quatuor in irascibili, ut Fortitudo, Mansuetudo, Magnificentia, & Magnanimitas. & sex in concupiscibili, ut Temperantia, Liberalitas, Honoris amatiua, Veritas, Affabilitas, & Eutrapelia, quas etiam in præcedenti capitulo enumerauimus. Ne ergo aliquis crederet nõ esse aliquas alias bonas dispositiones præter uirtutes enumeratas: decreuimus ostendere, quod bonarum dispositionum (loquendo de bonis dispositionibus, de quibus locuti sunt Philosophi, quia de alijs ad præsens non intendimus tractatum constituere) quædam sunt uirtutes, quædam ancillantes uirtuti, quædam præparationes ad uirtutem, quædam supra uirtutem. Large enim accipiendo uirtutem, omnes huiusmodi bonæ dispositiones, uirtutes appellari possunt. Nihilominus tamẽ quædam bonæ dispositiones ancillantur uirtuti, ut bene consiliari, & bene iudicare de consiliatis, ancillantur Prudentiæ: qui ergo benè dispositus est ad hoc, aptus est ut sit prudens. Quædam uero bonæ dispositiones nõ sunt

completa virtus, sed sunt dispositiones ad virtutem, vt Perseuerantia,& continentia:quæ (vt de eis Philosophus loquitur) non sunt completa virtus,sed dispositio ad virtutem. Nã ille perseuerare dr̃,qui non cadit,etiamsi non tentetur: hoc autem etiam & non virtuosi aliquando habent,qui non passionati, non ruunt. Continens autem dicitur,qui passionatur & habet passiones fortes,tamen continet se,& non cedit passioni, sed rationi, non ergo continens est plene virtuosus, quia propter passiones fortes licet bene agat, non tamen est ei delectabile bene agere. Continentia ergo, & Perseuerantia sic accepta, quamuis sint quædam bona dispositio,non tamen est virtus,sed dispositio ad virtutem. Sunt etiam quædam bonæ dispositiones, quæ sunt supra virtutem, cuiusmodi est virtus diuina,siue virtus heroica & superiusta,de qua determinatur 7.Eth.Nã sicut aliqui homines sunt sicut bestiæ,& sũt mali vltra modum hominum:sic aliqui sunt quasi diuini, & sunt boni supra modũ propter quod tales, superuirtuosi dici possunt. Huiusmodi aũt uirtutem diuinã, quæ est quodammodo super virtus,maxime habere debẽt Reges & Principes,qui (ut dictum est)semidij esse debent. Quarto quædam bonæ dispositiones sunt ipsæ uirtutes, cuiusmodi sunt Prudentia,iustitia,& alia, de quibus in præcedenti capitulo fecimus mentionem. De omnibus ergo his quatuor suo loco dicemus. Determinabimus ergo de uirtutibus,ostendentes, quomodo Reges & Principes debent habere uirtutes. Determinabimus etiam de adminiculantibus uirtuti, & de dispositionibus ad uirtutẽ, & de his quæ sunt supra uirtutem,ostendentes, quomodo Reges & Principes oportet talibus esse ornatos. Sed primo de ipsis uirtutibus est dicendum.

Eth. 7. cap. 1.

Quòd

Quòd virtutum quædam sunt principales, quædam Cardinales, quædam vero annexæ. Cap. V.

ENumerauimus supra duodecim virtutes: sed non omnes illæ duodecim sunt æqualis perfectionis, nec sũt æquè principales. Consueuit enim apud Sanctos, & etiam apud Philosophos distingui inter virtutes: quia quædam sunt Cardinales & principales, quædam vero annexæ. Cardinales autem sunt quatuor, videlicet, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia. Annexæ autem & non principales sunt aliæ octo, de quibus supra fecimus mentionem. Has autem quatuor virtutes esse Cardinales & principales, triplici via inuestigare possumus. Prima via sumitur ex parte materiæ, circa quam versantur. Secunda ex parte subiecti, in quo existunt. Tertia ex parte conditionum, quæ ad virtutes requiruntur. Prima via sic patet: nam omnis virtus, vel est circa rationes, vel circa passiones, vel circa operationes. Cum enim contingat ratiocinari recte & non recte, oportet dare virtutem aliquam, quæ sit recta ratio, per quam de ipsis agibilibus rectas rationes faciamus. Rursus cum contingat operari recte & non recte, sic vt est dare virtutem, per quam dirigimur in ratiocinando de agibilibus: sic est dare virtutem, per quam dirigimur in operanda ipsa agibilia. Amplius quia contingit nos passionari recte & non recte, oportet dare virtutes aliquas, per quas modificentur in ipsis passionibus. Cum ergo passiones quædam impellant nos ad malum, vt passiones concupiscibiles, quia proni sumus ad agendum illa: quædam vero retrahunt nos à bono, vt passiones irascibiles: circa passiones oportet dare virtutem aliquam, ne passiones nos impellant ad id quod ratio vetat: & oportet dare virtutem aliam, ne passiones retrahãt

nos

nos ab eo, quod ratio dictat. Omnis ergo virtus, vel rectificat rationes, vel æquat operationes, vel modificat passiones, ne nos impellant ad id quod ratio vetat: vel modificat eas, ne nos retrahant ab eo quod ratio dictat. Et quia Prudentia principaliter rectificat rationes, Iustitia principaliter æquat operationes, Temperantia principaliter modificat passiones ne nos impellant ad id quod ratio vetat, Fortitudo principaliter modificat eas ne nos retrahant ab eo quod ratio dictat: ideo ratione materiæ circa quam versantur huiusmodi virtutes, dicuntur hæ quatuor cardinales & principales; quia sunt circa materiam illam, circa quam principaliter versatur humana vita. Secunda via ad inuestigandum has esse virtutes cardinales & principales, sumi potest ex parte subiecti, in quo existunt. Dictum est enim supra, virtutes, de quibus loquimur, esse in quatuor potentijs animæ, videlicet, in intellectu, in voluntate, in irascibili, in concupiscibili: cum ergo in intellectu practico principalior virtus sit prudentia, in voluntate (loquendo de virtutibus acquisitis) principalior sit Iustitia, in irascibili vero principalior sit Fortitudo, & in concupiscibili Temperantia: ideo hæc quatuor virtutes, scilicet Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Têperantia, principales & cardinales esse dicuntur. Tertia via sumitur ex parte côditionum, quæ ad quamlibet uirtutem requiruntur. nam omnis actus, si virtuosus esse debet, oportet quod fiat prudenter, iuste, fortiter, & temperate: ideo hæ quatuor uirtutes, principales & cardinales esse dicuntur. In alijs ergo uirtutibus potest esse aliqua principalitas, sicut magnanimitas quandam principalitatem habet super uirtutes alias, quia secundum Philosophum 4. Ethicorum, Magnanimitas uidetur esse ornatus quidam omnium aliarum uirtutum. Sic etiam & Magnificentia quandam principalitatem habet propter magnitudinem sumptuum, circa quem uersatur. Habent ergo aliæ uirtutes quandam principalitatem, sed hæ qua- *Eth. 4. cap. 3.*

tuor

tuor simpliciter principales, & cardinales esse dicuntur: quod quomodo sit, in prosequendo de eis singulariter plenius ostendetur. Si ergo hæ quatuor sunt principales, & cardinales respectu aliarum, primo de his quatuor est dicendum. Rursus quia prudentia est principalior omnibus alijs, cum sit directiua omnium aliarum, & iustitia sit principalior qnod fortitudo & temperantia, cum iustitia sit circa commutationes rerum, & circa distributiones bonorum, & erga quæ principaliter versatur vita nostra: & quia fortitudo est principalior quam temperantia, cũ fortitudo magis ordinetur ad bonum gentis, & ad bonum commune quam ipsa temperantia: ideo hic ordo est tenendus. Primo dicemus quid est prudentia, & quod decet Reges, & Principes esse prudentes. Secundo determinabimus de ipsa Iustitia, ostendentes quod decet Reges, & Principes esse iustos. Deinde determinabimus de Fortitudine, & Temperantia, declarantes quod contingit Reges & Principes esse fortes & temperatos. Consequenter vero tractabimus de Magnitudine, & Magnificentia, & alijs uirtutibus, manifestantes, quomodo decet Reges & Principes talibus uirtutibus esse perfectos.

Quomodo diuersimode notificari potest, quid est prudentia. Cap. VI.

PRudentia autem, de qua primo tractare intendimus, ad diuersa comparari habet, & prout ad diuersa comparatur, aliam & aliam notificationem suscipit. Quantũ enim ad præsens spectat, prudentiam ad quinque comparari possumus; videlicet, ad virtutes morales, quarum est directiua: ad virtutes intellectuales, respectu quarum est præceptiua: ad materiam, circa quam versatur: ad scientiam, & ad artem, à quibus distinguitur. Est enim prudentia virtutum moralium directiua: nam virtutes mora-

morales de se inclinant in finem sibi conuenientem, vt Temperantia inclinat in sobrietatem, & in detestationem venereorum: sed non sufficit inclinari in finem debitum temperantiæ, vel in finem aliarum virtutum moralium, nisi sciamus, quomodo possumus consequi talem finem, quod fit per prudentiam. Per virtutes ergo morales præstituimus nobis debitos fines: sed per prudentiam (cum habemus) dirigimur in fines illos. Accipiat autem prudentia fines illos à virtutibus moralibus: & per ea quæ sunt ad finem, recte dirigit in fines illos. Quare prudentia, vt comparatur ad virtutes morales, sic diffiniri potest, quòd est perfectio intellectus, siue quòd est bona qualitas mentis, directiua in finem virtutum moralium. Secundo potest comparari Prudentia ad virtutes intellectuales, respectu quorum est præceptiua: prout enim ad præsens spectat, si circa agibilia bene negociari volumus, tria habere debemus. Primo debemus diuersas vias inuenire. Secundo de inuentis debemus iudicare. Tertio debemus præcipere vt fiant opera secundum inuenta & iudicata: vt si vellemus secundum opera bellica castrum aliquod capere. Primo inueniendæ essent viæ, & cogitãdi essent modi, per quos castrum istud capi posset. Secundo iudicandum esset de vijs inuentis, vtrum bonæ essent ad propositum prosequendum. Tertio præcipiendum esset vt fierent opera secundum inuenta & iudicata. In intellectu ergo nostro debent esse tres virtutes. vna per quam bene inueniamus & bene cõsiliemur, quam Philosophus Ethic. 6. appellat eubuliam, idest bene consiliatiua. Alia vero per quam bene iudicamus de inuentis, quam Philosophus appellat synesin, idest bene iudicatiuam. Tertia, per quam præcipiamus vt fiant opera secundum inuenta & iudicata, & hanc dicimus esse prudentiam. Prudentia ergo respectu virtutis inuentiuæ & iudicatiuæ dicitur esse præceptiua: quia quod illæ inueniunt & iudicant, ista præcipit vt fiat. Prudentia ergo immediatus dirigit

Eth. 6. cap. 9. εὐβουλία σύνεσι.

in

in opera fienda, eo quod præcipiat illa fieri, quam faciat virtus inuentiua & iudicatiua. Cum ergo in moralibus actus & opera dicantur esse potiora, Prudentia, quæ immediatius se habet ad ea, est potior virtute inuentiua & iudicatiua. Prudentia ergo respectu virtutis inuentiuæ & iudicatiuæ, quæ sunt virtutes intellectuales, sic diffiniri potest, quòd est præceptiua inuentorum & iudicatorum.

Eth. 6. Vnde Ethic. 6. dicitur, quod sicut eubuliæ est inuenire, & synesis est iudicare: sic prudentiæ est præcipere. Tertio, Prudentia comparari potest ad materiam, circa quã versatur. cum enim Prudentia sit circa agibilia, & agibilia sint singularia, oportet prudentiam esse circa particularia, applicando vniuersales regulas ad singularia nego-

Eth. 6. cap. 8. cia, vt Ethic. 6. declarari habet. comparatiua ergo prudentia ad materiam circa quam versatur, sic describi potest, quod prudentia est virtus secundum vniuersales maximas particularia facta concernens. Huiusmodi autem vniuersales regulæ sunt bonæ leges, debitæ consuetudines, & alia per quæ regulari possumus in agendis. Quarto comparari habet prudentia ad ipsam scientiam, à qua distinguitur: nam scientia proprie, est de rebus neces-

Arit. 1. Boet. sarijs, iuxta Boetium primo Arithmeticæ, Scientia est eorum quæ immutabilem substantiam sortiuntur: Prudentia autem est actuum humanorum, & rerum contingentium, quæ sunt in potestate nostra. Quinto comparari potest prudentia ad artem, à qua etiam distingui habet. nam ars est respectu factibilium, & non præsupponit rectitudinem voluntatis: Prudentia vero est respectu agibilium, & præsupponit rectitudinem appetitus: pro-

Eth. 6. cap. 5. pter quod scribitur Ethic. 6. quod artifex voluntarie peccans, est melior, quam peccans inuoluntarie: prudens vero voluntarie peccans, est peior. In operibus ergo deseruientibus arti, melius est peccare voluntarie, quam inuoluntarie: sed in operibus deseruientibus ad vitam, circa quæ versatur prudentia, peius est peccare volunta-

rie, quam inuoluntarie. Prudentia ergo, quia nullus potest esse prudens nisi sit bonus & habeat voluntatem rectam, non est ars, sed virtus. Prout ergo prudentia comparatur ad artem à qua distinguitur, sic diffiniri potest, quam est recta ratio agibilium, præsupponens rectitudinem voluntatis. Ex omnibus ergo his, de ipsa prudentia vnam communem descriptionem formare possumus, dicendo, quod Prudentia est virtus intellectualis, directiua virtutum moralium, præceptiua secundum inuenta, & iudicata secundum vniuersales maximas, particularia contingentia agibilia concernens, præsupponens rectitudinem voluntatis.

Quòd decet Reges & Principes esse prudentes. Cap. VII.

VIso quid est prudentia, & ostenso quod per prudentiam recte dirigimur in bonum finem, in quem inclinant virtutes morales: restat ostendere, quod decet Reges, & Principes esse prudentes. Sunt autem (quantum ad præsens spectat) tria quæ maxime Rex attendere debet. Primo enim spectat ad ipsum summe intendere, vt sit Rex secundum rei veritatem, & non nomine tantũ. Secundo studere debet, ne suus principatus in tyrannidẽ conuertatur. Tertio studere debet, vt naturaliter dominetur. Triplici ergo via inuestigare possumus, quod decet Regem esse prudentem. Primo, quia sine prudentia non est Rex secundum rei veritatem, sed nomine tantũ. Secundo, quia sine ea de facili vertitur in tyrannum. Tertio, quia sine ipsa non potest naturaliter dominari. Prima via sic patet. Nam Rex est nomen officij, & dignitatis. Est enim Regis officium, vt suam gentem regat, & dirigat in debitum finem. quod ipsum nomen Regis ostendit, nomen enim regum à regendo sumptum est: regere

autem

autem alios, & dirigere ipsos in finem debitum, fit per prudentiam. Vnde dicitur Ethic. 6. quod illos extimamus esse prudentes, qui sibi & alijs possunt bona speculari & prouidere. Prudentia ergo est quidam oculus, quo bonus & debitus finis conspicitur. Qui ergo hoc oculo caret, non sufficienter videre potest ipsum bonum, nec ipsum debitum finem, in quem est populus dirigendus. Sicut ergo sagittator non posset sufficienter sagittare, siue sagittam in signum dirigere, nisi ipsum signum videret: sic nec Rex potest populũ dirigere siue regere, & ipsum in debitum finem dirigere, nisi ipsum finem per prudentiam speculetur. Si ergo sine prudentia nullus potest sufficienter gentem regere, & ipsam dirigere in finem bonum & debitum, sine ea nullus erit Rex secundum rei veritatem, & vt decet licet forte sit rex appellatione & nomine. Videtur enim quod vir sine prudentia positus in dignitate regia, sit denarius æneus, vel plumbeus positus in computo mercatorum, Mercatores enim cum ratiocinando computant, aliquando vnum denarium æneum vel plumbeum ponunt loco mille librarũ: quod ergo non valet vnum ouum, repręsentat valorem magni precij. denarius ergo ille magis est signum valoris, quã valeat. Sic si vir prudentia careat, & regia dignitate fungatur, cum ipse parui valoris sit, est loco magni precij, magis ergo est signum regis, quam sit Rex. Vt igitur sit Rex non solum nomine sed re, decet ipsum habere prudentiam. Secundo hoc decet eum, ne de facili in tyrannum conuertatur. Dictum enim est, quod per prudentiã dirigimur in bonum finem, in quem inclinant virtutes morales. Est enim prudentis, prouidere bona sibi & alijs, & dirigere se & alios in optimum finem. Si ergo aliquis prudentia careat, per quam dirigimur in optima bona secundum veritatem, de facili efficietur tyrannus: quia diuitias & bona exteriora, quæ sunt bona optima secundum apparẽtiam, credet esse optima simpliciter. Immo

Eth. 2. cap. 5.

quia

quia imprudentes non cognoscnnt nisi sensibilia bona, cuiusmodi sunt diuitiæ & bona exteriora; prudentia carens, quia non cognoscet, non reputabit nisi sensibilia bona, & dimissis uirtutibus totum studium suum ponet, ut affluat diuitijs, & sensibilibus bonis. Efficietur ergo deprædator populi, dominabitur tyrannice, non curabit qualitercunq; possit pecuniam extorquere. Tertio decet Reges, & Principes habere prudentiam, quia sine ea non possunt naturaliter dominari. Nam (vt declarari habet 1. Polit.) ex hoc est aliquis naturaliter seruus, quia deficit intellectu, & nescit seipsum regere. Ex hoc autem naturaliter est Dominus, quia viget intellectu & prudentia, & nouit se & alios in debitum finem dirigere. Hãc enim veritatem non solum approbant physica dicta, sed etiam confirmant singula regimina naturalia. Videmus enim naturaliter homines dominari bestijs, Viros fœminis, Senes pueris. Homines naturaliter dominantur bestijs, quia hominum genus viget prudentia: bestiæ enim prudentia & arte parum participant. Sic etiam viri dominantur fœminis, quia (vt declarari habet 1. Politic.) fœmina habet consilium inualidum. Communiter enim fœminæ deficiunt à virorum prudentia: quod si reperiantur mulieres aliquæ prudentiores viris, hoc est vt raro, & in paucioribus vt plurimum. Ergo fœmina viro naturaliter debet esse subiecta, eo quod naturaliter deficiat a viri prudentia. Hoc etiam modo iuuenes naturaliter decet antiquioribus esse subiectos, quia inexperti agibilium non sic abundant prudentia, sicut alij. Vbicunq; igitur hoc naturaliter seruit, & illud natureliter dominatur, semper principans pollet prudentia, à qua deficit qui naturaliter seruus existit. Vt igitur Rex naturaliter dominetur oportet quod polleat prudentia, & intellectu.

Pol. 1. c. 3. 4.

Pol. 1.

Quot, & quæ oporteat habere Regem, si debeat esse prudens. Cap. VIII.

QVoniam nunquam perfecte habetur aliquod totum, nisi habeantur partes eius: si debeat aliquis esse perfecte prudens, oportet ipsum habere omnia quæ concurrunt ad prudentiam, & omnes partes eius. Consueuerunt autem assignari octo partes prudentiæ, videlicet, memoria, prouidentia, intellectus, ratio, solertia, docilitas, experientia, & cautio. Quare si Rex, aut Princeps debeat esse prudens, oportet ipsum esse memorem, prouidum, intelligentem, rationabilem, solertem, docilem, expertum, & cautum. Hæc autem octo, quæ dicuntur esse partes prudentiæ, sic accipi possunt. Nam (vt patet ex habitis) ex hoc aliquis dicitur esse prudens, quia est sufficiens dirigere se, & alios in aliqua bona, siue in aliquos bonos fines. Quatuor ergo est ibi considerare, videlicet, bona, ad quæ dirigit: modum, per quem dirigit: personam dirigentem, & gentem, quam dirigit. Ratione bonorum ad quæ dirigit, oportet Regem esse memorem, & prouidum: propter modum secundum quem dirigit, oportet ipsum esse intelligentem, & rationabilem: ratione propriæ personæ quæ alios est dirigens, oportet quod sit solers, & docilis: ratione vero gentis quam dirigit, congruit quod sit expertus & cautus. Si enim Rex debet gentem aliquam ad bonum dirigere, oportet quod habeat memoriam præteritorum, & prouidentiam futurorum. Debet enim habere præteritorum memoriam, non quod possit præterita immutare, quia nulli agenti hoc est possibile, sed decet Regem habere præteritorum memoriam, vt posit ex præteritis cognoscere, quid euenire debeat in futurum. Nam (vt scribitur secundo Rhetoricorum) in contingentibus agibilibus, vt plurimum futura sunt præteritis similia. Secundo decet ipsum habere prouidentiam futurorum

Rhet. 2. cap. 19.

rorum

rorum: quia homines prouidentes futura bona, excogitant vias, per quas faciliter illa adipisci valeant. Ergo ratione bonorum, ad quæ Rex gentem suam dirigere debet, expedit vt habeat prouidentiam futurorum, vt facilius illa futura bona adipisci valeat, & vt habeat memoriam præteritorum, vt ex actis præteritis sciat quid agere debeat in futurum. Ratione vero modi per quem dirigit, oportet quod habeat intellectum & rationem; siue oportet quod sit intelligens & rationale. Modus enim, quo Rex suum populum dirigit, oportet quod sit humanus, quia Rex ipse homo est. Homo enim intelligit ratiocinando & discurrendo. accipit enim aliqua principia & aliquas præmissas, ex quibus elicit intentas conclusiones & hoc tam in speculabilibus, quam in agibilibus. Nam sicut fiunt rationes, vt demóstretur, quid sit verum cognoscendum: sic fiunt rationes, vt persuadeatur quid sit bonum prosequendum. Ratione igitur huiusmodi cognoscendi, qui est inditus hominibus, volens alios dirigere, oportet quod sit intelligẽs, cognoscendo principia, & præmissa, & rationalis, ratiocinando, & eliciendo ex illis præmissis conclusiones intentas. Vel oportet quod sit intelligens, sciendo leges, & consuetudines bonas, & alia quæ possunt esse Principia, & regulæ agendorum. Oportet autem quod sit rationalis, speculando ex illis regulis quid agere congruit. Sicut ergo ratione bonorum ad quæ dirigit, oportet Regem esse memorem, & prouidum: sic ratione modi per quem dirigit, oportet ipsum esse intelligentem, & rationalem. Sed ratione propriæ personæ quæ est alios dirigens, oportet quod sit solers, & docilis. Nam qui in tanto culmine est positus, vt tantam gẽtem regere habeat, oportet quod sit industris, & solers, vt sciat ex se inuenire bona gentis sibi commissæ. Verum quia nullus homo sufficit ad excogitandum omnia quæ possunt esse vtilia toti regno, cum hoc quod Regem expedit esse solertem ex se, quæ bona sunt regno vtilia ex-

cogitando, oportet ipsum esse docilem, aliorum consilijs acquiescendo. Possumus enim dicere de Rege, quod dicitur de Magnanimo 4. Ethicorum, quod non decet ipsum fugere commouentem. Non enim decet Regem in omnibus sequi caput suum, nec inniti semper solertiæ propriæ; sed oportet ipsum esse docilem, vt sit habilis ad capescendam doctrinam aliorum, acquiescendo doctrinis, & consilijs baronum, seniorum, sapientum, & diligentium regnum. Patet ergo quod ratione propriæ personæ quæ est alios dirigens, oportet Regem esse solertem, & docilem. Sed ratione gentis quam dirigit, oportet ipsum esse expertum, & cautum. Experientia enim est rerum particularium. prout igitur sunt alia, & alia particularia, & prout aliquis negociatur circa aliam, & aliam gentem, sunt alia, & alia exquirenda. oportet igitur Principem respectu gentis cui præest, esse expertum, cognoscendo particulares conditiones gentis sibi commissæ, vt possit eam melius in debitum finem dirigere. Vltimo oportet ipsum esse cautum. nam sicut in speculabilibus falsa aliquando admiscentur veris, propter quod creduntur vera, quæ non sunt vera, sed apparent vera: sic in agibilibus mala multotiés admiscentur bonis, propter quod creduntur bona, sed non sunt bona, sed apparent bona. Oportet igitur Regem esse cautum, respuendo apparenter bona, & eligendo bona simpliciter, ad quæ debet dirigere gentem sibi commissam.

Eth. 4. cap. 3.

Quo-

Quomodo Reges, & Principes possunt seipsos prudentes facere. Cap. IX.

ANima in sedendo, & quiescendo fit prudens, vt vult Philosophus 7. Physicorum. Reges ergo & Principes, si desiderant esse prudentes, non debent vanitatibus intendere: sed maiorem partem vitæ suæ debent expendere in cogitando quę possunt esse regno proficua. Quod non sic intelligendum est, vt nullas recreationes corporales habere debeant, sed debent eis adeo moderate vti, vt non impediantur in regimine regni sui. Seipsos ergo poterunt prudentes facere, vt naturaliter regnum regant, excogitando primò tempora retroacta, sub quibus temporibus regnum melius regebatur, propter quod habeant memoriam præteritorum, ex quibus scire poterunt, quid agendum sit in futurum. Nam semper debet suum regimen conformare regimini retroacto, sub quo regnum tutius, & melius regebatur. Nam sicut in speculando, & cogitando quæ antiqui Philosophi conscripserunt, sumus sapientiores in speculabilibus: sic Reges & Principes cogitando acta suorum prædecessorum, fiunt magis prudentes in agibilibus. Secundò debent diligenter intueri futura bona, quæ possunt esse proficua regno: & mala, quæ possunt esse nocina. Nam ex hoc habebunt prouidentiam futurorum, vt possint mala expeditius vitare, & bona facilius adipisci. Tertio debent sæpe recogitare bonas consuetudines, & bonas leges: nam talia sunt maxime principia agibilium, sicut intellectus principiorum est. Tanto ergo Rex magis intelligens est circa agibilia, quanto plures bonas leges, & bonas consuetudines in mente habet: ex quibus scire potest, quid in quolibet negotio sit agendum.

Phil. Phys. 7.

dum. Quarto sæpe sæpius excogitare debet, quomodo per huiusmodi bonas leges, & consuetudines debite regnum regat, eliciendo ex eis debitas conclusiones agibilium. Non enim sufficit esse intelligentem, habendo cognitionem legum, & consuetudinem, quæ sunt principia agibilium: nisi quis sit rationalis, ex illis legibus, & consuetudinibus debitas conclusiones agibilium eliciendo. quod quomodo fieri debeat, in tertio Libro, vbi agetur de regimine regni, plenius ostendemus. Reges igitur, dando operam illis octo, quæ ad prudentiam requiruntur, de quibus in præcedenti capitulo fecimus mentionem, poterunt seipsos prudentes facere. Verum quia malitia est corruptiua principij. sicut enim quis habens corruptum gustum, male iudicat de saporibus, credit enim aliquid esse dulce quod est amarum, & è conuerso: sic habens infectam, & depravatam voluntatem, excæcatur in intellectu, vt male iudicet de agibilibus; iudicat enim esse agendum quod est fugiendum, & è conuerso. Bene igitur dictum est, quod scribitur Ethicorum 6. quòd impossibile est prudentem esse, non existentem bonum. Deprauat enim malitia iudicium, vt aliquis imprudenter agat propter malitiam deprauantem voluntatem. Quare si Reges, & Principes volunt esse prudentes, cum hoc quod debent esse memores, prouidi, solertes, & dociles, & alia, quæ superius diximus, oportet ipsos esse bonos, & non habere voluntatem deprauatam; ne propter malitiam appetitus imprudenter agant, & iudicent esse agenda, quæ sunt fugienda.

Eth. 6. cap. 12.

Quot

Quot sunt modi iustitiæ, & circa quæ iustitia habet esse, & quomodo ab alijs virtutibus est distincta. Cap. X.

Philosophus in 5. Ethicorum distinguit duplicem Iustitiam, legalem, & æqualem. Legalis enim Iustitia est quid generale, & quodammodo omnis virtus. Iustitia vero æqualis, est quid speciale, & est quædam particularis virtus. Nam ex hoc est quis iustus legalis, quia adimplet præcepta legis. Sed (vt dicitur primo Magnorum Moralium) lex præcipit actus omnium virtutum. Præcipit enim lex operari fortia & temperata, & vniuersaliter omnia quæ dicuntur secundum virtutes. vnde ibidem dicitur, quod Iustitia legalis est perfecta virtus. Sic etiam Ethicorum 5. scribitur, quod lex præcipit non derelinquere aciem, neque fugere, neque obijcere arma, quod spectat ad fortitudinem. & præcipit non mœchari, quod pertinet ad temperantiam. & non percutere, neque contendere, quæ sunt opera mansuetudinis. Lex igitur vniuersaliter iubet omnem virtutem implere, & malitiam fugere. Quare Iustitia legalis, idest impletio legis, est quodammodo omnis virtus. Iustitia autem æqualis, est quædam virtus specialis, per quam redditur cuilibet quod est æquum, idest quod sibi debetur. Differentia autem harum Iustitiarum sic potest accipi. Nam (vt scribitur Ethicorum 5.) Iustitia est in ordine ad alterum: prout igitur ciues habent ordinem ad se inuicem, & ad rempublicam, & ad legislatores seu ad ipsum Regem, habet esse in eis Iustitia legalis, & æqualis. Nam in ipsis ciuibus, ex eo quod habent huiusmodi ordinem, vel quæritur bonum commune, vel bonum speciale & propriũ. Si quæritur commune bonum: sic est in eis Iustitia lega-

Eth. 5. cap. 12.

Magnorum Moralium cap. 34.

Eth. 5. cap. 1.

Eth. 5. cap. 1.

lis. Si autem quæritur in ipsis aliquod bonum priuatum: erit in eis Iustitia æqualis. Bonum enim commune resultat ex omni bono ciuium: res enim publica, & tota ciuitas melior est, qualitercunque ciues boni sint. Siue enim ciues sunt boni in se, siue in ordine ad alios, semper ciuitas melior est quæ ex melioribus ciuibus constat: & quanto pluribus modis sunt boni Ciues, tanto magis est bona Ciuitas. Leges igitur quia intendunt commune bonum, præcipiunt omnem modum bonitatis. Esse igitur Iustum secundum legem, & implere legalem Iustitiam, est sequi omne bonum, & fugere omne vitium, & habere quodammodo omnem virtutem. propter quod legalis Iustitia dicta est quodammodo omnis virtus, quia exercet opera omnium virtutum. Non est autem simpliciter legalis Iustitia omnis virtus, quia est virtus distincta à qualibet virtute. Sed dicitur esse quodammodo omnis virtus, quia non determinat sibi specialem Iustitiam. Differt autem huiusmodi Iustitia à qualibet virtute in duobus: nam licet eadem opera agat Iustus legalis, quæ agit fortis, & temperatus: non tamen aget ea secundum eandem intentionem, vel secundum eandem rationem formalem. Nam qui agit opera fortia, quia delectatur in talibus, fortis est, & agens temperata, quia delectatur in ipsis, temperatus est. Sed agens talia, non quia delectatur in eis, sed quia ea lex præcipit, & vult implere legem, iustus legalis est. Iustus ergo legalis, per se, & secundum quod homo, delectatur in impletione legis. Si autem delectatur in operibus singularium virtutum, hoc est ex consequenti, prout omnia talia opera sunt à lege præcepta. Fortis autem, & temperatus, vel perfectus secundum virtutes alias, per se & primo delectatur in operibus conuenientibus virtutibus, quibus ornatur. Si autem delectatur in impletione legis, hoc est ex consequenti, prout agendo talia opera, legem implet. Ex ista autem differentia sequitur secunda: nam cum fortis, & tem-

temperatus delectetur in operibus talium virtutum. secundum se virtutes illæ perficiunt habentem eas, & vt est aliquis secundum se. Sed iustus legalis, quia delectatur in operibus illis, prout implet legem, Iustitia legalis non perficit hominem secundum se, sed perficit ipsum, vt habet ordinem ad leges. Leges autem traduntur ab ipso Principe, & sunt traditæ ipsis ciuitatibus subditis imperio Principis, cuius est leges facere. Perfici ergo in ordine ad leges, est perfici in ordine ad Principem, cuius est legem ferre, vel in ordine ad totam Ciuitatem, cui lex imponitur. Iustitia ergo legalis licet faciat illa eadem opera, quæ facit Temperantia, & Fortitudo: perficit tamen ipsum habentem in ordine ad alium, vt in ordine ad Principem, vel ordine ad Ciuitatem: non obstante quod Temperatia, & Fortitudo, & aliæ virtutes huiusmodi perficiant habentem secundum se. patet ergo, quomodo Iustitia legalis est quodammodo omnis virtus, & quod non determinat sibi specialem Iustitiam, sed agit opera specialium virtutum. Iustitia vero æqualis non est omnis virtus, nec agit opera singularum virtutum, sed determinat sibi specialem Iustitiam, eo quod in ea intenditur speciale bonum. Nam licet qualitercunque ciuis bonus sit, ex hoc resultet commune bonum, & sit inde melior ciuitas, & qualitercunque malus sit, inde peior ciuitas: non tamen ex quacunque bonitate vnius ciuis per se, & secundum quod huiusmodi resultat bonitas alterius ciuis: nec quæcunque prauitas vnius ciuis per se loquendo infert malum alteri ciui. Sed si in bonis exterioribus aliquis malus sit, vt quod velit habere plus de ijs, quam eum deceat: ex hoc infertur nocumentum alijs ciuibus: quia si ille habet inde plus, alij habent inde minus. Iustitia ergo specialis, per quam vitatur malum aliquod speciale, prout ex malitia vnius ciuis infertur nocumentum alteri, determinat sibi specialem materiam, & habet esse circa hæc bona exterio-

ra,

ra, in quibus ciues communicant. Dicta est igitur hæc Iustitia æqualis, quia potissime innittitur æqualitati, vt quod vnusquisque in huiusmodi exterioribus bonis habeat quod æquum est. Inde est ergo quod hæc Iustitia dicitur vnicuique suum tribuere, quia ius in quadam æqualitate consistit: hæc autem vnicuique tribuit quod iustum vel æquum est. Sic etiam dicitur vnicuique tribuere quod suum est: quia æquum est, quemlibet possidere sua. Si igitur hæc Iustitia specialis æqualis dicitur, & æqualitati intendit: cum bona exteriora dupliciter ciues inæqualiter participare possint, dupliciter erit huiusmodi particularis Iustitia. Accidit autem aliquos participare bona inæqualiter in commutationibus, vt in emptionibus, venditionis, mutationibus, & locationibus. Contingit enim in vendendo, emendo, locando, mutuando, dare parum, & accipere multum, vel etiam è conuerso. quod sine inæqualitate esse non potest. Rursus contingit inæqualitas in distributionibus, quia aliquando aliqui plus laborantes pro Republica, minus accipiunt: immo hæc Iustitia quodammodo deprauata est, vt plurimum enim homines acceptatores sunt personarum, distribuentes honores indignis, & repellentes dignos. Erit igitur dupliciter specialis Iustitia, commutatiua, & distributiua. Omnis enim Iustitia, siue sit legalis, seu commutatiua, seu distributiua, semper perficit habentem in ordine ad alium. Magis tamen Iustitia commutatiua, & distributiua perficit habentem in ordine ad alium, quam legalis. Sed de hoc forte alibi erit locus. Ad præsens autem in tantum dictum est, quod declarata sunt illa tria, quæ in principio capituli proponebantur. Ostensum est enim, quot sunt modi Iustitiæ: quia quædam est Iustitia generalis, quæ dicitur legalis: & quædam specialis, quæ dicitur æqualis. & hoc dupliciter, quia quædam distributiua, quædam commutatiua. Rursus declaratum

mus est, circa quæ habet esse Iustitia, quia Iustitia Legalis habet esse circa totam materiam moralem, & circa omnia opera virtutum: non secundum se accepta, sed prout per ea est impletio legis. Tertio ostensum est quomodo differt Iustitia à virtutibus alijs: quia virtutes aliæ magis perficiunt hominem in se, iustitia vero, siue sit legalis, siue distributiua, siue commutatiua, perficit hominem in ordine ad alium.

Quòd absque iustitia nequeunt regna subsistere. Cap. XI.

DIcebatur in præcedenti capitulo duas esse Iustitias, vnam generalem, & aliam specialem. Ad hoc autem vt regna subsistant & pacifice maneant, vtraque Iustitia est necessaria. Quòd quidem absque Iustitia generali regna durare non possint, duplici via inuestigare possumus. Prima sumitur ex parte ipsius Iustitiæ generale. Secunda, ex parte regni, in quo debet talis Iustitia obseruari. Prima via sic patet: nam (vt in præcedenti capitulo dicebatur) Legalis Iustitia est quodammodo omnis virtus. Habere enim huiusmodi Iustitiam, est implere legem. Si ergo lex iubet omne bonum, & prohibet omne malum: implere legem, est esse perfecte virtuosum. Ideo primo Magnorum moralium, capitulo de Iustitia, dicitur, quod legalis Iustitia est perfecta virtus. ergo per locum ab opposito, legalis Iniustitia est integra, & perfecta malitia. In nullo ergo obseruare leges, & ciues non participare in aliquo legalem Iustitiam, est eos esse integre & perfecte malos. Sed (vt dicitur Ethic. 4. cap. de mansuetudine) malum se ipsum destruit: & si integrum sit, importabile fit. Importabile igitur esset illud regnũ, & durare non posset illa ciuitas, cuius

cap. 34.

Eth. 4. cap. 5.

cuius ciues integre essent mali, & in nullo vellēt implere legem, nec vellent in aliquo participare legalem Iustitiam. Ex parte igitur ipsius legalis Iustitię, quæ est perfecta virtus, cuius oppositū est perfecta malitia, probari potest quod absq; legali Iustitia non valent regna subsistere. Secunda via ad inuestigandum hoc idem sumitur ex parte ipsius regni. Regnum enim & omnis politia est quidam ordo, & quidam principatus. Cum igitur ordo, & principatus sit ipsorum subditorum per respectū ad leges, & ad Principem, cuius est leges ferre, vt declarari habet in Politicis: si ciues non participarent legalem Iustitiam, non reseruaretur in eis ordo nec ad leges, nec ad Principem. Non ergo vlterius reseruaretur in eis politia, nec esset vlterius regnū. Facile est ergo ostendere, quod absq; legali Iustitia regna durare non possunt. Sed quod absq; Iustitia speciali, quæ diuiditur in Iustitiam commutatiuam, & distributiuam, non subsistat regnū, sic declarari potest. Quodlibet enim regnum, & quælibet congregatio assimilatur cuidā corpori naturali. Sicut enim videmus corpus animalis constare ex diuersis membris connexis, & ordinatis ad se inuicem: sic quodlibet regnū, & quælibet congregatio constat ex diuersis personis connexis, & ordinatis ad vnum aliquid. Vt ergo liceat figuraliter loqui, in membris eiusdem corporis est quodammodo duplex Iustitia, commutatiua, & distributiua. Iustitia enim propria sumpta, non est nisi ad alterum, & non est nisi diuersarum personarum. Metaphorice tamen, & per quandam similitudinem, est Iustitia eiusdem ad se ipsum, & in mēbris eiusdem corporis possumus aliquo modo contemplari Iustitiam. Vnius enim, & eiusdē corporis membra habent ordinem ad se inuicem; & ordinantur ad vnum aliquid, vt ad cor, a quo recipiunt motum, & vitalem influentiam. Vt ergo membra habent ordinem ad se inuicem, est in eis quodammodo Iustitia cōmutatiua. Sed vt ordinantur ad cor, aliquo modo reseruatur

uatur in ipsis Iustitia distributiua. Ex hoc enim inter aliquos commutatiua Iustitia; quia vnus abundat in vno, in quo alter deficit:& deficit in alio,in quo ille abundat. Ideo vt quilibet suæ indigentiæ prouideret, inuenta fuit commutatiua Iustitia. Contingit enim aliquem abundare in pecunia,in qua alter deficit:& deficere in frumento, in quo ille abundat. Per commutatiuam ergo iustitiam huiusmodi superabundantia,& defectus reducitur ad æqualitatem:quia vnus dat pecuniam qua abundat, & recipit frumentum quo indiget. Alter vero tribui frumentum quo affluebat,& suscipit pecuniam qua caret. Est igitur commutatiua Iustitia,prout vnus ordinat bona sua in vtilitatem alterius,& econuerso. Hunc autem modo reperimus in membris eiusdem corporis. Oculus enim pollet acumine visus:deficit tamen à potentia gressiua,quia non potest pergere. Pes autem abundat ingressiua potentia: deficit tamen in visione, quia nihil videt. Oculus igitur secundum visionem in qua abundat, subuenit indigentiæ pedis, quia dirigit ipsum. Pes autem per potentiam gressiuam qua pollet,subuenit indigentiæ oculi,quia portat eum. Nisi igitur membra sic suæ indigentiæ subuenirent: vt nisi manus purgaret oculum, & oculus dirigeret manum:& nisi pedes portarent caput,& caput dirigeret pedes: corpus naturale non posset subsistere. Sic quia nullus homo sufficit sibi ad viuendum, nisi ciues per commutatiuam Iustitiam sibi inuicem subuenirent: vt quod vnus communicaret alteri illud in quo superabundat, & acciperet illud in quo deficit,ciuitas durare non posset. Sicut ergo in membris eiusdem corporis, prout habent ordinem ad se inuicem,& sibi inuicem suæ indigentiæ subueniunt, est in eis quædam commutatiua Iustitia,sine qua corpus naturale durare non posset:sic prout ciues eiusdem ciuitatis, vel regni habent ordinem ad se inuicem,& sibi inuicem secundum quandam commutationem suis indigentijs satisfaciunt, est in eis commuta-

 ciua

tiua Iustitia, sine qua ciuitas, vel regnum non posset subsistere. Secundo in membris est quædam distributiua Iustitia, prout habent ordinem ad ipsum cor. Nam cor singulis membris secundum suam proportionem, & dignitatem influit eis spiritum vitalem, & motum: ita quod principium vitæ, & principium mouendi est in corde, sicut forte principium sentiendi est in cerebro. Sic & in ciuibus est distributiua Iustitia, prout ordinantur ad vnum aliquid, vt ad Regem, vel ad ducem, qui secundum eorum virtutem, & dignitatem debet eis honores, & bona tribuere. Sicut ergo corpus naturale non subsisteret, nisi in eo reseruaretur quędam distributiua Iustitia, vt quod cor membris debite influere: sic regnum vel ciuitas non potest subsistere, nisi reseruetur in ea distributiua iustitia, vt quod Rex siue Princeps debite honores, & bona distribuat. Est autem diligenter notandum, quod sicut non quælibet inæqualitas tollit vitam corporis naturalis, tamen quælibet inæqualitas ægrotat, & infirmat ipsum: sic non quælibet Iniustitia corrumpit totaliter regnum, & politiam, tamen per quamlibet Iniustitiam regnum, & politia infirmatur, & disponitur ad corruptionem. Patet igitur quod prout ciues habent ordinem ad se inuicem, est in eis Iustitia commutatiua. Prout vero habent ordinem ad Regem, vel ad Principem, reseruatur in eis Iustitia distributiua. Prout vero adimplent leges, est in illis Iustitia legalis. Quocunq; tamen modo sumatur Iustitia, sine ea ciuitas vel regnum durare non potest. Bene ergo dictum est, quod dicitur 1. Magnorum moralium, cap. de iustitia, quod iustum est quoddam proportionabile, & continet vrbanitates. Nam sicut anima continet corpus, quia recedente ea, corpus dissoluitur, & marcescit: sic iustitia continet vrbanitates idest ciuitates, & regna, quia sine ea dissoluitur ciuitas, & non possunt regna subsistere. valde igitur iniuriatur regno & regi, qui Iustitiam non obseruet. Si igitur Iustitia est tantum bonum

suis Regis,

Regis, & regni, summo opere Rex studere debet, vt in suo Regno, seruetur Iustitia, non solum ijs, qui in regno nati sunt, sed etiam peregrinis, & aduenis. Cuicumque enim negetur Iustitia, manifeste Regi & Regno infertur iniuria.

Quòd maxime decet Reges, & Principes esse iustos, & in suo Regno iustitiam obseruare. Cap. XII.

SAtis per præcedens capitulum persuadetur Principibus atque Regibus, vt sint iusti, & vt obseruent Iustitiam: cum sine ea ciuitates, & regna durare non possint, Tamen quia est animus hominis generosus, & semper auidus nouas rationes audire: adducemus nouos modos, quibus ostēdi poterit, quod maxime decet Reges, & Principes esse iustos. Possumus autem hanc veritatem quadruplici via venari, secundum quatuor quæ tanguntur de Iustitia in 5. Ethicorum. Prima via sumitur ex parte personæ regiæ. Secunda ex parte ipsius Iustitiæ. Tertia ex perfectione bonitatis, quæ ex Iustitia innotescit. Et quarta, ex ipsa malitia, quæ ex iniustitia consurgit. Prima via sic patet. nam si lex est regula agendorum, vt haberi potest ex 5. Ethicor. ipse iudex, & multo magis ipse Rex, cuius est leges ferre, debet esse quædam regula in agendis. Est enim Rex siue Princeps quædam lex, & lex est quidam Rex siue Princeps. Nam lex est quidam inanimatus Princeps: Princeps vero est quædam animata lex. Quantum ergo animatum inanimatum superat, tantum Rex siue Princeps debet superare legem. Debet etiam Rex esse tantæ Iustitiæ, & tantæ æquitatis, vt possit ipsas leges dirigere: cum aliquo casu leges obseruari non debeant, vt infra patebit. Dubitare ergo, vtrum Rex debeat esse æqualis & iustus, est dubitare, vtrum ipsa regula

Eth. 5. cap. 2.

Eth. 5.

debeat

debeat esse regulata. Si enim regula ab æqualitate deficiat, nihil regulatum erit: cum omnia per regulam regulentur. Sic si Reges sint iniusti, disponunt regnum, vt in eo non obseruetur Iustitia. Maxime ergo studere debet, ne sint iniusti, & inæquales: quia eorum iniustitia, & inæqualitas tollit ab eis regiam dignitatem. Nam reges iniusti & si dominentur per ciuilem potentiam, non tamen digni sunt vt sint Reges. Cum enim deceat regulam esse rectam & æqualem, Rex quia est quædã animata Lex, & quædam animata regula agendorum, ex parte ipsius personæ regiæ maxime decet ipsum seruare Iustitiam. Secundo possumus inuestigare hoc idem ex parte ipsius Iustitiæ. Nam Iustitia est quoddam magnum bonum, & præclarum. Perficit enim (vt dictum est) hominem in ordine ad alium. Tunc autem maxime clarescit bonitas nostra, quando vsque ad alios se extendit. Vnde 5. Ethic. dicitur, quod præclarissima virtutum videtur esse Iustitia: & neque Hesperus, neque Lucifer est ita admirabilis, sicut ipsa. Hesperus enim & Lucifer est vna & eadem stella, quæ est valde pulchra, & clara: & propter sui pulchritudinem, & venustatem communi nomine appellatur Venus. Hæc autem stella aliquando præcedit solem, & tunc apparet in mane, & dicitur Lucifer. Aliquando vero sequitur ipsum, & tunc apparet in sero, & dicitur Hesperus. Est ergo intentio Philosophi dicere, quod Venus, quæ est tam pulcherrima stella, & quæ aliquando dicitur Lucifer, aliquando Hesperus, non sit ita pulchra, nec ita præclara, sicut est Iustitia, Pulchritudo stellarum non est ita admirabilis, sicut pulchritudo eius. Stellæ enim pollent pulchritudine corporali, & illuminant nos lumine corporali: sed Iustitia pollet pulchritudine honesta & spirituali, & ornat nos virtuali perfectione. Quanto igitur pulchritudo spiritualis excellit pulchritudinem corporalem, tanto pulchritudo Iustitiæ, & claritas eius admirabilior est claritate stellarum. Si ergo

Eth. 5. cap. 2.

decet

decet Reges & Principes habere clarissimas virtutes ex parte ipsius Iustitiæ, quæ est quædam clarissima virtus, probari potest, quod decet eos obseruare Iustitiam. Tertio hoc probari potest ex ipsa perfectione bonitatis, quæ ex Iustitia innotescit. Iustitia enim non solum est perfecta virtus in se, sed si sit in Regibus & Principibus ostendit eos esse perfecte bonos. Sic enim videmus in alijs rebus quod vnumquodq; perfectum est, cum potest sibi simile producere, & cum actio sua ad alios se extendit: vt tunc aliquid est perfecte calidum, quando potest alia calefacere, & quando actio sua ad alia se extendit. Et tunc est aliquis perfecte sciens, quando potest alios docere, & quando scientia sua ad alios se extendit. Ideo scribitur 1. Metaphys. quod signum omnino scientis, est posse docere. Ergo à simili, tunc est aliquis perfecte bonus, quando bonitas sua vsque ad alios se extendit. Inde est ergo, quod non cognoscitur perfecta bonitas hominum, nisi constituantur in aliquo principatu. Nam quandiu aliquis non habet regere nisi seipsum, non plene apparet qualis sit, nec perfecte cognoscitur bonitas eius. Sed quando constituitur in principatu aliquorum, quia oportet, quod bonitas sua ad alios se extendat, tunc melius apparet qualis sit, eo quod opera sua ad exteriora se extendãt. Si ergo nobis exteriora magis nota sunt, quanto aliquis in maiori principatu constituitur; quia opera sua ad plura se extendunt, magis apparet qualis sit. Ideo dicitur 5. Ethicorum principatus virum ostendit. Propter quod & prouerbialiter dicitur, Si quis vult cognoscere virum, ponat ipsum in aliquo principatu. Ex Iustitia ergo (quia est ad alterum) innotescit perfecta bonitas. Nam excepta Prudentia, quæ alijs virtutibus perfectior est, quia est earum directiua, omnes aliæ virtutes morales, quæ perficiunt hominem in se, se videntur habere ad Iustitiam, quæ perficit hominem in ordine ad alterum, sicut subditi, qui quodammodo solum habent regere seipsos, se

Met. 1.

Eth. 5. cap. 1.

habent ad Principem, cui bonitas, & regimen ad alios se extendit. Sicut ergo in Principe magis manifestatur perfectio bonitatis, quam in alijs: sic ex Iustitia magis manifestatur perfectio bonitatis, quàm ex alijs virtutibus moralibus. Decet ergo Reges & Principes esse iustos, tum quia debent esse regula agendorum, tum quia Iustitia est praeclara virtus, tum etiam quia ex ea manifestatur perfectio bonitatis. Quarto hoc decet Reges, & Principes ex magnitudine malitiae, quae ex iniustitia consurgit. Nã (vt dicitur 5. Ethicor.) sicut melior est qui non solum est bonus in se, sed etiam bonitas sua se extendit ad alios: sic peior est, qui non solum malus est in se, sed etiam malitia sua se extendit ad alios: & quantum ad plures se extendit malitia eius, tanto peior existit. Tanto igitur summopere studere debent Reges, & Principes vt seruent Iustitiam, & iniustitiam vitent: quanto ex eorum Iustitia potest consequi maius malum, & potest inferri pluribus nocumentum. Esset autem vlterius declarandum, quomodo Reges, & Principes possunt Iustitiam acquirere: & quomodo debeant Iustitiam obseruare. Sed in tertio libro, vbi agetur quomodo Regnum iuste Regi debeat, plenius ostendetur.

Eth. 5. cap. 1.

Quid est Fortitudo, & circa quae habet esse, & quomodo possumus nos ipsos fortes facere. Cap. XIII.

QVia circa quodcunque contingit peccare, & bene agere, oportet dare virtutem aliquam, per quam regulentur in agendo. Cum igitur circa timores, & audacias contingat aliquem se habere recte, & non recte, oportet dare virtutem aliquam circa timores, & audacias. Accidit enim aliquos timere timenda, & non timenda. Sunt enim aliqui adeò pauidi, quòd circunstantes muros timent.

ment. Aliqui vero adeò fatue audent, vt etiam Deum nõ timeant, quod non est Fortitudinis, sed insaniæ. Propter quod 1. Magnorum moralium scribitur, quod si quis val de impauidus existat, quod Deum non timeat, non est Fortis, sed insanus. Spectat igitur ad fortem timere timenda, & audere audenda. Erit igitur Fortitudo virtus quædam reprimens timores, & moderans audacias. Reprimit enim Fortitudo timores, ne per eos quis retrahatur ab eo, quod ratio dictat. Moderat autem audacias, ne quis audendo aggrediatur, quod ratio vetat. Viso quid est Fortitudo, restat videre circa quæ esse habeat talis virtus. Sciendum igitur, quod timere, & audere, proprie respiciunt pericula. Nullus autem timet, nisi imaginetur sibi periculum imminere: nec omnis dicitur audax, nisi aggrediatur aliquod terribile, & periculosum: Periculorum autem quædam sunt bellica, quædam autem ex alijs causis. Exponimur autem periculis non solum in bellis, sed etiam in mari, & in ægritudinibus, & in alijs circa quæ conuenit esse pericula. Rursus in periculis bellorum homines diuersimode se habent. Nam quidam timent: quidam audent. Audentes etiam diuersificantur. Nam quidam de leui aggrediuntur bellorum pericula: sed, cum aggressi sunt ea, si inuenerint resistentiam, non sustinent, sed fugam arripiunt. Quidam autem non de leui aggrediuntur bellum, sed cum aggressi fuerint, sustinent, & tolerant pericula bellorum. Cum igitur virtus sit circa bonum, & difficile (quia difficiliora, & terribiliora sunt pericula bellica, quam alia: & etiam quia in periculis bellicis difficilius est reprimere timores, quam moderare audacias: rursus quia in audendo non tam difficile est aggredi pugnam, sicut tolerare, & sustinere pugnantes.) Fortitudo, quæ est virtus circa pericula, principalius est in reprimendo timores contingentes circa pericula talia, quam in moderando audacias circa ipsa. Sic etiam principalius est huiusmodi virtus in

Mag. 1. c. 21.

sustinendo pugnantes, quam in aggrediendo eos. Quod autem pericula bellica sint difficiliora ad sustinendum, quam pericula alia: triplici via ostendi potest. Primo, quia huiusmodi pericula sunt magis præ oculis, & magis sentiuntur quam alia. Non enim sic aperte apprehendimus mortem, cum ægrotamur: quia ægritudines intrinsecus latent; nec sic sentimus pericula maris, sicut pericula bellica. nec ex tactu aquæ sic sentimus & imaginamur læsionem, sicut ex tactu gladij. pericula ergo bellica tum quia manifesta sunt, cum etiam, quia maxime sentiuntur, & imaginamur ea maxime dolorem inferre; difficiliora sunt ad sustinendum, quam alia. Secundo, talia difficilius sustinemus, quam alia, non solum, quia sũt magis manifesta, & doloris illatiua, sed quia imaginamur quod per fugam ea de facili vitare non possumus. Non enim sic per fugam vitare possumus ægritudines: quia cum ęgritudo sit aliquid in nobis existens, per fugam eam vitare non possumus. pericula etiam maris non sic per fugam vitari possunt, sicut pericula belli. Cum ergo difficilius sit durare, & sustinere pericula illa quę per fugam vitare possumus, quam ad quæ sustinenda necessitamur; eo quod per fugam ea vitare non possumus; difficilius sustinentur pericula bellica, quam alia. Tertio pericula talia difficilius sustinentur: quia per ea maxime apprehendimus mortem violentam, cum mors ibi illata sit per mutilationem membrorum, & per incissuram corporis, per quam maxime apprehendimus violentam mortem. Mori enim per ægritudinem, vel per aliquem alium modum, non sic videtur repugnare naturæ corporis, sicut mors bellica, per quam corpus mutilatur, & inciditur. Est igitur virtus Fortitudinis principaliter circa pericula bellica: ex consequenti autem est circa pericula alia. Propter quod dicitur 3. Ethicorum, quod principaliter dicetur vtique fortis, qui impauidus est circa bonam mortem, & maxime circa eam quæ est secundum bellum.

Eth. 3. cap. 6.

Sed

Sed adhuc & in mari, & in ægritudinibus intimidus est, qui est fortis. Amplius licet Fortitudo sit circa pericula bellica, repriměndo timores, & moderando audacias: principalius tamen est circa repressioně timorum, quã circa moderationě audaciarũ. Nam pericula terribilia vt plurimum tristia sunt. Tristia aũt nãliter quilibet fugit, sicut naturaliter sequitur delectabilia. Cũ ergo naturaliter tristia fugiamus, difficile est reprimere timores, per quos tristia fugimus. Non aũt sic difficile est moderare audacias, per quas tristia aggredimur. Quare si virtus principalius est circa difficile, bene dictum est, Fortitudinem principalius esse circa repressionem timorum, quam circa moderantiam audaciarum. Quòd autem Fortitudo principalius sit in sustinendo, quam in aggrediendo, vt communiter ponitur, triplici via venari potest. Primo, quia aggrediendum, est fortioris: sustinere autem, debilioris est. Aggrediens autem comparatur ad alios, sicut ad debiliores. sed sustinens, sicut ad fortiores: Difficilius est autem inniti contra fortiores, quam contra debiliores. propter quod difficilius est sustinere pugnam, quam aggredi pugnantes. Secundo est difficilius, quia aggrediens imaginatur malum vt futurum: sed sustinens habet malum prae oculis, & vt præsens. Difficilius autem est inniti, & habere se fortiter contra mala præsentia, quam contra mala futura. Tertio hoc est difficilius, quia aggredi potest fieri subitò: sed sustinere requirit diuturnitatem, & tempus. Difficilius est autem habere se fortiter, & constanter in sustinendo bella, quod requirit durabilitatem & tẽpus, quam in aggrediendo, quòd subito fieri potest. Vnde Philosophus 3. Ethicorum cap. de Fortitudine ait, quod Fortitudo est circa timores, & audacias. magis tamen est circa timores reprimendo eos, quam circa audacias moderando ipsas (& subdit) Fortitudinem esse in sustinendo tristia. Declaratum est igitur, circa quæ habet esse Fortitudo: restat ergo declarandum, quomodo possumus *Eth. 3. cap. 7.*

 mus

mus facere nos ipsos fortes. Notandũ ergo, ꝙ licet virtus opponatur duabus malitijs, quarum vna superabundat, & altera deficit: vt largitas opponitur prodigalitati, quæ superabundat in expendendo: & auaritiæ, quæ deficit. & Fortitudo quæ opponitur audaciæ, quæ superabundat in aggrediendo: & timiditati, quæ deficit: semper tamen virtus plus opponitur vni malitiæ, quam alij. Sed quia difficilius est reprimere timores, quam moderare audacias: Fortitudo magis insistit vt reprimat timores, quã vt moderet audacias: & plus repugnat, & contradicit timor fortitudini, quam faciat audacia. Quia igitur non possumus punctualiter attingere medium inter audaciã, & timorem: declinandum est ad audaciam, quæ minus repugnat Fortitudini, quam timor, si volumus nos ipsos facere fortes. Declarata ergo sunt illa tria, quæ in principio capituli proponebantur. Ostensũm est enim, quid est Fortitudo: quia est virtus reprimens timores, & moderans audacias. Rursus manifestum est, circa quæ est Fortitudo: quia principaliter est circa pericula bellica, & in reprimendo timores, & in sustinẽdo pugnam. Ex consequenti autem, est circa pericula alia, & in moderando audacias, & in aggrediendo pugnantes. Tertio declaratum fuit, quomodo possumus facere nos ipsos fortes: quia maxime hoc faciemus, declinando magis ad audaciam, quæ non tantum repugnat fortitudini, sicut timor.

Quot sunt species fortitudinis, & secundum quam fortitudinem decet Reges, & Principes esse fortes. Cap. XIIII.

Distinguit Philosophus 3. Ethicorum cap. de fortitudine septem species, seu septem maneries Fortitudinis. Prima, est Fortitudo ciuilis. Secunda seruilis. Tertia militaris. Quarta, furiosa. Quinta, consuetudinalis. Sexta, bestialis. Et septima, est Fortitudo virtuosa. Fortitudo enim ciuilis est, quando aliquis timens verecundiā, & volens honorem adipisci, aggreditur aliquod terribile: vnde ait Philosophus, quod secundum hanc Fortitudinē fortissimi videntur esse apud illas gentes, apud quas timidi inhonorati sunt, fortes vero honorantur. hoc modo (vt idem Philosophus ait) Hector fortis erat, qui timens increpationes Polydamantis, aggrediebatur terribilia. Dicebat enim quod si fugeret, Polydamas, qui erat ex parte aduersa, primum sibi increpationes imponeret. Sic etiam (vt idem Philosophus recitat) Diomedes, hoc modo fortis erat. Dicebat enim quod si non strenue bellaret, Hector laudans se in Troianis diceret Diomedem ab eo deuictum esse. Recte autem hæc Fortitudo dicitur ciuilis: quia inter conciues, & notos quis maxime fugit opprobria, & quærit honores. Videmus enim aliquos, quum sunt in ignotis partibus, committere aliqua turpia, quæ inter ciues, & notos nullatenus attentarent. Secunda Fortitudo dicitur seruilis, & hæc peior est, quam prima: vt cum aliquis non vt vitet opprobria, vel vt consequatur honores: sed timore poenæ, vel aliqua necessitate ductus aggreditur pugnam. Hoc modo multi Troianorum timentes Hectorem fortes erant. Nam Philosophus ait Hectorem statuisse, quod si quis Troianorum sine bello fugeret, taliter aptaretur quod non esset sufficiens fuga-

Eth. 3. c. 7. 8. Et li. 1. cap. 21. Magn. mor.

Homer. 8. 22. Iliadis.

Ho. 15. Iliadis.

re canes. Ad hanc Fortitudinem inducunt populum Duces exercitûs, statuentes pœnam fugientibus, faciendo foueas, ne possit exercitus fugere, sed quadam necessitate bellare cogatur. Hoc autem modo quidam Dux dicitur exercitum suum coegisse ad Fortitudinem. Nam, cum nauigijs, & cum toto suo exercitu trāsfretaret, ne aliquis de suo exercito haberet materiam fugiendi, omnes naues confregit. Tertia fortitudo dicitur militaris, & hęc est fortitudo experientiæ. Milites enim propter experientiam quam habent de bellis, multa aggrediuntur, quæ videntur esse terribilia. Nam (vt dicit Vegetius in libro De re militari.) Nullus attentare dubitat, quod se bene didicisse confidit. Videmus enim aliquos audientes solum strepitum armorum fugiunt, nescientes discernere quæ sunt periculosa in bellis, & quæ non. Milites vero bellorum experti, confidentes de sua experientia, & cognoscentes bellorum pericula, aggrediuntur aliqua terribilia, vt iudicentur esse fortes. Non tamen propter hoc proprie fortes sunt, nam cum adeò inualescit bellum, quod excedat eorum experientiam, in fugam conuertuntur. Quarto Fortitudo dicitur furiosa. Nam aliqui propter furorem, & passionem in qua existunt, aliquando aggrediuntur pugnam, ita vt iudicentur fortes: non tamen proprie tales fortes existunt, quia fortitudo vera aggreditur pugnam (vt Philosophus innuit) non propter furorē, sed propter bonum. immo si ex furore quis pugnam aggrediatur, inueniens resistentiam, pugnam nō sustinet; quia qui fit intrepidus propter furorē, tranquillato furore, incipit timere, & non sustinet bellum, sed arripit fugam. Quinta Fortitudo est consuetudinalis. Aliqui enim. quia in pluribus bellis fuerunt, in quibus forte bene accidit eis, ex hac consuetudine assumunt quandam spem victoriæ, & accipiūt quandam audaciam bellandi. Tales ergo fortes esse videntur, quia aggrediuntur pugnam, sperantes de victoria, & non credentes aliquid mali patis

non

non tamen vere fortes sunt, quia si inueniant resistentiā, & contra sperata malum aliquod patiantur, fugiunt. Sexta fortitudo dicitur esse bestialis, vt cum aliquis ignorans fortitudinem aduersarij, bellatur. vtputa si habitantes in septentrione sunt fortes, & audaces, in meridiano vero sunt debiles, & timidi, aggredientes pugnam cum septentrionalibus, credentes eos esse meridionales, habēt Fortitudinem bestialem. Sunt enim tales quasi bestiæ insensatæ aggredientes bellum, non cognoscentes aduersariorum potentiam. Septima Fortitudo dicitur virtuosa, vt cum aliquis non coactione, vel furore, vel propter experientiam, vel propter ignorantiam aggreditur bellū: sed propter bonum, & ex electione. Reges ergo & Principes licet has maneries fortitudinum scire debeant, vt cognoscant qualiter populus suus fortis est, & quomodo possunt cum aduersarijs bellare: ipsi tamen debent esse fortes fortitudine virtuosa, vt non exponant suam gentē periculis bellicis, nisi habeant iusta bella, & nisi videant magnum bonum patriæ vel regni, quod ex tali bello consequi possit.

Quid sit Temperantia, & circa quæ habet esse, & quæ sunt Species, & quomodo nosipsos possumus facere temperatos. Cap. XV.

TEmperantia inter virtutes cardinales vltimum gradum tenet. Prudentia enim & Iustitia principaliores sunt virtutibus moralibus; quia Prudentia est in intellectu, Iustitia in voluntate. Virtutes vero morales sunt in appetitu sensitiuo, vt in irascibili, & concupiscibili. Appetitus autem sensitiuus deficit à voluntate, & intellectu. Ideo Prudentia & Iustitia sunt virtutes principaliores. Est autem Prudentia principalior Iustitia; quia ipsa

est

est directiua omnium aliarum virtutum. Fortitudo autē, & Temperantia, licet non sint adeo principales, sicut Prudentia, & Iustitia: tamen inter virtutes principales computantur. Nam virtutes moderantes passionem, dupliciter rationi deseruiunt, prout passiones dupliciter rationi obsistunt. Passiones enim vel obsistunt rationi, & alliciūt nos ad id quod ratio vetat: vel (vt supra dicebatur) obsistunt ei, quia retrahunt nos ab eo quod ratio dictat. Inter cætera autem, quę possunt nos retrahere à bono rationis, sunt timores belli, & pericula mortis, circa quæ est Fortitudo. Sic etiam inter cætera allicentia nos ad id quod ratio vetat, sunt venerea, & delectabilia secundum gustū, circa quæ est Temperantia. Fortitudo ergo & Temperantia inter principales virtutes computari debent. Est autem Fortitudo principalior Temperantia, quia Fortitudo magis ordinatur ad bonum commune, vt ad tuitionem regni, & ad defensionem patriæ: Temperantia vero magis ordinatur ad bonum proprium, vt ad moderationem sui ipsius. Bonum autem commune diuinius est bono proprio. Postquam ergo diximus de Prudentia, quæ est principalior quam Iustitia: & de Iustitia, quæ est principalior Fortitudine: & de Fortitudine, quæ est principalior Temperantia. Restat dicere de ipsa Temperantia, quæ inter virtutes principales vltimum gradum tenet. Sciendum ergo, quod sicut Fortitudo media est inter timores, & audacias: quia qui omnia timet, non est fortis, nec qui omnia audet: sed qui timet timenda, & audet audenda. Sic Temperantia, media est inter delectationes, & insensibilitates. Vocamus autem insensibilē & agrestem, qui omnes delectationes corporales fugit. Insensibilitas ergo est vltra, quam ratio dictet, fugere delectationes corporales sensibiles. Qui igitur omnes delectationes insequitur, intemperatus est. Qui autem omnes fugit, insensibilis & agrestis est. Qui vero fugit fugienda, & prosequitur prosequenda: virtuosus, & tem-

peratus

peratus est: contingit autem peccare non solum delectationes sensibiles prosequendo, sed etiam eas fugiẽdo. Nam qui adeò abstineret à cibo & potu,& à licitis delectationibus, quod cum tali abstinentia eius natura stare non posset,quia huius contrarium recta ratio dictat, virtuosus dici non posset. Patet igitur quid est temperãtia. Nam sicut fortitudo est reprimens timores, & moderans audacias, inter quas ipsa fortitudo habet esse: sic temperantia est reprimens delectationes sensibiles, & moderãs insensibilitates,inter quas habet esse. Si ergo Temperantia reprimit delectationes sensibiles, videndum est circa quas delectationes sensibiles habet esse. Delectationum autem sensibilium quædam sunt fortes, quædam sunt debiles, quædam nos magis alliciunt, quædam minus. Licet enim sint quinque sensus, & circa sensibilia omniũ sensuum contingat nos delectari: tamen fortiores delectationes sunt secundum gustum & tactum,quam secundum visum, auditum, & odoratum. quod dupliciter patet. Primo,quia quantomagis vnimur delectationibus, tanto ardentius, & feruentius delectamur. Magis autem vnimur delectationibus gustus, & tactus, quam delectationibus aliorum sensuum. Possumus enim videre, audire,& odorare distantia: sed non possumus gustare, & tangere, nisi nobis coniuncta, ideo in huiusmodi sensibilibus arditius, & feruentius delectamur. Secundo hoc idem patet:quia sensibilia gustus,& tactus magis directe & immediate videntur ordinari ad conseruationem nostram: vt delectabilia gustus ordinantur ad conseruationem indiuidui:sed delectabilia tactus,vt matrimonia, ordinantur ad conseruationem speciei. Ideo forte natura tantam delectationem posuit in delectationibus gustus, & tactus,ne periret indiuiduum,& vt saluaretur species. Quare si virtus est circa bonum & delectabile, ponenda est principaliter Temperantia circa delectationes illas, à quibus est difficilius abstinere. Temperantia igitur (per

se)

se) est circa delectationes gustus, & tactus: Si autem est circa delectationes aliorũ sensuum, hoc est per accidens: quia alijs sensus per accidens percipiunt delectabilia gustus, & tactus. Est huiusmodi virtus (vt vult Philosophus 3. Ethic.) circa delectabilia illa, in quibus reliqua animalia communicant. Reliqua autem animalia in gustu, & tactu delectantur per se: in alijs vero sensibus delectantur per accidens. Propter quod in eodem libro dicitur, quod canes non gaudent odoribus leporum, sed cibatione. Si autem gaudent odore eorum, hoc est, quia credunt se cibari ex illis. Ideo non gaudet voce bouis, nec visione cerui, nisi inquantum per visum, & auditum, cognoscit eos prope esse, & credit se saturari ex eis. Est ergo Temperantia circa delectationes tactus, & gustus: quia in illis homines ardentius delectantur. quod (vt videtur) rationabiliter accidit. Nam delectationes nutrimentales quæ fiunt per gustum, ordinantur ad conseruationem propriæ personæ: sed delectationes matrimoniales quæ fiunt per tactum, ordinantur ad procreationẽ filiorum, & ad conseruationem speciei. si ergo (vt pluries dictum est) bonum commune diuinius est quam proprium, rationabiliter videtur egisse natura: Si in operibus matrimonialibus vehementiores delectationes posuit, quam in operibus nutrimenti. Vel forte hoc ideo natura fecit: quia vnusquisque magis solicitus est de bono proprio, quam de bono alterius. Non igitur oportuit tam vehementes delectationes ponere in nutrimento, quod ordinatur ad bonum proprium, & ad conseruationem indiuidui, sicut in matrimonio, quod ordinatur ad bonum alterius, & ad conseruationem speciei. Si ergo contra difficilius magis bellandum est, principalius insistendum est, vt per Temperantiam refrænemus delectationes venereas quæ fiunt per tactum, quam nutrimentales quæ fiunt per gustum. immo in ipsis delectationibus nutrimentalibus magis delectamur in tactu, quam in gustu.

Eth. 3. cap. 10.

gustu. Comedendo enim & bibendo (vt vnusquisque in seipso experitur) delectamur in lingua vbi regnat gustus, & in gutture vbi non est gustus, sed tactus. & (vt manifeste experimur) magis delectamur, cum cibus aut potus attingit guttur, quam cum coniungitur linguæ. Credendum est enim in talibus iudicio gulosorum. Recitat autem Philosophus Ethicorum 3. de quodam, nomine Phyloxenus, qui, cum esset pultiuorax, orauit, vt guttur eius longius quam gruis fieret. Non enim orauit, vt lingua eius esset latior lingua bouis, vt magis delectaretur per gustum, sed vt guttur eius esset longius gutture gruis, vt comedendo, & bibendo diutius delectaretur per tactum. Vt ergo patet ex habitis, Temperantia principaliter est circa tactum, & ex consequenti circa gustum: per accidens autem est circa delectabilia aliorum sensuum. Species autem temperantiæ de leui sumere possumus. Nam si spectat ad Temperantiam reprimere delectationes nutrimentales, & venereas: quia delectationes nutrimentales reprimimus, si fuerimus sobrij, & abstinentes: venereas vero, si fuerimus casti, & pudici: quatuor erunt partes Temperantiæ, siue quatuor erunt species ipsius; videlicet, sobrietas, abstinentia, castitas, & pudicitia. Nam si volumus nutrimentales delectationes reprimere, oportet nos temperari à potu, & cibo. Temperando nos à potu, sumus sobrij: sicut qui excedunt in potando, sunt ebrij. Temperando vero nos à cibo, sumus abstinentes. Abstinentia ergo, & sobrietas deseruiunt in reprimendo delectationes nutrimentales. Sed castitas, & pudicitia venereas delectationes refrænant. oportet enim vere temperatum non exercere opera venerea, neque gestus. Prout ergo abstinet ab operibus venereis, dicitur esse castus. Sed prout horret etiam ipsos gestus incitantes ad venerea, dicitur esse honestus, siue pudicus. His visis de leui patet, quomodo nosipsos facere possumus temperatos. Nam Temperan-

Eth. 3. cap. 10.

tia, & Fortitudo quasi è contrario se habent. Fortitudo enim est in aggrediendo terribilia: sed Temperantia in retrahendo se ab his, quæ sunt delectabilia. Sicut ergo Fortitudo magis conuenit cum audacia; & si volumus esse fortes, debemus magis esse audaces, quam timidi: sic Temperantia plus conuenit cum insensibilitate. Si ergo volumus nosipsos facere temperatos, ad illam partem declinandum est, vt à delectationibus sensibilibus caueamus. Melius est enim aliquas delectationes etiam licitas vitare, quam aliquas illicitas insequi. Declarata igitur sunt illa quatuor, quæ in principio Capituli proponebantur. Primo enim ostendebatur, quid est Temperantia: quia est virtus reprimens delectationes sensibiles, & moderans insensibilitates. Secundo vero declarabatur circa quæ habet esse: quia principaliter est circa tactum, ex consequenti circa gustum: per accidens vero circa alios sensus. Tertio autem manifestabatur, quæ, & quot sunt species eius: quia quatuor. duæ moderantes delectationes nutrimentales, vt sobrietas, & abstinentia. & duæ refrænantes delectationes venereas, vt castitas, & honestas siue pudicitia. Quarto vero declaratum fuit, quomodo possumus nosipsos facere temperatos: quia hoc maxime faciemus à delectationibus abstinendo. Debemus enim secundum Philosophum Ethicorum 2. hoc pati, quod senes Troiæ patiebantur, ad Helenam dicentes: Abijciamus eam, id est, non respiciamus in ipsam.

Eth. 2. cap. 9.

Quod

Quòd exprobrabilius eſt eſſe intemperatum, quam timidum: & quod maxime decet Reges, & Principes eſſe temperatos.
Cap. XVI.

PRobat Philoſophus 3. Ethic. quatuor rationibus, deteſtabilius eſſe intemperatum, quam timidum. Nam quanto magis aliquis voluntarie peccat, tanto magis eſt increpandus. Rurſus quanto aliquis facilius poteſt benefacere, ſi non benefaciat, magis eſt deteſtandus, & reprehenſibilis. Intemperatus ergo magis eſt deteſtandus, & reprehenſibilis: tum quia magis voluntarie peccat, tum etiam quia facilius eſt ei facere bonum, & acquirere temperantiam, quam ſit acquirere fortitudinem. Quod autem magis voluntarie peccet intemperatus quã timidius dupliciter oſtendi poteſt. Primo, quia inſequi voluntates intemperatas, eſt delectabile: fugere autem & timere, eſt triſtabile. magis quis voluntarie agit quod facit cum delectatione, quam quod facit cum triſtitia. Peccans igitur per intemperantiam, magis voluntarie male agit, quam qui peccat ex timore. Secundo hoc idẽ patet: quia (vt ait Philoſophus) timor obſtupefacit, & reddit naturam immobilem, & attonitam: quod non facit delectatio per intemperautiam. Sed quando aliquis eſt in ſtupore, eſt quaſi extra ſe, nec voluntarie & deliberate agit quod agit. Tolerabilius eſt igitur peccare per timorem, quam per intemperantiam: cùm hoc ſit magis voluntarium, quam ſit illud. Patet ergo intemperatum dupliciter eſſe magis increpandum, quam timidum: quia magis voluntarie male agit. Sic etiam dupliciter poteſt oſtendi ipſum eſſe magis increpandum: quia facilius poteſt benefacere. Facilius enim poteſt acquiri

Eth. 3. cap. 12.

tempe-

temperantia, quam fortitudo. Nam (vt in præcedenti capitulo dicebatur) temperantiam acquirimus, abstinẽdo, & retrahendo nos à delectationibus sensibilibus: fortitudinem vero acquirere possumus, aggrediendo terribilia, & experiendo pugnam: retrahi autem à delectationibus, potest fieri sine omni periculo: sed aggredi terribilia, & experiri bellum, sine periculo non potest. Valde est ergo increpandus carens tempesantia, cum eã sine periculo possit acquirere: non autem adeò increpandus est carens fortitudine, quia virtus illa est difficilis, & cum maiori periculo acquiritur. Rursus facilius acquiri potest temperantia, quam fortitudo: quia multa talia experimur in vita, multotiés enim occurrunt nobis delectabilia, à quibus abstinendo disponimur, vt simus temperati. Non autem sic est de fortitudine: nam non quælibet aggressio bellorum facit nos fortes, nisi bella ista sint iusta. Sed forte toto tempore vitæ hominis, non occurrit ei vnum iustum bellum. Non ergo sic possumus assuefieri ad opera fortitudinis, sicut ad opera temperantiæ: quare exprobrabilius est nos esse intemperatos, quã non esse fortes. Si ergo Regem non esse virilem, & non esse constantem animo est exprobrabile, patet quod est exprobrabilius ipsum esse intemperatum, & insecutorẽ passionum. Possumus tamen nouas rationes adducere, ostendentes, quam detestabile sit, Regem intemperatum esse. Tangit enim Philosophus 3. Ethic. de ipsa intemperantia tria, ex quibus tres rationes sumi possunt, quod maxime decet Reges & Principes temperatos esse. Est enim intemperantia (vt ibidem tangitur) vitium maxime bestiale, puerile, & turpe siue exprobrabile. Quòd autem sit vitium maxime bestiale, patet. Nam (vt supra dicebatur) temperantia & intemperantia fieri habent circa delectabilia tactus, & gustus, secundum quæ, delectari commune est nobis, & brutis. Ideo 3. Ethic. dicitur, quod quia temperantia & intemperantia est circa dele-

Eth. 3. cap. 12.

Eth. 3. cap. 10.

delectationes, quibus reliqua animalia communicant, ideo intemperati sunt seruiles, & bestiales. Bestia enim, quia deficit intellectu, naturaliter est quid seruile. Si ergo indecens est Regem, cuius est alijs dominari, esse bestialem & seruilem: indecens est ipsum esse intemperatum. Secundo intemperantia est vitium maxime puerile. Pueri enim, quia vsum rationis non habent, non viuunt ratione sed passione. Ideo maxime videmus eos sequi delectabilia, & esse insecutores passionum. Vnde Philosophus 3. Ethicorum vim concupiscibilem, secundum quam habet esse vitium intemperantiæ assimilat puero: quia sicut puer debet regi per pædagogum, sic vis concupiscibilis est regenda, & regulanda per rationem. Si ergo indecens est Regem esse puerum moribus, & non sequi rationem, sed passionem: indecens est ipsum esse intemperatum. Tertio est hoc indecens Regi: quia huiusmodi vitium maxime est turpe, & contemptibile. Homines enim intemperati quia appetunt vilia & turpia, ideo, si in principatu sint, maxime contemnuntur: quia quilibet indignatur Regi ab eo quod est intemperatus, & non sequitur rationem, sed passionem. Quare si decet personam regiam ostendere se reuerendam, & honore dignam, maxime indecens est eam esse intemperatam. Exemplum autem huius habemus in Rege Sardanapallo, qui cum esset totus muliebris, & deditus intemperantiæ (vt recitat Iustinus Historicus, libro 1. abbreuiationis Trogi Pompeij) non exibat extra, vt haberet colloquia cum baronibus regni sui, sed omnes collocutiones eius erant in cameris ad mulieres: & per literas mittebat Baronibus & Ducibus, quid vellet eos facere. Accidit autem, quòd, cum quidam Dux exercitus diu ei seruiuisset, & fideliter, Rex ille volens cōplacere illi Duci, præcepit quod duceretur ad ipsum. Dux autem ille assuetus rebus bellicis, vidēs Regem suum esse totum muliebrem & bestialem, statim ipsum habuit in

Eth. 3. cap. 12.

Iust. li. 1 à prin.

contemptum: & indignatus de turpitudine eius, voluit eum inuadere. Rex autem timens, fugit: & quia credebat se non posse fugere manus illius Ducis, clausit se in quadam domo, & cum toto thesauro, & omnibus supellectilibus suis, se combussit. Sensibiliter enim videmus, quod dediti voluptatibus sensibilibus, contemnuntur. Immo quia intemperati iniuriantur alijs in personis maxime coniunctis, vt in vxoribus, & in filiabus: maxime prouocant alios contra se. Et quia potissime timendũ est Regibus & Principibus, ne furor populi incitetur contra eos, maxime expedit eos temperatos esse.

Quid est liberalitas, & circa quæ habet esse, & quomodo possumus nosipsos liberales facere. Cap. XVII.

NVmerabantur superius duodecim virtutes, inter quas (vt dicebatur) quatuor erant Cardinales & principales; videlicet, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia. Postquam ergo diximus de his quatuor virtutibus, & ostendimus quomodo Reges & Principes illis virtutibus decet esse ornatos. Reliquum est pertransire ad virtutes alias. Virtutes autem aliæ vel respiciunt exteriora bona, vel exteriora mala. Si exteriora bona, illa vel sunt bona secundum se, vel in ordine ad aliud. Primo ergo dicemus de virtutibus respicientibus exteriora bona secundum se. Postea determinabimus de virtutibus respicientibus exteriora bona in ordine ad aliud. Bona autem exteriora vel sunt vtilia, vt pecunia, & diuitiæ, & omnia quæ numismate mensurari possunt: vel sunt honesta, vt honores. Primo ergo dicemus de virtutibus respicientibus bona vtilia: & postea de respicientibus bona honesta. Incipit enim nostra cognitio à sensu. cum ergo bona vtilia sensibiliora sint honestis, prius determi-

terminandum est de virtutibus respicientibus bona vtilia. Circa autem bona vtilia (vt determinari habet 4. Ethic.) est duplex virtus. liberalitas, & magnificentia. Hæ autem duæ virtutes respiciunt sumptus, & pecuniã: sed non eodem modo: nam liberalitas (quæ alio modo largitas nuncupatur) dicitur respicere sumptus mediocres: magnificentia vero dicitur respicere magnos sumptus. quòd quomodo sit intelligendum, in prosequendo patebit. Si igitur in faciendo sumptus conuenit deficere, quòd facit auaritia: & superabundare, quòd facit prodigalitas, quia vtrunque est cõtra rectam regulam rationis, oportet dare virtutem aliquam mediam inter auaritiã, & prodigalitatem: huiusmodi autem virtus est liberalitas. Patet ergo quid est liberalitas. Nam sicut fortitudo quia est media inter timores & audacias, ideo est virtus reprimens timores, & moderans audacias: ita liberalitas quia est media inter auaritias & prodigalitates, ideo est virtus reprimens auaritias, & moderans prodigalitates. Cõsistit autem hæc virtus in recto vsu pecuniæ. Ad rectũ autem vsum pecuniæ tria requiruntur. Primo quod non accipiat eam vnde non debet. Secũdo quod accipiat vnde debet. Tertio quod expendat prout debet. Spectat autem ad liberalẽ non vsurpare alios redditus, & custodire proprios. Nam licet liberales non diligat pecuniam secundũ se, sed vt eam ordinet ad debitos sumptus: tamen vt possit debitos sumptus facere, non debet proprios redditus inaniter dispergere. Ergo non vsurpare redditus alienos, habere debitã curam de proprijs, & ex eis debitos sumptus facere: sunt illa tria circa quæ videtur esse liberalitas. Nõ autem est circa hæc tria æquè principaliter & primo. Nã circa expendere & circa debitos sumptus facere, est liberalitas principaliter, & primo. Circa autem proprios redditus custodire, & circa non accipere alienos, est ex consequenti. Vsurpans enim bona vtilia, & non accipiens ea sicut debet, nimis videtur auidus pecuniæ, propter

Eth. 4. circa fi. cap. 1. quod Philosophus 4. Ethic. vsurarios, lenones, idest viuentes de meretricio, expoliatores mortuorum, & aleatores, dicit esse turpia lucra: & omnes tales appellat illiberales. Aleator enim & omnis lusor taxillorum illiberalis est: lucratur enim ab amicis, quibus oportet bene facere. Est igitur liberalitas circa non accipere vnde non debet: non tamen est circa hæc principaliter. Nam accipientes vnde non debent, magis sunt iniusti, quam illiberales, vt vult Philosophus 4. Ethic. (Eth. 4.) Quare non est liberalitas principaliter circa non accipere vnde non debet, nec circa accipere vnde debet: sed est principaliter circa expendere quomodo debet. Nam propter quòd vnumquodque tale, & illud magis. Si enim liberalis conseruans proprios redditus, & accipiens vnde debet, hoc ideo facit, vt possit ex proprijs redditibus debitos sumptus facere, & expendere sicut debet: merito liberalitas principalius est in expendendo & in benefaciendo alijs; ex consequenti autem est circa custodire proprios redditus, & circa non vsurpare alienos. Probat enim Philosophus 4. Ethicorum quinque rationibus, liberalitatem magis esse circa expendere & circa beneficiare alios, quam circa proprios redditus custodire. (Eth. 4. cap. 1.) Liberalitas enim (vt dictum est) esse debet circa debitum vsum pecuniæ. Vti autem pecunia, est expendere eam & tribuere eam alijs. Custodire autem proprios redditus, non est vti pecunia, sed magis est acquirere & generare ipsam. Propter quod patet liberalitatem esse magis circa expendere & circa tribuere pecuniam alijs, quam circa proprios redditus custodire. Secundo hoc idem patet. quia ad virtutem principalius spectat facere maius bonum. Maius autem bonum est benefacere, quam bene pati, & bene operari, quam turpia non operari. Qui autem debite expendit & alijs dona largitur, benefacit. custodiens vero proprios redditus, & accipiens pecuniam à proprijs pos-

sessio-

sessionibus, bene patitur siue bene recipit eo modo quo debet. Non vsurpans autem aliena, non operatur turpia. Si ergo melius est benefacere, quam non malefacere, vel quam bene pati: melius est bene expendere, quam aliena non surripere vel quam propria custodire. Tertio hoc idem patet: quia circa illud magis consistit virtus, circa quod consurgit maior laus. Maior autem laus consurgit in bene expendendo, & alijs benefaciendo, quam in custodiendo propria, vel in non vsurpando aliena. Liberalitas ergo principalius consistit in debite expendendo, & benefaciendo alijs. Quarto hoc idem patet: quia virtus principalius est circa difficilius. Difficilius autem est alijs dona tribuere, quam proprios redditus custodire, vel quam aliena non surripere. Nam custodire propria secundum se non est difficile: quia vnusquisque naturaliter inclinatur vt se diligat, & vt sua bona custodiat. Dare autem propria bona, secundum se difficultatem habet: quia propria bona sunt aliquid ad nos pertinens, & naturaliter afficimur ad illa. Immo auari adeò afficiuntur ad ista exteriora bona, vt pecuniam, quam habent, reputent aliquid incorporatum sibi. Videtur enim eis, quando accipitur pecunia ab eis, quod accipiatur aliquid de proprio corpore. Quia igitur bona propria sunt nobis quasi coniuncta, aliena vero sunt disiuncta: non est adeò difficile non vsurpare aliena, ad quæ non ita afficimur, quia non sunt nobis coniuncta: sicut est difficile dare propria, ad quæ magis afficimur, quia nobis quodammodo coniunguntur. Quare circa debite expendere, & circa alijs bona tribuere, principalius consistet liberalitas, tanquam circa magis difficile. Quinto hoc idem patet: quia cum liberales maxime amentur, circa illud maxime consistit liberalitas, quod quis agendo maxime amatur. Non autem maxime amatur aliquis, si aliena bona non surripiat, vel si proprios redditus custodiat. Sed ma-

ximè diligitur si ex proprijs reddibus debitos sumptus faciat, & bonis & dignis magna dona tribuat. Quare in bene expendendo, & alijs bona retribuendo principaliter liberalitas consistit. Viso quid est liberalitas, quia est virtus reprimens auaritias, & moderans prodigalitates, & ostenso circa quæ habet esse, quia principaliter est circa debitos sumptus, & circa debitas rationes; ex consequenti autem est in custodiendo redditus proprios, & non in vsurpando alienos: de leui patet, quomodo nos possumus facere liberales. Nam sicut quia fortitudo plus opponitur timori quam audaciæ, facimus nosipsos fortes, declinando ad audaciam; ita quod potius plus audeamus, quam minus. Sic quia liberalitas magis opponitur auaritiæ quam prodigalitati, declinandum est magis ad prodigalitatem quam ad auaritiam, & magis debemus superabundare in dando, quam deficere.

Quòd Reges & Principes quodammodo impossibile est esse prodigos, & quòd maximè detestabile est eos esse auaros, & quòd potissimè decet eos liberales esse.

Cap. XVII.

Eth. 4. cap. 1. VVlt Philosophus 4. Ethicorum liberalitatem non esse in multitudine datorum, sed in habitu, idest in facultate & voluntate dantis. Nam (vt ibidem scribitur) nihil prohibet minora dantem, vel liberaliorem esse, si à minoribus recipiat. Liberalitas igitur mensuram recipit ex proportione datorum ad possessiones dantis. Ideo Philosophus ait Tyrannos non esse prodigos: quia non videntur posse superabundare multitudine possessionis, dationis, & expensis. Quicunque enim tot habet, & tanta recipit, quod dationes & expensæ multitu-

dinem possessionum superare non possint, quodammodo prodigus esse non potest. Reges igitur & Principes quia multitudine possessionum superabundant, non solum nõ possunt esse prodigi, sed vix possunt attingere vt sint liberales. Semper ergo cogitare debent, quod minora faciunt, quam deceat. Ex hoc autem apparere potest quod indecens sit eos esse auaros. Nam si regnum alicuius debet esse naturale, proportionari debet his quæ videmus in natura. In naturalibus autem nihil est ociosum, vt probant physica dicta. ergo nec in regimine vitæ humanæ aliquid ociosum esse debet. Quare cum natura humana modicis contenta sit, quia vni personæ modica sufficiũt: si vna aliqua persona multitudine diuitiarum superabundat, ociosæ sunt diuitiæ illæ, si non ordinantur ad bonum aliorum. Quanto igitur Reges & Principes pluribus diuitijs superabundant; tanto detestabilius est eos auaros esse. Probat Philosophus 4. Ethicorum triplici ratione, quod auaritia peior est prodigalitate, propter quod omnino detestabile est Reges & Principes esse auaros: tam enim fugienda est auaritia à principibus quod si possent esse prodigi, melius esset eos esse prodigos quam auaros. Primo enim, quia melius est infirmari morbo curabili, quam incurabili. Prodigalitas autem morbus est curabilis, vel ab ætate, vel ab egestate. nam qui prodigi sunt in iuuentute (quia senes auariores sunt iuuenibus) cum veniunt ad senectutem, vt plurimum curatur eorum prodigalitas, & desinunt esse prodigi. Curari etiam potest ab egestate: nam qui prodigi sunt, vt plurimum egent, quia expensæ superabundant redditibus. experiendo ergo indigentiam, inducuntur vt non sint prodigi. Est ergo secundum Philosophum prodigalitas moribus curabilis, vel ab ætate, vel ab egestate. Sed auaritia est moribus incurabilis: quia quanto quis procedit in auaritia, & quanto plus senescit, tanto magis auarus efficitur. Si ergo caput regni, à quo totum regnum di-

Eth. 4.

rigi debet, indecens est ægrotare secundum mores morbo incurabili, omnino detestabile est Regem esse auarum, & quod melius esset ipsum esse prodigum, quam auarum. Secundo hoc idem patet: quia prodigalitas magis est propinqua virtuti, quam auaritia: nam liberalis non libenter recipit, & libenter dat: quorum vtrunque facit prodigus: neutrum tamen facit auarus. Non ergo differt prodigalitas à liberalitate, nisi quia prodigus non dat vt debet, & quibus debet, & cuius gratia debet. Quare cum prodigus non sit amator pecuniæ, sicut nec liberalis, de leui quis cum sit prodigus fieri poterit liberalis. Si ergo omnino decens est Regem esse virtuosum, tanto detestabilius est ipsum esse auarum, quam prodigum: quanto auaritia plus contrariatur virtuti, quam prodigalitas. Tertio hoc est detestabilius: quia Rex positus est in regno propter salutem regni, & vt prosit ijs qui in regno sunt. Auarus autem nulli prodest, quia etiam sibiipsi nequam est: prodigus autem multis prodest. Omnino ergo detestabile est Regem esse auarum. Viso quod quasi impossibile est Reges esse prodigos, & quod omnino detestabile est eos esse auaros: restat ostendere, quod deceat eos esse largos, liberales, & communicatiuos. Hæc enim virtus, quæ est circa sumptus, per quandam similitudinem dicitur largitas, & liberalitas, & communicabilitas. Largitas enim dicitur ad similitudinem vasorum. Vasa enim habentia os artum, non abunde emittunt quod in eis est. Abundās ergo in sumptibus, & dationibus, dicitur largus: quia ad modum largi vasis abunde emittit quæ continet. Cum ergo tanto deceat fontem habere os largius, quanto ex eo plures participare debent: tanto decet Regem largiorem esse, quanto influentia eius ad plures extendenda est, quam influentia aliorum. Secundo huiusmodi virtus dicitur liberalitas, quia pollentes ea sunt ad similitudinem liberorum. Auari enim non sunt liberi,

sed

sed sunt serui peuniæ. Quare si indecens est Reges, & Principes esse seruos, conueniens est eos esse liberales. Tertio huiusmodi virtus dicitur communicabilitas: quia per eam homines communicant sua bona, per quam communicationem ab alijs potissime diliguntur: nam liberales sunt potissime amabiles. Quare si maxime decet Reges & Principes, vt sint dilecti ab ijs qui sunt in Regno, maxime decet eos liberales esse. Spectat autem ad liberalem primo respicere quantitatem dati, vt non det minus, vel plus, quam debeat. Secundo debet respicere quibus det, vt non det quibus non oportet. Tertio videndum est cuius gratia det, vt det boni gratia, non propter aliquã aliam causam. Reges enim & Principes vix possunt deuiare à liberalitate in dando plus, quia magnitudo expensarum vix potest excedere multitudinem redditiuum. Imo si cõtingat liberalem dare plus quam deceat, vt vult Philosophus, moderate tristabitur. Nam magis grauatur liberalis, sit det minus quam debeat, vel si non expendat vbi oportet, quam si expendat vbi non oportet. Deuiant autem à liberalitate Reges, & Principes in dando quibus non oportet, vel cuius gratia non oportet. Dant enim (vt Philosophus ait) histrionibus, adulatoribus, vel alijs, quibus non oportet dare: quia magis deceret eos esse pauperes, quam diuites. Sic etiam dant cuius gratia non oportet. non enim dant boni gratia, sed magis dant vt laudentur, & propter inané gloriã vel propter aliquam aliam causam. Decet igitur Reges esse liberales: & vt liberales sint, oportet eos beneficiare bonos, & boni gratia. Phil.

Quid

Quid est magnificentia, & circa quæ habet esse, & quomodo possumus nos ipsos magnificos facere. Cap. XIX.

DIcebatur supra, circa sumptus duplicem esse virtutem. Vnam, quæ respicit moderatos sumptus, quam liberalitatem vocant. Aliam, quæ respicit sumptus magnos, quam magnificentiam nominant. Sed cum magis, & minus non videantur diuersificare speciem, & naturam rerum, vt vult Philosophus 1. Politicorum, non videtur sufficienter distingui magnificentia à liberalitate per hoc, quia hæc est circa magnos sumptus, illa vero circa mediocres. Sciẽdum ergo quod de ratione virtutis est, quod sit circa bonum, & difficile. quare cũ in maioribus sumptibus reperiatur specialis ratio bonitatis & difficultatis, quæ non reperitur in mediocribus sumptibus, dici potest magnanimitatem quæ est circa magnos sumptus, esse virtutem aliam à liberalitate, quæ est circa mediocres. Vel possumus dicere, quod sumptus ad duo comparari possunt. videlicet, ad facultates eius qui facit sumptus, & ad opera in quæ sumptus illi expenduntur. Erit ergo circa pecuniam duplex virtus. Vna, quæ æquat dationes, & expensas facultatibus: & hæc est liberalitas. Ideo dicitur esse liberalitas circa mediocres sumptus, non secundum se, sed per comparationem ad dantem, & ad facientem sumptus. Ideo largitor multorum posset esse auarus, si illa multa non æquarentur facultatibus dantis. Dicebatur enim supra non esse liberalitatem in multitudine datorũ. Liberalis ergo adæquat dationes, & sumptus facultatibus. Sed magnificus vult proportionare sumptus operibus: vnde & nomen accepit. Ab ipsa enim factione, & ab ipso opere denominatur magnificentia. Dicitur enim magnificus, quasi magna faciens. Inde est ergo, quod quis

Polit. 1.

In quocunq; statu homo sit, & quascumq. facultates habeat, siue multas, siue mediocres: difficile est bene vti illis & bene aequare sumptus facultatibus. Ideo liberalitas se extendit ad mediocres sumptus. Sumptus enim, vel possunt considerari secundum se, vel vt proportionantur facultatibus. Si autem considerantur sumptus secundum se, sic liberalitas est circa magnos sumptus, si faciens eos, multas habeat facultates: & etiam circa mediocres, si faciens sumptus illos, mediocriter facultatibus abundet. Sed si sumptus non considerentur secundum se, sed vt proportionantur facultatibus: sic liberalitas semper est circa mediocres sumptus. Nam sicut parui sumptus sunt mediocres & proportionati pauperibus: sic magni, sunt mediocres, & proportionati diuitibus. Cum ergo liberalitas non respiciat sumptus secundum se, sed vt proportionantur facultatibus, nó dicitur esse circa magnos & mediocres sumptus, sed circa mediocres tantum. Liberalitas igitur, quae respicit sumptus proportionatos facultatibus, se extendit ad quascunq; facultates: quia etiam in mediocribus facultatibus difficile est bene se habere in illis. Magnificentia vero, respiciens sumptus vt sunt decentes operibus, non respicit quaecunque opera: quia non est difficile facere decentes sumptus in quibuscunq; operibus, sed in magnis. Ideo magnificentia à magnis operibus sumpsit nomen. In magnis autem operibus contingit aliquos deficere, quia non intendunt quomodo magna opera faciãt, sed quomodo parum expendant. Et tales vocantur paruifici. Aliqui vero etiam in magnis operibus plus expendunt quam opera illa requirant. & tales vocantur consumptores. Philosophus verò vocat eos chaunos idest ignes & fornaces, quia tales sicut fornax omnia consumunt. Quidam vero in magnis operibus faciunt decentes sumptus. & tales sunt virtuosi, & vocantur magnifici. Erit igitur magnificentia media inter paruificentiam, & consumptionem: sicut liberalitas est media inter auaritiam, &

pro-

prodigalitatem. Patet ergo quid est magnificentia. Nam sicut liberalitas est reprimens auaritias, & moderans prodigalitates: sic magnificentia est reprimens paruificentias, & moderans consumptiones. Et sicut liberalitas est faciẽs sumptus, & dationes proportionatas facultatibus: sic magnificentia est faciens sumptus decentes magnis operibus. Viso quid est magnificentia: restat videre circa quæ habet esse. Homo enim (quantum ad præsens) ad quatuor potest comparari. videlicet, ad ipsum Deum, ad totam communitatẽ, ad aliquas personas, & ad seipsum. Magnificus enim circa omnia ista decenter se habere debet: non tamen æque principaliter intendere debet circa omnia ista. Nam principaliter & primò, homo debet esse magnificus circa diuina, constituendo (si facultates tribuant) templa magnifica, sacrificia honorabilia, præparationes dignas. Ideo dicitur 4. Ethicorum, quod honorabiles sumptus, quos debet facere magnificus, sunt circa Deum. Secundo spectat ad magnificum (si adsit facultas) facere decentes sumptus circa totam communitatem. Nam ipsa bona communia quodammodo diuina sunt. Vnde Philosophus ait, quod dona communia habent aliquid simile donis Deo sacratis. Bonum enim diuinum valde debiliter repræsentatur in vna persona singulari: sed in tota communitate pulchrius elucescit diuinum bonum. Tertio magnificus se decenter habere debet circa aliquas personas speciales, vt circa personas honore dignas. Nam in hoc potissime apparet magnificentia, quando quis magna facit ijs qui sunt magis digni. Quarto debet se decenter habere magnificus circa personam propriam: debet enim quis magnifice se habere circa magna opera respectu personæ propriæ. Magna autem opera possunt dici illa, vel quæ durant per totam vitam, cuiusmodi sunt domus, & ædificia. Vel quæ fiunt raro in tota vita, cuiusmodi sunt nuptiæ, & militiæ. Decet enim magnificum (vt dicitur 4. Ethicor.) habitationem præpara-

Eth. 4. cap. 2.

Eth. 4.

para-

parare decenter, & magis debet intendere quomodo facere debeat admirabiles, & diuturnas domus, quam quomodo faciat eas sophysticas & apparentes. Sic etiam decet magnificum, nuptias, & militias, & talia quæ raro occurrunt, magnifice facere. Patet ergo circa quid est magnificentia: quia est circa sumptus decentes magnis operibus. Principaliter tamen est circa magnos sumptus impensos erga diuina, & erga totam communitatem. Ex consequenti vero est erga magnos sumptus impensos circa personas dignas, & circa seipsum. Ostenso quid est magnificentia, & circa quæ habet esse: de leui patet, quomodo possumus nosipsos magnificos facere. Nam sicut liberalitas plus contrariatur auaritiæ, quam prodigalitati: sic magnificentia plus contrariatur paruificentiæ, quam consumptioni. Nos ergo ipsos (si facultas adsit) faciemus magnificos, declinando ad consumptionem, vt etiam in magnis operibus potius superabundent sumptus, quam deficiant.

Quod maxime detestabile est, Reges & Principes esse paruificos, & quod decet eos magnificos esse. Cap. XX.

TAngit autem Philosophus 4. Ethicor. sex proprietates ipsius paruifici: quæ si inessent regibus, maxime derogarent regiæ maiestati. Prima proprietas est, quia circa omnia deficit, quod ex ipso nomine patet. Esse enim paruificum, est facere parua & defectiua. Secūda proprietas est, quia si contingat paruificum, & magna expendere pro paruo, perdit magnum bonum. Vnde & prouerbialiter dicitur, Viles homines nuptias, & conuiuium perdūt pro denariato piperis. Dum enim circa magnum conuiuium non faciunt decentes sumptus, volents parcere modicæ expensæ, totum conuiuium indecens redditur.

Eth. 4. cap. 2.

Tertia proprietas est, quod quæcunque facit paruificus, semper facit tardans. videtur enim ei, quod remouere à se pecuniã, sit abscindere mẽbra à ꝓprio corpore. Ideo sicut dato quod necesse sit aliquem mutilari, & inscindi mutilationem illam, & inscissuram tardat, & subterfugit quantum potest: sic dato quod paruificum oporteat expensas facere, tamen illos sumptus tardat, & subterfugit quãtum potest. Quarta est, quia paruificus non intendit qualiter faciat magnum opus, vt qualiter faciat debitas largitiones, vel quomodo faciat decentes nuptias: sed tota sua intentio est, quomodo faciat paruos sumptus. Est enim proprietas paruifici, vt appretietur plus pecunia quam opus. Quinta proprietas eius est, vt semper expendat cum tristitia, & dolore. Dicebatur enim, quod paruificus reputat exteriora bona, quæ habet, quasi sibi incorporata, & & quasi pertinentia ad substantiam suam. Et quia sic afficitur ad ea & ita continuat se illis, ideo sicut in incisione corporis propter diuisionem continui resultat ibi tristitia & dolor: sic in separatione pecuniæ, quæ fit per expensas, quia est ibi quasi quædam diuisio continui, eo quod paruificus reputat suam pecuniam quasi sibi incorporatam & continuatam, non potest eam expendere, & ipsam a se remouere sine tristitia, & dolore. Participat enim in hoc paruificus cum auaro: quia omnis paruificus auarus est, sicut omnis magnificus liberalis. Sexta est, quia cum paruificus nihil faciat, videtur tamen ei quod semper agat maiora, quod debeat. Dictum est enim, quod paruificus plus appreciatur pecuniam, quam dationes, & sumptus, quæ sunt opera virtutum. Pecuniam enim reputat quid carum, opera virtutum æstimat quid vile, & non appreciatur ea. Cum igitur vix possit aliquis dare ita modicum de caro, dato etiam quod multum recipiat de vili, quin videatur ei plus dare, quam debeat: non potest paruificus ita modicum sumptum facere erga quodcunque opus, quin semper videatur ei quod agat maiora, quam

quam debeat. Quare si detestabile est regiam maiestatem circa omnia deficere, magna bona pro modico perdere, semper tardare, & nihil prompte facere, & nunquam intendere quomodo faciat magna opera virtutũ, sed quomodo modicum expendat, semper facere sumptum cum tristitia & dolore; & cum nihil facit, credere se magna operari, quia omnia hæc valde derogant regiæ maiestati; omnino detestabile est Regem esse paruificum. Quod autem deceat ipsum esse magnificum, sufficienter probant superiora dicta: in quibus ostendimus circa quæ magnificentia habet esse. Dicebatur enim magnificentiam principaliter esse circa opera diuina, & circa communia; ex consequenti vero circa personas dignas, & circa seipsum. Cum ergo Rex sit caput regni, & sit persona honorabilis, reuerenda, & publica, & ad ipsum pertineat distribuere bona regni, maxime decet ipsum esse magnificum. Nam quia est caput regni, & gerit in hoc Dei vestigium, qui est caput & Princeps vniuersi, maxime spectat ad ipsum magnifice se habere circa templa sacra, & erga præparationes diuinorum. Quia vero est persona publica, ad quam ordinatur tota communitas, & totum regnum, maxime spectat ad eum magnifice se habere circa bona communia, & circa ea quæ respiciunt regnum totum. Rursus quia ad ipsum maxime spectat distribuere bona regni, omnino decet eum magnifice se habere erga personas dignas, quibus digne competunt illa bona. Amplius quia (vt dictum est) regia persona debet esse reuerenda & honore digna, spectat ad Regem magnifice se habere erga personam propriam, & erga personas sibi coniunctas, vt erga vxorem & filios, habendo habitationes honorabiles, faciendo nuptias decentes, exercendo militias admirabiles.

Quæ

Quæ sunt proprietates magnifici, & quod proprietates illas Reges & Principes habere debent. Cap. XXI.

Eth. 4. PHilosophus 4. Ethicorum capitulo De magnificentia, tãgit sex proprietates magnifici, quas habere decet Reges & Principes. Prima proprietas est, quia magnificus assimilatur scienti. Dicebatur enim spectare ad magnificũ in magnis operibus facere decentes sumptus. Cognoscere autem quibus magnis operibus qui sumptus sint conuenientes, esse non potest, nisi quis polleat scientia, & intellectu. Secunda proprietas magnifici, est facere magnos sumptus, non vt ostendat seipsum, sed boni gratia. Est enim hoc commune cuilibet virtuti, agere non propter fauorem, vel propter gloriam hominum, sed gratia boni. Specialiter tamen hoc dicitur esse proprium magnificentiæ. Nam cum in operibus magnificis, vt cum aliquis magnifice se habet erga cultum diuinum, & erga rempublicam, & circa personas dignas, maxime quis apparet gloriosus, & maxime quis ab hominibus laudatur, difficile est in talibus non quærere humanam laudem. Et quia virtus est circa bonum & difficile, ideo maxime spectat ad magnificum in suis magnificis operibus, & distributionibus intendere finaliter bonum, & non fauorem, & gloriam hominum. Tertia proprietas magnifici, est facere sumptus & distributiones delectabiliter & prompte. Nam qui prius quam sumptus faciat, diu ratiocinatur, & omnes minutas expensas inquirit, & non delectabiliter, & promptè largitur quę largiri debet, non est magnificus, sed paruificus. Ideo dicitur 4. Ethic.
Eth. 4. quod diligentia ratiocinij est paruifica. Quarta, est magis intendere qualiter faciat opus optimum, & decentissimum, quam qualiter, & quãtum sumptum faciat ad opus

illud.

illud. vt si debet magnificus aliquod templum construere in honorem diuinum, vel aliqua dona conferre personis dignis, magis intendet quomodo templum illud sit admirabile & pulchrum, & quomodo dona illa sint magna & decentia, quam quot & quanta numismata oporteat ipsum consumere propter huiusmodi opera. Quinta proprietas est, quod magnificus est excellenter liberalis. Idem est enim esse magnificum, quod esse abundanter liberalem. Nam (vt infra patebit) magnificentia est quædam perfectio, & quidam ornatus liberalitatis: sicut magnanimitas est quædam perfectio, & quidam ornatus omnium virtutum. Cum .n. ille sit magnificus, qui in magnis operibus facit decētes sumptus: si facere decentes sumptus est esse liberalem, facere maximos decentes sumptus, quos facit magnificus, est esse maximè liberalē. Sexta proprietas magnifici, est æquali sumptu facere opus magis magnificum. Paruifici enim, quia semper intendunt, quomodo parcant numo, vt supra dicebatur, pro modico multum perdunt. Magnificus ergo, cui non est curæ de ratiocinio ab æquali sumptu, facit opus magis magnificum, quia non parcit decentibus sumptibus. Contingit enim aliquando auarum plus expendere in aliquo negocio, quam liberalem: tamen quia semper nititur auarus aliquas decentes expensas subtrahere, etiam si modice sint, & parui valoris, ideo opus, vbi multum expendit, indecenter facit. Quare ab æquale sumptu, vel etiam aliquando à minori, liberalis, vel magnificus facit decentius opus, quam paruificus, & auarus. Has autem proprietates debere inesse Regibus & Principibus, videre non est difficile: ipsi enim maxime debent esse scientes, & cognoscentes, qui sumptus quibus operibus deceant. Ad eos autem maxime spectat facere magnas largitiones, & excellentes sumptus boni gratia. Nā maxime debet bonum intendere, qui regnū debet in bonum dirigere. Sic etiam ad eos spectat delectabiliter, & prompte sumptus facere.

rigi debet, indecens est ægrotare secundum mores morbo incurabili, omnino detestabile est Regem esse auarum, & quod melius esset ipsum esse prodigum, quam auarum. Secundo hoc idem patet: quia prodigalitas magis est propinqua virtuti, quam auaritia: nam liberalis non libenter recipit, & libenter dat: quorum vtrunque facit prodigus: neutrum tamen facit auarus. Non ergo differt prodigalitas à liberalitate, nisi quia prodigus non dat vt debet, & quibus debet, & cuius gratia debet. Quare cum prodigus non sit amator pecuniæ, sicut nec liberalis, de leui quis cum sit prodigus, fieri poterit liberalis. Si ergo omnino decens est Regem esse virtuosum, tanto detestabilius est ipsum esse auarum, quam prodigum: quanto auaritia plus contrariatur virtuti, quam prodigalitas. Tertio hoc est detestabilius: quia Rex positus est in regno propter salutem regni, & vt prosit ijs qui in regno sunt. Auarus autem nulli prodest, quia etiam sibiipsi nequam est: prodigus autem multis prodest. Omnino ergo detestabile est, Regem esse auarum. Viso quod quasi impossibile est Reges esse prodigos, & quod omnino detestabile est eos esse auaros: restat ostendere, quod deceat eos esse largos, liberales, & communicatiuos. Hæc enim virtus, quæ est circa sumptus, per quandam similitudinem dicitur largitas, & liberalitas, & communicabilitas. Largitas enim dicitur ad similitudinem vasorum. Vasa enim habentia os artum, non abunde emittunt quod in eis est. Abundās ergo in sumptibus, & dationibus, dicitur largus: quia ad modum largi vasis abunde emittit quæ continet. Cum ergo tanto deceat fontem habere os largius, quanto ex eo plures participare debent: tanto decet Regem largiorem esse, quanto influentia eius ad plures extendenda est, quam influentia aliorum. Secundo huiusmodi virtus dicitur liberalitas: quia pollentes ea sunt ad similitudinem liberorum. Auari enim non sunt liberi,

sed

sed sunt serui peuniæ. Quare si indecens est Reges, & Principes esse seruos, conueniens est eos esse liberales. Tertio huiusmodi virtus dicitur communicabilitas: quia per eam homines communicant sua bona, per quam communicationem ab alijs potissime diliguntur: nam liberales sunt potissime amabiles. Quare si maxime decet Reges & Principes, vt sint dilecti ab ijs qui sunt in Regno, maxime decet eos liberales esse. Spectat autem ad liberalem primo respicere quantitatem dati, vt non det minus, vel plus, quam debeat. Secundo debet respicere quibus det, vt non det quibus non oportet. Tertio videndum est cuius gratia det, vt det boni gratia, non propter aliquã aliam causam. Reges enim & Principes vix possunt deuiare à liberalitate in dando plus, quia magnitudo expensarum vix potest excedere multitudinem redituum. Imo si cõtingat liberalem dare plus quam deceat, vt vult Philosophus, moderate tristabitur. Nam magis grauatur liberalis, si det minus quam debeat, vel si non expendat vbi oportet, quam si expendat vbi non oportet. Deuiant autem à liberalitate Reges, & Principes in dando quibus non oportet, vel cuius gratia non oportet. Dant enim (vt Philosophus ait) histrionibus, adulatoribus, vel alijs, quibus non oportet dare: quia magis deceret eos esse pauperes, quam diuites. Sic etiam dant cuius gratia non oportet. non enim dant boni gratia, sed magis dant vt laudentur, & propter inané gloriã vel propter aliquam aliam causam. Decet igitur Reges esse liberales: & vt liberales sint, oportet eos beneficiare bonos, & boni gratia.

Phil.

Quid

Quid est magnificentia, & circa quæ habet esse, & quomodo possumus nos ipsos magnificos facere. Cap. XIX.

Dicebatur supra, circa sumptus duplicem esse virtutem. Vnam, quæ respicit moderatos sumptus, quam liberalitatem vocant. Aliam, quæ respicit sumptus magnos, quam magnificentiam nominant. Sed cum magis, & minus non videantur diuersificare speciem, & naturam rerum, vt vult Philosophus 1. Politicorum, non videtur sufficienter distingui magnificentia à liberalitate per hoc, quia hæc est circa magnos sumptus, illa vero circa mediocres. Sciẽdum ergo quod de ratione virtutis est, quod sit circa bonum, & difficile. quare cũ in maioribus sumptibus reperiatur specialis ratio bonitatis & difficultatis, quæ non reperitur in mediocribus sumptibus, dici potest magnanimitatem quæ est circa magnos sumptus, esse virtutem aliam à liberalitate, quæ est circa mediocres. Vel possumus dicere, quod sumptus ad duo comparari possunt. videlicet, ad facultàtes eius qui facit sumptus, & ad opera in quæ sumptus illi expenduntur. Erit ergo circa pecuniam duplex virtus. Vna, quæ æquat dationes, & expensas facultatibus: & hæc est liberalitas. Ideo dicitur esse liberalitas circa mediocres sumptus, non secundum se, sed per comparationem ad dantem, & ad facientem sumptus. Ideo largitor multorum posset esse auarus, si illa multa non æquarentur facultatibus dantis. Dicebatur enim supra non esse liberalitatem in multitudine datorũ. Liberalis ergo adæquat dationes, & sumptus facultatibus. Sed magnificus vult proportionare sumptus operibus: vnde & nomen accepit. Ab ipsa enim factione, & ab ipso opere denominatur magnificentia. Dicitur enim magnificus, quasi magna faciens. Inde est ergo, quod quia

Polit. 1.

in quocunq; statu homo sit, & quascumq. facultates habeat, siue multas, siue mediocres: difficile est bene vti illis & bene æquare sumptus facultatibus. Ideo liberalitas se extendit ad mediocres sumptus. Sumptus enim, vel possunt considerari secundum se, vel vt proportionantur facultatibus. Si autem considerantur sumptus secundum se: sic liberalitas est circa magnos sumptus, si faciens eos, multas habeat facultates: & etiam circa mediocres, si faciens sumptus illos, mediocriter facultatibus abundet. Sed si sumptus non considerentur secundum se, sed vt proportionantur facultatibus: sic liberalitas semper est circa mediocres sumptus. Nam sicut parui sumptus sunt mediocres & proportionati pauperibus: sic magni, sunt mediocres, & proportionati diuitibus. Cum ergo liberalitas non respiciat sumptus secundum se, sed vt proportionantur facultatibus, nó dicitur esse circa magnos & mediocres sumptus, sed circa mediocres tantum. Liberalitas igitur, quæ respicit sumptus proportionatos facultatibus, se extendit ad quascunq; facultates: quia etiam in mediocribus facultatibus difficile est bene se habere in illis. Magnificentia vero, respiciens sumptus vt sunt decentes operibus, non respicit quæcunque opera: quia non est difficile facere decentes sumptus in quibuscunq; operibus, sed in magnis. Ideo magnificentia à magnis operibus sumpsit nomen. In magnis autem operibus contingit aliquos deficere, quia non intendunt quomodo magna opera faciãt, sed quomodo parum expendant. Et tales vocantur paruifici. Aliqui vero etiam in magnis operibus plus expendunt quam opera illa requirant. & tales vocantur consumptores. Philosophus verò vocat eos chaunos idest ignes & fornaces, quia tales sicut fornax omnia consumunt. Quidam vero in magnis operibus faciunt decentes sumptus. & tales sunt virtuosi, & vocantur magnifici. Erit igitur magnificentia media inter paruificentiam, & consumptionem: sicut liberalitas est media inter auaritiam, &

pro-

prodigalitatem. Patet ergo quid est magnificentia. Nam sicut liberalitas est reprimens auaritias,& moderans prodigalitates: sic magnificentia est reprimens paruificentias, & moderans consumptiones. Et sicut liberalitas est faciẽs sumptus, & dationes proportionatas facultatibus: sic magnificentia est faciens sumptus decentes magnis operibus. Viso quid est magnificentia: restat videre circa quæ habet esse. Homo enim (quantum ad præsens) ad quatuor potest comparari. videlicet, ad ipsum Deum, ad totam communitatẽ, ad aliquas personas, & ad seipsum. Magnificus enim circa omnia ista decenter se habere debet: non tamen æque principaliter intendere debet circa omnia ista. Nam principaliter & primò, homo debet esse magnificus circa diuina, constituendo (si facultates tribuant) templa magnifica, sacrificia honorabilia, præparationes dignas. Ideo dicitur 4. Ethicorum, quod honorabiles sumptus, quos debet facere magnificus, sunt circa Deum. Secundo spectat ad magnificum (si adsit facultas) facere decentes sumptus circa totam communitatem. Nam ipsa bona communia quodammodo diuina sunt. Vnde Philosophus ait, quod dona communia habent aliquid simile donis Deo sacratis. Bonum enim diuinum valde debiliter repræsentatur in vna persona singulari: sed in tota communitate pulchrius elucescit diuinum bonum. Tertio magnificus se decenter habere debet circa aliquas personas speciales, vt circa personas honore dignas. Nam in hoc potissime apparet magnificentia, quando quis magna facit ijs qui sunt magis digni. Quarto debet se decenter habere magnificus circa personam propriam: debet enim quis magnifice se habere circa magna opera respectu personæ propriæ. Magna autem opera possunt dici illa, vel quæ durant per totam vitam, cuiusmodi sunt domus, & ædificia. Vel quæ fiunt raro in tota vita, cuiusmodi sunt nuptiæ, & militiæ. Decet enim magnificum (vt dicitur 4. Ethicor.) habitationem præpara-

Eth. 4. cap. 2.

Eth.

parare decenter, & magis debet intendere quomodo faciat debeat admirabiles, & diuturnas domus, quam quomodo faciat eas sophysticas & apparentes. Sic etiam decet magnificum, nuptias, & militias, & talia quæ raro occurrunt, magnifice facere. Patet ergo circa quid est magnificentia: quia est circa sumptus decentes magnis operibus. Principaliter tamen est circa magnos sumptus impensos erga diuina, & erga totam communitatem. Ex consequenti vero est erga magnos sumptus impensos circa personas dignas, & circa seipsum. Ostenso quid est magnificentia, & circa quæ habet esse: de leui patet, quomodo possumus nosipsos magnificos facere. Nam sicut liberalitas plus contrariatur auaritiæ, quam prodigalitati: sic magnificentia plus contrariatur paruificentiæ, quam consumptioni. Nos ergo ipsos (si facultas adsit) faciemus magnificos, declinando ad consumptionem, vt etiam in magnis operibus potius superabundent sumptus, quam deficiant.

Quòd maxime detestabile est, Reges & Principes esse paruificos, & quod decet eos magnificos esse. Cap. XX.

TAngit autem Philosophus 4. Ethicor. sex proprietates ipsius paruifici: quæ si inessent regibus, maxime derogarent regiæ maiestati. Prima proprietas est, quia circa omnia deficit, quod ex ipso nomine patet. Esse enim paruificum, est facere parua & defectiua. Secũda proprietas est, quia si contingat paruificum, & magna expendere propter paruo, perdit magnum bonum. Vnde & prouerbialiter dicitur, Viles homines nuptias, & conuiuium perdũt pro denariato piperis. Dum enim circa magnum conuiuium non faciunt decentes sumptus, volents parcere modicæ expensæ, totum conuiuium indecens redditur. *Eth. 4. cap. 2.*

Tertia

Tertia proprietas est, quod quæcunque facit paruificus, semper facit tardans. videtur enim ei, quod remouere à se pecuniã, sit abscindere mẽbra à proprio corpore. Ideo sicut dato quod necesse sit aliquem mutilari, & inscindi mutilationem illam, & inscissuram tardat, & subterfugit quantum potest: sic dato quod paruificum oporteat expensas facere, tamen illos sumptus tardat, & subterfugit quãtum potest. Quarta est, quia paruificus non intendit qualiter faciat magnum opus, vt qualiter faciat debitas largitiones, vel quomodo faciat decentes nuptias: sed tota sua intentio est, quomodo faciat paruos sumptus. Est enim proprietas paruifici, vt apprecietur plus pecunia quam opus. Quinta proprietas eius est, vt semper expendat cum tristitia, & dolore. Dicebatur enim, quod paruificus reputat exteriora bona, quæ habet, quasi sibi incorporata; & & quasi pertinentia ad substantiam suam. Et quia sic afficitur ad ea & ita continuat se illis, ideo sicut in incisione corporis propter diuisionem continui resultat ibi tristitia & dolor: sic in separatione pecuniæ, quæ fit per expensas, quia est ibi quasi quædam diuisio continui, eo quod paruificus reputat suam pecuniam quasi sibi incorporatam & continuatam, non potest eam expendere, & ipsam a se remouere sine tristitia, & dolore. Participat enim in hoc paruificus cum auaro: quia omnis paruificus auarus est, sicut omnis magnificus liberalis. Sexta est, quia cum paruificus nihil faciat, videtur tamen ei quod semper agat maiora, quod debeat. Dictum est enim, quod paruificus plus appreciatur pecuniam, quam dationes, & sumptus, quæ sunt opera virtutum. Pecuniam enim reputat quid carum, opera virtutum æstimat quid vile, & non appreciatur ea. Cum igitur vix possit aliquis dare ita modicum de caro, dato etiam quod multum recipiat de vili, quin videatur ei plus dare, quam debeat: non potest paruificus ita modicum sumptum facere erga quodcunque opus, quin semper videatur ei quod agat maiora,

quam

quam debeat. Quare si detestabile est regiam maiestatem circa omnia deficere, magna bona pro modico perdere, semper tardare, & nihil prompte facere, & nunquam intendere quomodo faciat magna opera virtutū, sed quomodo modicum expendat, semper facere sumptum cum tristitia & dolore; & cum nihil facit, credere se magna operari, quia omnia hæc valde derogant regiæ maiestati; omnino detestabile est Regem esse paruificum. Quod autem deceat ipsum esse magnificum, sufficienter probant superiora dicta: in quibus ostendimus circa quæ magnificentia habet esse. Dicebatur enim magnificentiam principaliter esse circa opera diuina, & circa communia: ex consequenti vero circa personas dignas, & circa seipsum. Cum ergo Rex sit caput regni, & sit persona honorabilis, reuerenda, & publica, & ad ipsum pertineat distribuere bona regni, maxime decet ipsum esse magnificum. Nam quia est caput regni, & gerit in hoc Dei vestigium, qui est caput & Princeps vniuersi, maxime spectat ad ipsum magnifice se habere circa templa sacra, & erga præparationes diuinorum. Quia vero est persona publica, ad quam ordinatur tota communitas, & totum regnum, maxime spectat ad eum magnifice se habere circa bona communia, & circa ea quæ respiciunt regnum totum. Rursus quia ad ipsum maxime spectat distribuere bona regni, omnino decet eum magnifice se habere erga personas dignas, quibus digne competunt illa bona. Amplius quia (vt dictum est) regia persona debet esse reuerenda & honore digna, spectat ad Regem magnifice se habere erga personam propriam, & erga personas sibi coniunctas, vt erga vxorem & filios, habendo habitationes honorabiles, faciendo nuptias decentes, exercendo militias admirabiles.

Quæ

Quæ sunt proprietates magnifici, & quod proprietates illas Reges & Principes habere debent. Cap. XXI.

Eth. 4. PHilosophus 4. Ethicorum capitulo De magnificentia, tãgit sex proprietates magnifici, quas habere decet Reges & Principes. Prima proprietas est, quia magnificus assimilatur scienti. Dicebatur enim spectare ad magnificũ in magnis operibus facere decentes sumptus. Cognoscere autem quibus magnis operibus qui sumptus sint conuenientes, esse non potest, nisi quis polleat sciencia, & intellectu. Secunda proprietas magnifici, est facere magnos sumptus, non vt ostendat seipsum, sed boni gratia. Est enim hoc commune cuilibet virtuti, agere non propter fauorem, vel propter gloriam hominum, sed gratia boni. Specialiter tamen hoc dicitur esse proprium magnificentiæ. Nam cum in operibus magnificis, vt cum aliquis magnifice se habet erga cultum diuinum, & erga rempublicam, & circa personas dignas, maxime quis apparet gloriosus, & maxime quis ab hominibus laudatur, difficile est in talibus non quærere humanam laudem. Et quia virtus est circa bonum & difficile, ideo maxime spectat ad magnificum in suis magnificis operibus, & distributionibus intendere finaliter bonum, & non fauorem, & gloriam hominum. Tertia proprietas magnifici, est facere sumptus & distributiones delectabiliter & prompte. Nam qui prius quam sumptus faciat, diu ratiocinatur, & omnes minutas expensas inquirit, & non delectabiliter, & promptè largitur quę largiri debet, non est magnificus, sed paruificus. Ideo dicitur 4. Ethic. quod diligentia ratiocinij est paruifica. Quarta, est magis intendere qualiter faciat opus optimum, & decentissimum, quam qualiter, & quãtum sumptum faciat ad opus

Eth. 4.

illud.

illud. vt si debet magnificus aliquod templum construere in honorem diuinum, vel aliqua dona conferre personis dignis, magis intendet quomodo templum illud sit admirabile & pulchrum, & quomodo dona illa sint magna & decentia, quam quot & quanta numismata oporteat ipsum consumere propter huiusmodi opera. Quinta proprietas est, quod magnificus est excellenter liberalis. Idem est enim esse magnificum, quod esse abundanter liberalem. Nam (vt infra patebit) magnificentia est quædam perfectio, & quidam ornatus liberalitatis: sicut magnanimitas est quædam perfectio, & quidam ornatus omnium virtutum. Cum .n. ille sit magnificus, qui in magnis operibus facit decẽtes sumptus: si facere decentes sumptus est esse liberalem, facere maximos decentes sumptus, quos facit magnificus, est esse maximè liberalẽ. Sexta proprietas magnifici, est æquali sumptu facere opus magis magnificum. Paruifici enim, quia semper intendunt, quomodo parcant numo, vt supra dicebatur, pro modico multum perdunt. Magnificus ergo, cui non est curæ de ratiocinio ab æquali sumptu, facit opus magis magnificum, quia non parcit decentibus sumptibus. Contingit enim aliquando auarum plus expendere in aliquo negocio, quam liberalem: tamen quia semper nititur auarus aliquas decentes expensas subtrahere, etiam si modice sint, & parui valoris, ideo opus, vbi multum expendit, indecenter facit. Quare ab æquale sumptu, vel etiam aliquando à minori, liberalis, vel magnificus facit decentius opus, quam paruificus, & auarus. Has autem proprietates debere inesse Regibus & Principibus, videre non est difficile: ipsi enim maxime debent esse scientes, & cognoscentes, qui sumptus quibus operibus deceant. Ad eos autem maxime spectat facere magnas largitiones, & excellentes sumptus boni gratia. Nã maxime debet bonum intendere, qui regnũ debet in bonum dirigere. Sic etiam ad eos spectat delectabiliter, & prompte sumptus facere.

Nam (vt supra dicebatur) quia modicis natura contenta est, ociosæ sunt diuitiæ, nisi ex eis fiant debitæ largitiones, & decentes sumptus. Quanto igitur Reges, & Principes magis abundant facultatibus, & diuitijs, tanto magis decet eos ampliores retributiones facere, & magis delectabiliter, & prompte expendere. Decet etiam Reges, & Principes magis intendere, quomodo faciant excellentia opera virtutum, quam quomodo parcant nummis & expensis. Oportet etiam eos esse excellenter liberales, & semper facere magnifica opera. Omnes igitur proprietates magnifici per amplius, & perfectius decet ipsos Reges habere. Vnde & Philos. 4 Ethic. vult, quod non quilibet possit esse magnificus: quia non quilibet potest facere magnos sumptus. Sed, vt ibidem dicitur, tales oportet esse nobiles & gloriosos. Quare quanto est nobilior alijs, tanto decet ipsum pollere magnificentia, & habere proprietates magnifici.

Eth. 4.

Quid est magnanimitas, & circa quæ habet esse, & quomodo possumus nosipsos magnanimos facere. Cap. XXII.

BOnorum exteriorum (vt supra dicebatur) quædam sunt vtilia, vt pecuniæ, & vniuersaliter quicquid potest mensurari numismate. Quædam vero sunt bona honesta, cuiusmodi sunt honores. Sicut igitur circa ipsa bona vtilia est duplex virtus vna respiciens magnos sumptus, vt magnificentia, & alia quæ respicit mediocres, vt Liberalitas: sic circa ipsa bona honesta est duplex virtus, vna quæ respicit magnos honores, vt magnanimitas, & alia quæ respicit mediocres, quæ communi nomine dici potest honoris amatiua. In magnis autem honoribus tripliciter quis se habere potest. Nam quidam in talibus deficiunt, vt pusillanimes. Quidam vero superabundant, vt præsumptuosi. Quidam autem se habent, vt decet, vt magna-

gnanimi. Videmus enim aliquos de se aptos ad magna, potentes magna & ardua exercere: quadam tamen pusillanimitate ducti, retrahunt se ab huiusmodi magnis. Tales ergo in talibus deficiunt. Sed quidam econtrario superabundant, ingerentes se ad aliqua, quæ digne complere non possunt, quos Philosophus vocat chaunos, idest fumosos & ventosos. Nos autem eos præsumptuosos vocare possumus. Magnanimus vero medius est inter pusillanimum, & præsumptuosum. non enim se retrahit ab arduis operibus, quæ potest digne agere, vt pusillanimus. nec se ingerit ad ea, quæ digne complere non potest, vt præsumptuosus. Quare manifeste patet, quid sit magnanimitas. Nam sicut liberalitas, quæ est media inter auaritias, & prodigalitates, ideo est virtus quædam reprimens auaritias, & moderans prodigalitates: sic magnanimitas, quia est media inter pusillanimitatem, & præsumptionē, est virtus quædam reprimens pusillanimitates, & moderans præsumptiones. Viso quid est magnanimitas, de leui patet, circa quæ habet esse. Videtur autem Philosophus 4. Ethicor. velle, magnanimitatem esse circa honores, circa diuitias, & principatus, & vniuersaliter circa omnia fortunia, & infortunia: non tamen est æque principaliter circa ista. Nam magnanimitas principaliter est circa honores, & non circa honores quoscunq; sed honores magnos. Ex consequenti aūt est circa diuitias, & principatus, & circa fortunia, & infortunia. Nam secundum Philosophum inter bona exteriora maximus est honor. Diuitiæ enim, & principatus, & alia exteriora bona, non sunt tantum bonum, sicut honor: quia vtplurimum homines hæc ordinant, vt consequantur honores. Sicut ergo dicebatur de fortitudine, quia principaliter erat circa pericula bellica, quia illa sunt difficiliora: ex consequenti autem erat circa pericula alia, quod fortis etiam in alijs periculis decenter se habeat. Sic magnanimitas principaliter est circa honores, tanquam circa maxima bona exteriora:

Eth. 4. cap 3.

ex consequenti aũt est circa diuitias,& principatũs,& circa alia bona exteriora, ita quod magnanimus decenter se habet in possidendo diuitias,& principatus, & in tolerando fortunia,& infortunia. Magnanimitas enim est sicut bonus tetragonus,qui nunquam deijcitur. Si enim honoratur,vel si magna fortunia ei occurrant,nõ extollitur. Si aũt inhonoratur,& magna infortunia veniant super ipsum,non deijcitur. In quolibet enim statu nouit magnanimus se decenter habere. Ad pusillanimẽ enim pertinet nescire fortunas ferre. Ideo Andron. Perip. ait. Opera pusillanimitatis esse, quæ neque honorem,neque inhonorationẽ,neq; bonã fortunam,neq; infortunium possit ferre: sed honoratũ quidem intumescere,& parum bene fortunatũ extolli. Ostenso quid est magnanimitas,& circa quæ habet esse. Restat ostendere,quomodo possumus nosipsos magnanimos facere. Inter cætera autem,quæ nos ad magnanimitatem trahunt,est parua pretiari exteriora bona, quæcunq; sint illa,siue sint honores, siue principatus, siue diuitiæ,siue quæcunq; alia huiusmodi bona. Dictum est enim pusillanimem nescire fortunas ferre, sed ex modico fortunio extolli,ex infortunio vero deprimi. Magnanimus quidem non sic, sed (vt dicebatur) nouit fortunas ferre,& in quolibet statu scit se decenter habere. Causa autem,quare quis nescit fortunas ferre,est,quia nimis appretiatur exteriora bona. Ideo quando aliquid de huiusmodi bonis acquisiuit,videtur ei totum acquisiijsse,& intumescit. Quando verò aliquid de eis bonis perdidit, videtur ei totum perdidisse,& deijcitur. Quare si appretiantur opera virtutum, & non appretiantur exteriora bona, nisi inquantum sunt organa ad virtutes, omnino erimus magnanimi, & sciemus fortunas ferre. Nam si augebimur in diuitijs,& in exterioribus bonis, non extollemur, cum non reputamus talia esse simpliciter maxima bona. Et si contingat nos infortunari circa ea,decenter tolerabimus,cum non multum reputemus ipsa.

Andro. Perip.

Quæ

Quæ sunt proprietates magnanimi, & quod decet Reges, & Principes magnanimos esse. Cap. XXIII.

Recitat autem Philosophus 4. Ethicor. multas proprietates magnanimi: inter quas possumus numerare sex, quas Reges, & Principes habere debent. Prima proprietas magnanimi, est bene se habere circa pericula. Bene autem se habere circa ea, est non esse amatorem periculorum, neque se exponere pro paruis periculis, sed pro magnis, vt pro ijs ex quibus potest consurgere magna vtilitas. Cum autem sic se periculis exponit, adeò debet esse constans in suis negocijs, vt etiam, si viderit expedire, non parcat vitæ, vt Philosophus ait 4. Ethic. Secundò competit magnanimo se habere bene circa retributiones. Magnanimus enim parum appreciatur exteriora bona, & multum appreciatur opera virtutũ: propter quod, quia esse plurimum retributiuum, est agere opera virtutum, cõuenit magnanimo esse plurimum retributiuum, vt dicitur 4. Ethicor. Tertio spectat ad ipsum esse paucorum operatiuum. Dictum est enim magnanimum esse circa magna, vt circa ea, ex quibus consurgere possunt magni honores; talia autem non multotiens occurrunt, ideo decet magnanimum esse paucorum operatiuum. Quarto decet magnanimum esse apertum, vt sit veridicus, & sit manifestus oditor, & amator, & magis curare de veritate, quam de opinione, vt vult Philos. 4. Ethicor. Quinto spectat ad magnanimum, vt non sit ei curæ quod laudetur, nec quod alij vituperentur. Nã cum talia inter exteriora bona computentur, ipse nõ multũ curat de eis, quia (vt dicebatur) modicum appretiatur exteriora bona. Sexto spectat ad ipsum non esse plangitiuum, neque deprecatiuum, & maxime non debet esse talis respectu ex-

Eth. 4. cap. 3.

Eth. 4.

Eth. 4.

teriorum bonorum. Qui enim conqueritur de exterioribus bonis, vel alios deprecatur, vt ea acquirat, quodammodo pusillanimus est: quia nimis appretiatur exteriora bona, dicente Seneca, quòd nihil carius emitur, quã quod precibus comparatur. Has autem proprietates narratas à Philosopho, si bene intelligantur, habere decet Reges, & Principes. Decet enim Reges se nõ exponere pro quibuscunq; periculis, nisi pro negocijs arduis, vt pro defensione fidei, vel pro tuitione regni. Si vero occurrat casus adeò arduus, quod Rex gentem suam, vel etiam seipsum debeat exponere periculis: ita debet esse constans, & magnanimus, vt pro bono diuino & communi, paratus sit vitam exponere. Secundo decet Reges, & Principes esse plurimum retributiuos: quia quanto sunt in altiori gradu quã alij, & quanto plus affluunt diuitijs quam alij: tanto in operibus virtutum, & in retributionibus debent alios superare. Tertio decet eos esse paucorum operatiuos. negocia enim ardua pauca sunt respectu aliorum. Non autem decet Reges & Principes omnia negocia quantumcumque modica expedire per seipsos, nec decet eos omnium esse operatiuos; sed vt possit liberius intendere expeditioni negociorum magnorum quæ sunt pauca, debet alia minora negocia alijs committere, quæ sunt multa. Quarto decet esse apertos, vt esse veridicos; cum sint regula aliorum, quæ obliquari, & falsificari non debet. Decet etiam eos esse manifestos oditores, & amatores, vt manifeste odiant vitia, persequantur malos, & non permittant maleficos viuere; & aperte diligant bonos, & honorent eos: quia hoc modo maxime inducent totum populum sibi commissum, vt sit iustus, & virtuosus. Quinto decet Reges, & Principes nõn curare, vt laudentur ab hominibus. Nam positi in dignitatibus multos habent adulatores, & loquẽtes eis placentia. Si autem talibus adulatoribus credant, contingit eos non agere secundum legem & rationem, sed secundum passionem & voluntatem. Tanto igitur Re-

ges

ges & Principes, & vniuersaliter omnes existentes in dignitatibus, minus debent curare de laude hominũ, quanto plures habent adulatores, qui eos laudando conantur ipsos peruertere. Sexto quia Reges, & Principes debent sibi esse sufficientes in exterioribus bonis, vt declarabitur in tertio libro, vbi agetur de regimine Regni, non decet eos esse plangitiuos, vel deprecatiuos pro exterioribus bonis. Omnes ergo assignatæ proprietates competere debent Regibus et Principib. Quare decet eos esse magnanimos.

Quomodo Reges, & Principes debent esse amatores honoris, & qualis est virtus illa quæ dicitur honoris amatiua. Cap. XXIV.

AMatores honorum aliquando vituperantur, aliquando vero laudantur, vt vult Philosophus 4. Ethicor. *Eth. 4. cap. 4.* Increpamus enim aliquos, dicentes eos non curare de honore suo, & rursus quia vituperamus ambitiosos laudamus non curantes de honore suo. Curare igitur de proprio honore, vno modo est laudabile, & alio vituperabile. Nam non curare de honore, quia non vult agere opera honore digna, vituperabile est. Nobis igitur debet esse curæ de honore, non quod simus ambitiosi, nec quod finem nostrum ponamus in honoribus; sed quod agamus opera honore digna. Opera autem honore digna dupliciter considerari possunt. Vel vt sunt proportionata nobis. Vel vt sunt digna magno honore. Sicut enim circa sumptus sunt duæ virtutes: videlicet, liberalitas, quæ respicit sumptus, vt sunt mediocres, & vt sunt proportionati nobis & magnificentia, quæ respicit sumptus vt sunt magni, & vt ordinantur ad magna opera. Sic circa honores est duplex virtus. Vna quæ respicit honores mediocres, & vt sunt proportionati nobis: & hæc à Philosopho dicitur honoris amatiua. Alia est, quæ re-

spicit magnos honores, vt magnanimitas. Eadem ergo opera possunt esse aliarum virtutum, & magnanimitatis. Nam agens opera fortitudinis, & aggrediens pugnam, si hoc facit, quia delectatur in talibus actibus, fortis est. Si vero hoc agit, quia talia opera sunt magno honore digna, magnanimus est. Sic etiam si agat opera castitatis, quia delectatur in eis, castus & temperatus est. Sed si hoc agat, quia sunt magno honore digna, magnanimus est. Ideo propria materia magnanimitatis non sunt pericula bellica, sed talia sunt materia fortitudinis. nec delectabilia secundum sensum, quia circa talia versatur temperantia. Sed propria materia magnanimitatis dicitur esse honor, quia quæcunque agit magnanimus, agit ea prout sunt magno honore digna. Magnanimitas ergo (vt dicitur quarto Ethicorum) est quidam ornatus omnium virtutum. Nam sicut magnificentia est quidam ornatus liberalitatis, quà magnificus opera liberalitatis facit excellentiori modo: sic magnanimitas est quidam ornatus omnium virtutum. Nam opera omnium virtutum sunt honore digna. Quare magnanimus operabitur opera singularum virtutum. Ideo dicitur quarto Ethicorum, quod non congruit magnanimo fugere commouentem, quod est actus prudentiæ: nec facere iniusta, quod pertinet ad iniustitiam. Operatur ergo magnanimus opera aliarum virtutum, & ea faciet excellenter. Nã cum honor inter exteriora bona sit bonum excellens, faciens opera virtutum, inquantum sunt honore digna, excellentiori modo facit ea, quam si ageret talia opera, quia delectaretur in illis. Recte ergo magnanimitas dicitur omnes virtutes maiores facere, & dicitur omnes eas perficere & ornare: quia actus omnium earum per magnanimitatem facimus excellentius, ornatius, & magis perfecte. Viso ergo quid est magnanimitas, & qualiter se habet ad virtutes alias: de leui patet, qualis sit illa virtus, de qua nunc intendimus, quæ dicitur honoris amatiua. Nam

Eth. 4. cap. 3.

ſicut eadem opera poſſunt eſſe aliarum virtutum, & magnanimitatis: ſic eadem eſſe poſſunt aliarum virtutum, & honoris amatiuæ. Opera enim aliarum virtutum, vt ſunt magno honore digna, pertinent ad magnanimitatem. Sed vt ſunt proportionata nobis, & vt ordinantur ad mediocres honores, pertinent ad virtutem, quæ dicitur honoris amatiua. Sicut ergo decet Reges & Principes eſſe magnificos, & liberales: ſic decet eos eſſe magnanimos, & honoris amatiuos. Reges enim & Principes decet honores diligere modo quo dictum eſt; videlicet, vt diligant & cupiant facere opera, quæ ſint honore digna. Videtur enim honoris amatiua ſe habere ad magnanimitatem, ſicut formoſitas corporis ſe habet ad pulchritudinem. Parui enim ſi habent membra bene proportionata, & conformia, formoſi ſunt: non tamen pulchri, quia pulchritudo non eſt niſi in magno corpore. Sic facientes opera mediocri honore digna, dicuntur honoris amatiui: tamen tunc proprie ſunt magnanimi, quando agunt opera magno honore digna. Vt igitur Reges & Principes nec in negocijs arduis, nec in mediocribus faciant aliquid turpe; ſed vt ſemper agant opera honore digna: bene dictum eſt, quod decet eos eſſe magnanimos, & honoris amatiuos.

Quod

Quod humilitas dici debet honoris amatiua, & quod omnis magnanimus est humilis. Cap. XXV.

Eth. 4. PHilosophus 4. Ethicorum mediocriter se ingerentē honoribus, non appellat magnanimum, sed temperatum. Cum igitur habere temperantiam in honoribus, sit idem, quod habere humilitatem: virtus illa, quæ moderationem animi, & quandam humilitatem animi importat, quam Philosophus appellat honoris amatiuam, quia tendit in mediocres honores; quædam humilitas dici potest. Sed si sic dicimus, quædam dubietates insurgunt. Nam omnis magnanimus est honoris amatiuus, sicut omnis magnificus est liberalis: quare si honoris amatiua esset quædam humilitas, omnis magnanimus esset humilis: quod videtur esse oppositum in obiecto, quia humilis alios reueretur, magnanimus vero (vt di- Eth. 4. citur 4. Ethicorum) alios despicit. Sciendum igitur quod nisi omnis magnanimus esset humilis, non dedissemus principibus congruum documentum, quia docuissemus eos esse sine virtutibus, cum absque humilitate virtutes haberi non possint. Ad plenam igitur declarationem veritatis ostendendum est, quod sine humilitate nullus potest esse magnanimus. Magnanimitas autem, & humilitas, & huiusmodi, virtutes morales, esse habent circa animi passiones. In tantum enim dictæ virtutes sunt bonum secundum rationē, quia moderant passiones nostras, ne deuiemus à bono rationis. Sed quod passiones deuiare nos faciant a bono secundum rationem (vt supra dicebatur) dupliciter potest contingere. Primo, prout passiones nos inclinant ad ea quæ ratio vetat. Secundo, prout nos retrahit ab eo quod ratio dictat. Quare cum passiones

nes nos inclinant ad aliquid contra rationem, indigemus virtute retrahente nos, vt patet in temperantia, per quam retrahimur à delectationibus sensibilibus. Sed cum passiones nos retrahunt ab eo quod ratio dictat, non indigemus virtute retrahente, sed magis impellente, vt patet in fortitudine, quæ magis nos impellit ad pericula bellica, quam retrahat nos ab illis. Cum ergo retrahere & impellere sint quodammodo opposita, & formaliter differant, æque principaliter & per se non est eadem virtus retrahens & impellens: nec est eadem virtus principaliter moderans passiones, & impellens nos ab eo quod ratio vetat. Inde est ergo quod si vnum & idem aliter & aliter acceptum nos retrahit & impellit, oportebit circa illud dare duas virtutes. vnam impellentem, & aliam retrahentem. Videmus autem quod magnanimitas est circa magnos honores. Magnus autem honor est quodammodo magnum bonum: Magnum autem bonum, ratione qua magnum est, nos retrahit, ne prosequamur illud, ratione difficultatis. Prout vero bonum est, nos allicit, vt tendamus in ipsum. Ergo circa magnos honores, & circa magna bona dupliciter cōtingit peccare. Primo, si vltra quam ratio dictet prosequamur ea inquantū bona sunt. Secundo, si infra quam ratio dictet retrahamus nos ab illis, eo quod ardua & difficilia sint. Quare circa talia duplici virtute indigemus. Vna impellente nos, ne retrahamur propter difficultatem, & hæc est magnanimitas: & alia retrahente nos, ne vltra rationem tendamus in illa ratione bonitatis, & hæc est humilitas. Omnino ergo magnanimus humilis est, nam cum impossibile sit esse magnanimum non existentem bonum, vt probat Philosophus 4. Ethic. nullus autem bonus sit, si vltra quam ratio dictet prosequatur honores, de necessitate cum magnanimitas impellit nos in aliqua magna bona, ne trahamur ratione difficultatis, oportet quod ei sit annexa humilitas, ne vltra quam ratio dictet tendat in ea ratione bonitatis.

tatis. aliter enim esset vitiosus. Tendere igitur in magnos honores & ad magna bona, esse potest à magnanimitate, & ab humilitate: non tamen secundum rationem eandé. Nam prout tédendo in illa bona non retrahimur ratione difficultatis, sumus magnanimi: sed prout ea non prosequimur vltra quam ratio dictat, ratione bonitatis sumus humiles. Differt ergo magnanimitas ab humilitate in duobus. Primo, quia magnanimitas principaliter impellit: & ex consequenti retrahit. Ideo magnanimus dicitur alios despicere, non quod alijs vitiose iniurietur, sed quia est tanti cordis, & sic impellitur à virtute, vt potius despiciat opera & verba hominum, quam velit propter ea desistere ab operibus virtuosis. Humilitas autem è contrario principaliter retrahit: ex cõsequenti impellit. ideo humilis dicitur alios reuereri, quia considerãs proprios defectus, in rebus licitis & honestis alios reueretur. Secundo differt hæc ab illa, quia magnanimitas principaliter moderat desperationem, ne aliquis ratione difficultatis desperet, ne tédat in opera magno honore digna. Humilitas vero principaliter moderat ipsam spem, ne aliquis nimis sperans de ipso bono, vltra rationem prosequatur magnos honores. Erit igitur omnis magnanimus humilis modo quo dictum est. Et humilitas quodammodo est idem, quod mediocris honoris amatiua: quia ille dicitur humilis, qui moderans spem ipsam ad adipiscendum honores magnos, mediocriter tédit in honores illos. Vtrum autem humilitas sit idem simpliciter quod diligere mediocres honores, vel vtrum sit idem simpliciter cum virtute illa quam Philosophus distinguens à magnanimitate appellat eam honoris amatiuam? non est præsentis speculationis. Sed si in Moralibus contingeret nos vlteriora componere, ostendemus virtutem de qua loquitur Philosophus, non esse per omnem modú idem cum humilitate: quia illa de qua Philosophus loquitur, quæ (vt dictum est) tendit in mediocres honores,

magis

magis est in appetitu sensitiuo: humilitas vero, magis est in intellectiuo.

Quid est humilitas, & circa quæ habet esse, & quod decet Reges, & Principes esse humiles Cap. XXVI.

SAtis est per habita manifestum, humilitatem à magnanimitate differre. Nam licet vna & eadem virtus reprimet superabundantias, & moderet defectus: nunquã tamen æque principaliter hæc duo eidem virtuti competere possunt. Spectat igitur ad magnanimitatem reprimere desperationem, ne desperemus de bonis arduis, & spectat ad ipsam moderare spem, ne vltra quam ratio dictet tendamus in illa. non tamen æquæ principaliter operatur vtrunque: nam cum magnanimi sit tendere in magnum, magnanimitas magis est virtus impellens in magna, quam retrahens nos ab illis. Principalius ergo magnanimitas reprimit desperationem, ne retrahamur ab arduis: & ex consequenti moderat spem, ne præter rationem tendamus in illa. Humilitas autem è contrario se habet, vt supra diffusius dicebatur. Quare cum distincta sit virtus hæc ab illa, videndum est quid sit huiusmodi virtus, quam humilitatem vocamus. Sciendum igitur quod sicut circa magnanimitatem conuenit abundare & deficere: sic & circa humilitatem esse habet. Nam (vt patet ex dictis) magnanimitas est virtus non impellens, ne ratione difficultatis retrahamur, vt non prosequamur opera magno honore digna. Quia igitur in hoc aliqui superabuudant, vt præsumptuosi, prosequentes ardua magis quam debeant: quidam vero deficiunt, vt pusillanimes: ideo magnanimitas est media inter præsumptiones, & pusillanimitates. Sic etiam ex dictis patet,

quod humilitas est virtus nos retrahens, ne ratione bonitatis & delectabilitatis, quæ est in rebus honorificis, prosequamur ea, vltra quam ratio dictet. In hoc ergo aliqui superabundant, vt superbi, prosequentes excellentias, & honores, vltra quam debeant. Aliqui vero deficiunt, qui se deijciunt vltra quam debeant, vt illi, qui nec quærunt honores, nec quærunt opera honore digna: quod non est humilitatis, sed magis est vilitatis & miseriæ. Erit ergo humilitas media inter superbiam, & deiectionem: sicut magnanimitas est media inter præsumptionem, & pusillanimitatem. Viso quid est humilitas, de leui videri potest circa quæ habet esse. Intendit enim humilis reprimere superbias, & moderare deiectiones. Erit ergo humilitas circa superbias, & deiectiones: non tamen est circa hæc æque principaliter. Nam humilitas principaliter intendit reprimere superbias, ex consequenti vero moderare deiectiones. Est enim hoc notabiliter attendendum, quod cum virtus magis sit retrahens quam impellens, principaliter opponitur superabundantiæ, per quam impellimur, & ex consequenti defectui, per quem retrahimur. Sed quum virtus magis est impellens quam retrahens, e contrario se habet: quia tunc principalius opponitur defectui, per quem retrahimur: ex consequẽti vero opponitur excellentiæ, per quam impellimur. Magnanimitas ergo, quia est virtus impellens in ardua bona, magis opponitur pusillanimitati, quæ est defectus nos retrahens e talibus bonis, quam opponatur præsumptioni, quæ est excellentia expellens nos in illa. Sed humilitas e contrario, quia est virtus retrahens, ne vltra ratiõẽ prosequamur excellentias & honores, principalius opponitur superbiæ, quæ superabundat in talibus, ex consequenti vero contrariatur deiectioni. Inquirendo enim opera honore digna, non solum contingit peccare per superbiam, sed etiam per deiectionem. Nam si quis vltra quam suus status requirat, præter rationem & notabiliter

se

se deijceret: iste vel esset vilis, deiectus, & bestia, quia suum statum non cognosceret; vel esset superbus, & iactator. Nam aliqui ex hoc quærunt excellentiam & iactantiam, deijciendo se vltra quam deceat. Vnde Philosophus 4. Ethic. quandam gentem Græcam, Lacedæmones scilicet, iactatores & superbos appellat: quia vltra quam eorum status requireret, vilius induebantur: credentes ex hoc in quendam honorem, & in quandam excellentiam consurgere. Vnde ibidem scribitur, quod superabundantia, & valde defectus, est quid iactatiuum. Viso circa quæ est humilitas, quia principaliter est circa repressionem superbiæ, ex consequenti vero circa moderationem deiectionis: restat videre quod decet Reges & Principes esse humiles. quod duplici via probare possumus. Prima sumitur ex parte magnanimitatis. Secunda vero ex parte operum fiendorum. Dicebatur enim supra, quia nullus est vere magnanimus, nisi sit bonus & humilis, & quod semper magnanimitati est annexa humilitas: quare si decet Reges & Principes esse magnanimos, decet eos esse humiles. Debent enim Reges sic quærere opera honore digna, non vltra quam ratio dictet, sed vt decet eorum statum; quod faciunt humiles: quod tamen suam felicitatem non ponant in excellentia & honore, quòd faciunt superbi. Debent enim agere bona opera & honore digna boni gratia; non vt ostendant se, & vt videantur excellere. Secundo decet eos esse humiles ratione operum fiendorum. Nam superbus quærens suam excellentiam vltra quam debeat, vt plurimum tendit ad ea quæ proprias vires excellunt. Ideo decet homines esse humiles, vt considerato proprio defectu vel propria facultate, non tendant in ardua vltra quam debeant. vt plurimum enim superbi, & vltra rationem excellentiam querentes, se & alios exponunt periculis, non valentes adimplere quod inchoant. Tanto ergo Reges & Principes debent à se superbiam remouere, quanto peius

Eth. 4.

est

est communia bona periculis exponere. Superbus enim Dominus, vt plurimum periclitator efficitur populorum.

Quid est mansuetudo, & circa quæ habet esse, & quod decet Reges & Principes esse mansuetos. Cap. XXVII.

POstquam determinauimus de virtutibus respicientibus exteriora bona, & ostendimus quomodo Reges & Principes decet ornari virtutibus illis, restat dicere de mansuetudine, quæ respicit exteriora mala. Dicebatur enim supra, quod, quia circa quæcunque contingit peccare, & bene agere, vel contingit abundare, & deficere, oportet ibi dare virtutem aliquam, per quam dirigamur ad bene agendum, reprimentem defectus, & moderantem superfluitates. In vindicando autem exteriora mala ab alijs facta, aliqui superabundant, vt iracundi nimis, facientes vindictam. Nam ex hoc, ira prouenit, quod appetimus vindictam. Qui enim propter mala aliqua illata vindictam aut punitionem appetit, dum hoc vehementer desiderat, accenditur eius sanguis circa cor, quo accenso irascitur. Quidam ergo sunt irascibiles & superabundant in cupiendo vindictam. Quidam autem sunt irascibiles, omnem iniuriam dissimulantes. Quorũ neutrum bonum est. Irasci enim cuilibet, & semper, & de quolibet vindictam exposcere, quod faciunt iracundi, vituperabile est. Rursum, nunquam irasci, & in nullo modo velle aliquem puniri, non est laudabile, quia est agere præter ordinem rationis. Ratio enim dictat puniciones aliquas esse faciendas, & quod est irascendum, cui debet, & quando, & quomodo. Irasci enim loco & tempore, est virtutis opus. Quare si in passionibus iræ,

& in appetendo punitiones & vindictas, contingit superabundare & deficere: oportet ibi dare virtutem aliquam reprimentem superabundantias, & moderantem defectus. Hæc autem est mansuetudo: quia sicut fortitudo est media inter timores & audacias, sic mansuetudo est media inter iram, per quam cupimus vindictam, & irascibilitatem, per quam condonamus mala nobis illata. Ille vero mitis est, qui nec de omnibus cupit vindictam, nec in tantum deficit à punitione quod nullo modo velit alios puniri, sed est condonatiuus, & punitiuus secundũ ordinem rationis. Quare sicut fortitudo reprimit timores, & moderat audacias: sic mansuetudo reprimit iras, & moderat irascibilitates. Viso quid est mansuetudo, de leui patet circa quæ habet esse. Est enim (vt iam dictum est) circa iras, & circa oppositum iræ, vt circa irascibilitatem: principalius tamen est circa iras. Mansuetudo enim principaliter & primo intendit reprimere iras, ex consequenti autem intendit moderare passiones oppositas iræ. Nam naturale est nobis vt ex malis nobis illatis appetamus punitionem, & vindictam. Rursus, quia malum proprium vix potest esse ita modicum, quin videatur nobis multum, non solum naturaliter inclinamur, vt velimus puniri inferentes nobis aliqua mala, sed etiam quodammodo naturale est nobis appetere punitionem vltra condignum. Nam quia malum nobis illatum videtur nobis maius esse, quam sit; iniuriatores nostros plus puniri volumus, quam puniendi sint. Difficile est ergo valde reprimere iras, & non appetere punitiones iniuriarum vltra quam dictet ratio. Plures ergo peccant in appetendo plus: pauci vero delinquunt in appetendo minus. Propter quod si virtus est circa bonum & difficile, mansuetudo principaliter opponitur iræ, & intendit iras reprimere: ex consequenti autem opponitur irascibilitati, & intendit eam moderare, quod ipsum nomen designat: si enim vim nominis consideremus, man-

 suetudo

ſuetudo nominat temperamentum iræ. Quod autem deceat Reges & Principes eſſe manſuetos, oſtendere non eſt difficile. Nam cum ira peruertat iudicium rationis, non decet Reges & Principes eſſe iracundos, cum in eis maxime vigere debeat ratio & intellectus. Sicut enim videmus quod lingua infecta per coleram, vel per alios humores, non recte iudicamus de ſaporibus: ſic infecto appetitu per immoderatam iram, vel per alias immoderatas paſſiones, peruertitur noſtrum iudicium rationis. Si igitur inconueniens eſt regulam peruerti & obliquari: Rex, qui debet eſſe quaſi ſpeculum & forma viuendi, & qui debet eſſe regula agendorum, inconueniens eſt quod ſit iracundus, ne per iram peruertatur & obliquatur. Sic etiam, ſi nullo modo eſſet iraſcibilis, & nullo modo commoueretur ad punitionem faciendam, indecens eſſet: quia ſi punitiones non fierent in regno, homines fierent iniuriatores aliorum, & politia durare non poſſet. Nullus igitur debet iraſci per odium, nec debet punitiones appetere propter odium, ſed propter amorē & zelum eſt iraſcendum, & ſunt punitiones appetendæ. Appetenda eſt enim punitio propter amorem & zelum iuſtitiæ, vel propter amorem Reipub. quia ſine ea Reſp. durare non poſſet. Quare ſi quis in tantum eſſet mitis, quod potius vellet iuſtitiam perire, quam iuſtitiam expoſcere, virtuoſus non eſſet. Tanto ergo magis decet Reges & Principes moueri ad punitionem faciendam, quanto magis ſpectat ad ipſos eſſe cuſtodes iuſtitiæ, & conſeruatores Reip. Quare ſi Reges non debent eſſe iracundi, & debent moueri ſecundum ordinem rationis, vt fiant punitiones & vindictæ, cum hoc faciat manſuetudo, decet eos manſuetos eſſe.

Quid est amicabilitas, & circa quæ habet esse, & quomodo Reges, & Principes debet esse amicabiles. Cap. XXVIII.

VT postulat præsens negocium, sufficienter diximus de virtutibus respicientibus bona secundum se, & de respicientibus exteriora mala. Restat dicere de virtutibus respicientibus bona exteriora, vt communicamus cum alijs. Communicamus autem cum alijs, verbis, & operibus. Verba autem, & opera, in quibus communicamus, ad tria nobis deseruiunt. videlicet, ad amicabilitatem, ad veritatem, & ad iocosas delectationes. Nam prout verbis, & operibus debite conuersamur cum alijs, honorando eos, & recipiendo ipsos vt debemus, sumus amicabiles, & affabiles. Nihil est ergo aliud amicabilitas, siue affabilitas, de qua hic determinare intendimus, nisi recte conuersari cum hominibus, & ordinare opera, & verba nostra ad debitam conuersationem. Secundo, verba, & opera nostra deseruiunt nobis ad veritatem: quia per ea iudicamur quales sumus. Veritas enim, de qua hic determinare intendimus, non est aliud nisi quod homo non sit iactator, quod de se verbis aut factis maiora ostendat quam sint, nec sit irrisor & despector aliorum, vt operibus aut verbis, vltra quam ratio dictet, se contemptibilem ostendat: sed sit apertus, & verax, & talem se ostendat, qualis est. Tertio, verba & opera ordinari possunt ad iocosas delectationes, vt homo sit debite iocundus. Igitur (vt supra dicebatur) circa verba & opera, in quibus cum alijs communicamus, habet esse triplex virtus. videlicet, amicabilitas, quæ alio nomine affabilitas dici potest: veritas, quæ apertio nuncupatur: & debita iocunditas, quam eutrapeliam vocat.

Communicando igitur cum alijs, si bene conuersari volumus, debemus esse debite iocundi, veraces, & amicabiles. de quibus omnibus est dicendum. Sed primo de amicabilitate. Videmus enim quod conuersando cum alijs, aliqui superabundant, quia se ostendunt nimis amicabiles, cuiusmodi sunt blanditores & placidi. hi enim adeò se ostendunt communicabiles & sociales, vt nullũ contristari velint; sed omnia dicta & facta aliorum laudant. Aliqui vero econtrario, ab hac conuersatione nimis deficiunt. Sunt enim discoli, & agrestes, non valentes cum alijs conuersari. Vterque autem à recta ratione deficiunt, quia nec quis se debet tantum alijs ostendere socialem, vt videatur placidus, & blanditor: nec se debet tantum à societate subtrahere, vt uideatur discolus, & litigiosus. Cum igitur uirtus sit quid medium inter superfluum & diminutum, in conuersatione hominum, circa quam contingit abundare & deficere, oportet dare uirtutem aliquam reprimentem superabundantias, & moderantem defectus. Huiusmodi autem, amicabilitas, siue affabilitas est. Nihil enim est aliud affabilitas ut est uirtus, quam medio modo se habere in conuersatione hominum: ut non superabundemus in huiusmodi conuersatione quod faciunt adulatores: nec deficiamus, quod faciunt litigiosi, & discoli. Viso quid est amicabilitas, ut hic de ea loquimur, quia est uirtus reprimens litigia, & moderans blanditias, ut potest haberi ex Philosopho 2. & 4. Ethicorum, de leui apparere potest circa quæ habet esse: quia est circa opera, & uerba, ut ordinantur ad debitam conuersationem in uita. Si enim homo est naturaliter animal sociale, ut probari habet 1. Politicorum, oportet circa uerba, & opera, in quibus communicat cum alijs, dare uirtutem aliquam, per quam debite conseruetur. Quare cum recta ratio dictet, quod secundum diuersitatem personarum diuersimode sit conuersandum: licet omnes homines uolentes

Eth. 2. & 4. cap. 7. cap. 6. Pol. 1. cap. 2.

uiuere

viuere politicè debeant esse amicabiles & affabiles, non tamen omnes eodem modo amicabiles debent esse. Nā quia nimia familiaritas contemptum parit, Reges & Principes, vt in reuerentia habeantur, & ne dignitas regia vilescat, maturius se habere debent, quam alij. Vnde Philosophus 5. Politicorum dando cautelas Regum & Principum, ait, quod decet Reges & Principes apparere personas reuerendas, ne contemptibiles habeantur. Sicut enim in sumptione & in alijs recta ratio dictat, vt secundum diuersitatem personarum diuersimode fiat: quia aliquis cibus esset multus infirmo, qui esset modicus sano: sic in conuersatione hominum. aliqua enim familiaritas reputatur regi ad virtutem, & dicitur ex hoc amicabilis esse: quia si aliqua vna communis persona nō plus de familiaritate participaret, reputaretur ei ad vitium, non ad virtutem: & non diceretur amicabilis, sed syluestris. *Polit. 5. cap. 4.*

Quid est veritas, & circa quæ habet esse, & quod decet Reges & Principes esse veraces. Cap. XXIX.

Sicut circa conuersationem in vita contingit superabundare, & deficere: sic circa veritatem contingit superabundare, & deficere. Veritas enim in quadam adæquatione consistit. Qui vero plus dicit quam sit, à veritate recedit ratione abundantiæ: qui vero quæ sunt negat, & minora confitetur, à veritate recedit ratione defectus. Quare cum mendacium sit semper fugiendum, vt dicitur 4. Ethicorum, qui non sunt veraces nec aperti, nec ostendunt se tales, quales sunt, reprehensibiles existunt. Quid enim aliud est mentiri, nisi non esse apertum, & non ostendere se talem, qualis est. Ab hac ergo veritate, per quam quis reddit se veracem *Eth. 4. cap. 7.*

& manifestum, aliqui deuiant per superabundantiam, ostendentes de se verbis aut factis maiora quam sint. & tales vocantur iactatores. Aliqui vero ab hac veritate declinant per defectum, fingentes de se aliqua vilia quæ in ipsis non sunt. quos Philosophus vocat irones, idest irrisores, & despectores. Oportet ergo dare aliquam virtutem mediam, per quam moderentur diminuta, & reprimentur superflua. hæc autem communi nomine Veritas nuncupatur. Patet ergo quid est veritas: quia est virtus moderans despectiones, & reprimens iactantias. Viso quid est veritas, restat videre circa quæ habet esse. Sciendum ergo quod licet affirmare in se esse quod non est, vel negare quod est, sit mentiri: tamen non dicere totum quod est, absque mendacio fieri potest. Volens igitur esse verax, non debet de se fingere habere bonitatem quam non habet, nec debet concedere in se esse malitiam, quam sibi inesse non credit. Non tamen oportet quod de se dicat totam bonitatem, quam sibi inesse cognoscit: quia licet nullus mentiri debeat, non tamen semper & vbique quælibet veritas est dicenda: loco enim & tempore secundum dictamen rationis possumus veritatem tacere. Est igitur veritas circa repressionem iactantiarum, & circa moderationem despectionum: non tamen est circa hæc æque principaliter. Sed principalius veritas opponitur iactantiæ, & intendit iactantias reprimere. Ex consequenti autem opponitur despectioni, & intendit despectiones moderare. Ideo Philosophus 4. Ethicorum cap. de veritate ait, quod declinare ad minus, & dicere de se minora quam sint, est opus prudentis. Spectat igitur ad veracem nullo modo dicere de se maiora, quam sint, quod multi faciunt. Côcedunt enim de se aliqui magnas bonitates, cum tamen illis careant: & promittunt amicis & notis magna bona & magna auxilia, de quibus modicum, aut nihil opere implent. Tales autem quia pa-

tet

ter esse iactatores & albos, non apertos & veraces, nullo modo in talibus est excedendum in plus; sed magis declinandum in minus: dum tamen sine mendacio fiat, & non notabiliter recedat à medio: quia si notabiliter à medio recederet, non in hoc appareret verax, sed derisor. Vt si aliquis adeò esset fortis & strenuus, quod constaret alijs quod contra centum bellare posset: si ille non plus de se concederet, nisi quod contra vnicum & debilem bellaret, omnes intra se cognoscerent quod derisorie loqueretur. Inde igitur sumptum est nomen ironiæ & derisionis, quando aliquis notabiliter de se minora concedit quam sint. Ad veritatem ergo spectat moderare huiusmodi derisiones, & reprimere iactantias. Principalius tamen spectat ad ipsum iactantias reprimere, quam derisiones moderare: quia (vt dictum est) in talibus magis est declinandum in minus dicendo de se minora quã sint, quam sit excedendum in plus asserendo de se maiora. Possumus autem duplicem causam assignare quare in talibus semper est declinandum in minus. Prima sumitur ex parte sui. Secunda ex parte aliorum. Quilibet enim ita naturaliter afficitur ad proprium bonum, vt ipsum semper plus credat esse quam sit. Ideò communiter homines decipiuntur de se ipsis, plus credentes se plus valere, quam valeant. In narrando ergo propria bona, semper declinandum est in minus: quia æstimare debemus quod affecti ad propria bona, videntur nobis illa esse maiora, quam sint. Hanc autem rationem tangit Philosophus in cap. prætacto, cum ait, quod prudentis est declinare in minus. Nam magnæ prudentiæ est, cognoscere seipsum, & sciri quod propria bona semper æstimantur maiora quam sint. Secunda ratio sumitur ex parte aliorum. Nam non declinantes in minus sunt laudatores sui, iactantes se de bonis quæ habent. Et quia homines communiter horrent, laudantes seipsos, ideo etiam ex parte aliorum decet in talibus declinare in minus,

ne homines sint alijs onerosi. Hanc autem rationem tangit Philosophus in eodem 4. Ethicorum dicens, declinandum esse in minus propter onerosas esse superabundantias. Ostenso quid est veritas de qua loquimur, & circa quæ habet esse: de leui patet quod decet Reges & Principes esse veraces. Nam declinantes notabiliter in minus, & dicentes de se notabiliter minora & viliora, quam sint, videntur esse derisores, & contemptibiles, Excedentes vero in plus, & dicentes maiora quam sint, videntur esse iactatores, & onerosi. Quare si Reges decet esse non contemptibiles, sed reuerendos: nec onerosos, sed gratiosos & amabiles: decet eos non esse iactatores vel derisores, sed apertos & veraces, non ostendendo, vel iactando de se maiora quam sint, vel promittendo alijs maiora quam faciant. Immo tanto magis decet Reges & Principes cauere iactantiam, quanto plures habent incitantes ipsos ad iactantiam, & de pluribus se iactare possent.

Eth. 4. cap. 7.

Quid est iocunditas, & circa quæ habet esse, & quomodo decet Reges, & Principes esse iocundos. Cap. XXX.

CRedunt enim aliqui, omnia verba vel facta deseruientia iocis esse ociosa, non tamen sic se habet. Nam ociosum est illud, quod caret debito fine. quicquid ergo de se est ordinabile ad debitum finem, non est ociosum. Ludus autem si sit liberalis, honestus, & modestus, ordinari habet in bonum finem: quia est quodammodo necessarius in vita. Ideo dicitur quarto Ethic. quod videtur requies & ludus esse aliquid necessarium in vita. Sicut ergo sensus corporales, vt visus, & auditus, quia laborant in sentiendo, natura ordinauit somnum pro-

Eth. 4. cap. 8.

propter eorum requiem; & est necessarius somnus in vita. sic quia studendo, vel negocijs regni insistendo, vel alia faciendo, continue laboramus, aliquæ delectationes si sint iocosæ, si sint moderatæ, & honestæ, non ociosæ; interponuntur curis, & laboribus nostris. Quare cum in talibus contingat peccare, & bene facere, oportet circa ipsos iocos dare virtutem aliquam, per quam debite nos habeamus ad ludos. In ipsis enim iocis quidam superabundant desiderantes omnino risum facere: de quibus 4. Ethicorum dicitur, quod magis conantur risum facere, quàm decora dicere. Huiusmodi autem sunt histriones, quos Philosophus appellat bomolocos. Philosophus enim tales assimilat auibus rapientibus, prædam sacrificatam in templis Gentilium. Sicut enim aues illæ non curabant qualitercunq; possent aliquid de illa præda capere: sic volẽtes omnino facere risum, & prouocare alios ad cachinnum, non curant qualitercunq; possint capere dicta, vel facta aliorum, & conuertere ea in ludum, & cachinnum. Hi ergo superabundant ludis. Aliqui vero econtrario, deficiunt: & hi vocantur duri, & agrestes. Huiusmodi autem sunt non sustinentes aliquem ludum, nec dicentes aliquid ridiculum: immo dicentibus sunt molesti. Patet ergo quid est iocunditas, vel eutrapelia, prout est virtus, & vt hic de ea loquimur, quia est reprimens superfluitates ludi, & moderans duritias. Huiusmodi autem virtus habet esse tam circa moderationem duritiæ, quam circa repressionem superfluitatum in ludo: non est tamen circa hæc æque principaliter, quia virtus semper est principalius circa difficilius. Reprimere autem superfluitates ludorum est difficilius, quam moderare defectus. Habet enim ipse ludus quandam delectationem annexam, propter quam magis inclinamur, vt sequamur delectationes iocosas, quam vt fugiamus illas. Viso quid est eutrapelia siue iocunditas, & circa quæ habet esse, quia principalius est in reprimendo superfluitates ludi, ex consequenti circa

Eth. 4.

moderа-

moderationem defectuum. Restat ergo videre, quomodo Reges, & Principes decet esse iocundos. Vt enim ex habitis patere potest, semper extrema vituperantur; medium autem laudatur. Huiusmodi autem medium, quod est in virtutibus reprimentibus passiones & motus, non est accipiendum secundum rem, sed quo ad nos. Nam (vt in præcedentibus capitulis dicebatur) aliquid est superfluum vni, quod est modicum alteri: & econuerso. Si igitur decet homines reprimere superfluitates ludorum, magis hoc decet Reges & Principes: immo oportet Reges, & Principes adeò moderate vti iocosis delectationibus, quod si hoc facerent personæ communes, viderentur esse duræ & agrestes. Non ergo intelligendum est Reges, & Principes non debere recreare aliquibus solacijs, vel aliquibus iocis: sed quia ludi, quibus vti debemus, secundum Philosophum 4. Ethicorum, debent esse liberales & honesti, illis debent Reges, & Principes adeò moderate vti, vt semper videantur maturi, & nullo modo appareat pueriles. Ab ipsa enim infantia connaturale videtur esse pueris delectari iocis. Quare ludus si non sit moderatus & honestus, aliquam puerilitatem videtur habere annexam. Tanto igitur decet Reges & Principes moderate vti delectationibus ludorum, quanto detestabilius est eos esse pueriles. Amplius (vt patet ex habitis) ex hoc iocosa delectatio non est otiosa, & ordinatur in bonum finem, quia interposita nostris curis, quandam recreationem accipimus, ratione cuius ardentius insurgimus, vt insistamus bonis operibus, quorum curam habere debemus. Quare cum iocus immoderatus, vel inhonestus distrahat nos à bonis operibus, & à debitis curis: tanto detestabilius est Reges, & Principes immoderate, vel inhoneste vti delectationibus ludorum, quanto cura boni communis, quæ spectat ad Principem excellentior est, quam sit cura alicuius particularis boni. Non ergo omnino prohibenda sunt verba, vel facta iocosa, si sint honesta & moderata: &

Eth. 4.

hoc

hoc magis & minus, prout requirit diuersitas personarum.

Quod Maxime decet Reges, & Principes omnes virtutes habere, & quod si vna careant, nullam habent. Cap. XXXI.

TAm Sancti quam Philosophi in hanc sententiam conuenerunt, quod oportet virtutes connexas esse. Dixerunt enim quod qui vnam virtutem habet, omnes habet: & qui vna caret, omnibus caret. Cum ergo omnino manifestũ sit, quod decet Reges & Principes aliquas virtutes habere, quia (vt plane patet) oportet eos esse prudentes & iustos: omnino manifestum esse debet, quod omnes virtutes habere debent: quia prudentia & iustitia sine virtutibus alijs haberi non possunt. immo nunquam est aliqua vna virtus, quæ sine alijs virtutibus omnibus perfecte possit haberi. Sic etiam tractatores veritatis senserunt dicentes virtutes connexas esse. Ad sensum tamen videtur apparere contrarium. Videmus enim aliquos liberales non existentes temperatos, sed dantes operam venereis gestibus. Aliquos vero, qui e contrario sunt casti: & tamen auaritiæ student. Non ergo qui vnam virtutem habet, omnes habet, nec oportet si aliquæ virtutes sint necessariæ regibus, quod omnes virtutes sint eis necessariæ. Rursus videmus aliquos esse liberales, qui tamen non possunt esse magnifici: quia nequeunt magna facere, eo quod non habeant magnos sumptus. Sciendum igitur, Philosphum circa finem 6. Ethicor. manifeste probare virtutes connexas esse. Sed vt soluat huiusmodi obiectiones, ait, quod virtutes dupliciter considerari possunt: vel vt sunt naturales, & imperfectæ: vel vt sunt principales, & completæ. Virtutes autem naturales & imperfectæ, nõ oportet esse connexas. Videmus enim aliquos naturali-

Eth. 6. cap. 13.

ter

ter habere quandam industriam, & quandam subtilitatē mentis: propter quod habent quandam prudentiam imperfectam. hi tamen nec sunt casti, nec liberales, nec habent virtutes morales alias. Sic etiam ex ipsa pueritia videmus aliquos mox inclinari ad opera largitatis, qui non sunt casti: aliqui vero econtrario habent quandam naturalem pudicitiam, non tamen liberales existunt. Sic ergo virtutes non connectuntur. Sed virtutes, quæ dicuntur esse principales & perfectæ: vel in se, vel in quadam valde propinqua dispositione: de necessitate habent esse connexæ: Diximus autem in propinqua dispositione, quia pauperes propter carentiam exteriorum bonorum secundum Philosophum non debent dici magnifici. Ait tamen, si pauperes secundum suam facultatem sunt verè, & perfectè liberales propinquissimum est, vt sint magnifici: quia si bonis exterioribus abundarent, statim magnifica facerent. Declarandum est ergo ad plenam intelligentiam dictorum, quod nulla virtus potest haberi perfecte, nisi omnes virtutes aliæ habeantur. Notandum ergo, ad hoc nos indigere virtutibus, vt proponentes nobis bonos fines recte, & debite tendamus in fines illos. Dupliciter ergo in talibus peccare contingit: Primo, si proponamus nobis malum finem, vt vitiosi faciunt. Auari enim proponunt sibi, vt finem, studere auaritiæ. Intemperati vero, venerea: & sic de alijs. Secundo in talibus peccare contingit, si non debite tendamus in bonum finem. Volūt enim aliqui esse distributores bonorum, & proponunt sibi, vt finem, opera largitatis: attamen non curant vndecunque accipiant, dum possint alijs dona aliqua elargiri: & aliquando per furtum, aliquando per manifestam oppressionem alios deprædantur, vt exerceant opera largitatis. Hi ergo licet proponāt sibi bonum finem, non tamen recte tendunt in finem illum. Non ergo peccant in termino, nec in intentione: sed peccant in via, & in modo adipiscendi finem intentum. Propter quod tales, & si aliquo

modo

modo sunt liberales, non tamen perfecte liberales dici debent: quia ad perfectam virtutem spectat non solum proponere bonum finem, sed etiam debite tendere in illum finem. Indigemus ergo virtutibus moralibus, quia per eas nobis proponimus bonum finem. Indigemus etiã prudentia, quia per ipsam recte ratiocinamur de ijs quæ sunt ad finem. Virtutes ergo morales per se & primo rectificant finem. Quia sicut qualis est lingua, talis est sapor noster. vt si lingua est multum infecta colera, videtur amara: si vero sit multum infecta phlegmate dulci, videtur participare quandam dulcedinem. Sic quales sumus secundum voluntatem & appetitum, talem finem nobis imponimus: vt intẽperatus proponit sibi, vt finem venerea. temperatus, casta; liberalis, expendere: auarus conseruare. Quare virtutes morales perficientes appetitum, rectificant finem: quia habentes appetitum bonum per virtutes illas, proponimus nobis bonum finem. Prudentia vero, per se, & primo rectificat ea, quæ sunt ad finem. Nam proponentes nobis bonum finem per virtutes morales, per prudentiam bene ratiocinamur de ijs quæ sunt ad finem, & eligimus nobis rectam viam, vt debite tendamus in finem illũ. Ideo dicitur 6. Ethic. quod virtutes morales rectificant finem, Prudentia vero facit operari recte ea quæ sunt ad finem. Loquendo ergo principaliter & primo, virtus moralis rectificat terminum: Prudentia vero rectificat viam. Sed cum non sit perfecta via nisi ordinetur in bonum finem & terminum, nunquam habetur perfecta prudentia, nisi sit coniuncta virtutibus moralibus, per quas proponamus nobis bonum terminum, & bonum finem. Sic etiam, quia nunquam debite, & perfecte habetur bonus finis, nisi tendamus in ipsum per bonam viam, nunquam perfecte habebimus aliquam virtutem moralem, nisi sit coniuncta prudentiæ. Talem ergo rationem intendit facere Philosophus circa finem 6. Ethicor. Habens perfecte aliquam virtutem moralem, habet perfectam

Eth. 6. cap. 5.

Eth. 6. cap. 13.

fectam prudentiam: sed habens perfectam prudentiam, habet omnem virtutem: ergo habens aliquam virtutem, habet omnem virtutem. Sic ergo virtutes & prudentia sunt connexæ: quia nullus est bonus per virtutes morales, nisi sit prudens. Nam cum virtus moralis sit habitus bonus, & electiuus, & perficiat habentem, & opus suum bonum reddat: cum ad bene eligere, & ad bonum opus, sufficiat proponere bonum finem, nisi per bonam viam eatur in finem illum, virtus moralis per quam nobis proponimus bonum finem, non potest esse sine prudentia per quam recte tendimus in finem illum. Sic & prudentia esse non potest sine virtute morali. Differt enim prudentia, & industria, quam Philosophus appellat Denotéta. Ille enim dicitur Denos, & industris, qui proposito quocunque fine inueniat vias, vt citius consequatur finem illum: propter quem temperati, & vitiosi possunt industres, & denidici, si sciant excogitare vias, per quas consequantur venerea & turpia, quæ sibi proponunt vt fines. Prudẽs tamen nullus dicitur, nisi ad bonum finem inueniat bonas vias. Non est ergo prudentia, quæ inuenit bonas vias ad bonum finem sine virtutibus moralibus, per quas nobis proponimus bonum finem. Sed dicet aliquis virtutem moralem non posse esse sine prudentia, nec econuerso, ita quod omnis bonus est prudens, & econuerso: non tamen oportet quod habens perfecte vnam virtutem moralem, habeat omnes virtutes morales. Potest enim quis habere perfecte temperantiam, & habere prudentiam, vt deseruit temperantiæ: non tamen habebit virtutes alias, nec habebit prudentiam, vt deseruit virtutibus illis. Erit ergo ille perfecte temperatus, non tamen erit fortis, sed timidus: nec erit largus, sed auarus. Sed hoc stare non potest, nullus enim potest esse perfecte temperatus, nisi sit fortis & largus, & nisi habeat virtutes alias, non potest autem aliquis habere aliquam virtutem, nisi habeat omnes virtutes. Nam ille est temperatus perfecte, qui nullo modo

præter rationem operaretur venerea. Quare si ille sit timidus; licet forte non placerent sibi venerea secundum se, tamen, vt fugeret verberationem, vel mutilationem, vel mortem, eligeret venerea operari. Sic etiam si esset auarus, quia finem suum poneret in habendo pecuniam, licet forte secundum se ei displicerent venerea: tamen si posset lucrari pecuniam, quam intenderet vt finem, non curaret mœchari. Incomplete ergo, & imperfecte potest haberi vna virtus sine alijs: sed complete & perfecte nullatenus fieri potest. Quare sic decet Reges, & Principes esse quasi semideos, & habere virtutes perfectas; decet eos habere omnes virtutes, quia perfecte vna virtus sine alijs haberi non potest. Immo expedit Regibus & Principibus, cum non possint se excusare per defectum exteriorum bonorum, habere omnes virtutes, non solum in propinqua dispositione, sed etiam simpliciter, & secundum se. Potest enim pauper aliquis esse perfectus, si non operetur magnifica, & magnos sumptus, quia non habet vnde faciat magnos sumptus. Rex autem nunquam perfectus esse potest, si non operetur magnifica, & nisi in omnibus virtutibus polleat.

Quòd

Quòd diuersi sunt gradus bonorum & malorum, & in quo gradu Reges, & Principes esse decet. Cap. XXXII.

Eth. 7. SI verba Philosophi in 7. Ethicorum diligentius considerentur, distinguere possumus quatuor gradus malorum,& quatuor bonorum. Mali enim homines sunt in quadruplici gradu: quidam sunt molles, quidam incontinentes, quidam intemperati,quidam bestiales. Sic etiã & boni sunt in quadruplici gradu:quia quidam sunt perseuerantes, quidam continentes,quidam temperati, quidam vero diuini. Molles autem dicuntur illi, qui modica passione, vel parua tentatione ruunt. quod ipsum nomen designat. Nam secundum Philosophum in Meteora, molle est illud,quod de facile cedit. Dicuntur ergo molles secundum Philosophum, qui nolunt laborare, & sunt nimis delicati. Nam, vt in 7. Ethicor. scribitur, delicia quædam mollicies est. Tales ergo nihil difficile sustinere volentes,statim cum passionantur,vel cum tentantur, cadunt. In alio gradu dicuntur esse incontinentes. Hi autem differunt à primis. Nam molles nullam pugnam, nec aliquid difficile sustinere possunt. Incontinentes vero pugnam sustinent, sed in sustinendo deficiunt. Continere enim,vt ipsum nomen designat, hoc est, contra aliud se tenere. Incontinere ergo est aggredi pugnam, & in pugna non posse se tenere, sed deficere. In tertio gradu sunt intemperati. Intemperatus enim tunc dicitur aliquis, quando non solum passionatus cadit, & per tentationes deijcitur, sed delectabile est ei malefacere. Incontinentes ergo & molles non delectantur in malefacere: immo aliud eligunt,& aliud agunt existentes enim extra passiones tam incontinentes, quam molles, eligunt benefacere,& proponunt optimas leges. passionati vero cadunt,

Phil. in Met. Lib. 4. cap. 4. Eth. 7. ca. 7.

& nul-

& nullam de illis legibus obseruant. Tales autem Philosophus assimilat paralyticis, qui eligentes ire in dextrã, propter dissolutionem corporis, & non valentes corpus regere, vadunt in sinistram. Sic molles & incontinentes proponunt benefacere, & eligunt ire in dextram: tamen quia habent potentias animæ dissolutas, nec habent eas bene regulatas & ordinatas secundum ordinem rationis, non vadunt in dextram, sed cadunt & tendunt in sinistrã. Aliter tamen cadunt molles, aliter incontinentes. Quia molles modica pugna ruunt: incontinentes vero maiori pugna succumbunt. Intemperati ergo peiores sunt, quam incontinentes, & molles: quia sunt adeò habituati in malo, quod delectabile est eis mala facere. In quarto gradu autem sunt bestiales. Hi autem peiores sunt, quam intemperati. Illi enim bestiales esse dicuntur, qui vltra modum hominum malefaciunt. Sunt autem bestiales operantes ea, quæ ipsa natura horret: sicut sunt quidam barbari comedentes carnes humanas, bibentes humanum sanguinem. Talia enim non nisi à bestialitate prouenire possunt. Narrat autem Philosophus 7. Ethicorum, multas huiusmodi bestialitates. Dicit enim quod cum quædam prægnans esset, & non potuisset parere, ex hoc tantum dolorem concepit, & sic in bestialitatem conuersa est, vt omnes prægnantes resideret. quia ergo ipsa parere non poterat, volebat vt nulla de cætero parturiret. Sic etiam (vt ait) circa quandam Insulam maris vt circa Pontum existebant tunc temporis quædam gentes omnino bestiales, comedentes carnes crudas, deuorantes carnes humanas, & (quod peius est) præstabant sibi filios inconuiuijs. cum enim qui alios conuiuare volebat, si filius suus domi non erat, à vicino suo mutuabat filium, & ipsum parabat in conuiuium, spondens quod quando vellet conuiuium facere, ei suum filium tribueret. Sic etiam multæ de Phalaride bestialitates narrantur. Quædam etiam aliæ gentes bestiales (vt ait) sa-

Eth. 7. cap. 5.
Lamia.
Ouid. in Ibin.

crificabant matres proprias, & comedebant hepata hominum. Illi ergo sunt bestiales, qui vltra modum hominum male agunt. Dicto de quatuor generibus malorum, restat dicere de quatuor generibus bonorum. Nam sicut quidam mali sunt molles, qui modica passione ruunt: sic quidam boni dicuntur esse perseuerantes. Huiusmodi autem sunt, qui stant, & non modica tentatione cadunt. Loquendo ergo de Perseuerantia, vt Philosophus loquitur, nihil est aliud, quam quædam bona dispositio opposita molliciei: ergo in primo gradu dicuntur esse perseuerantes. In secundo vero sunt continentes. Continere enim est plus, quam perseuerare. Nam si quis etiam non tentatus, vel modicũ tentatus non ruat, dicitur perseuerare: sed non dicitur continere, nisi fortiter passionatus passiones illas vincat. Nam nullus continet, nisi contra passiones se teneat. Ideo 7. Ethicorum dicitur, quod continentia eligibilior est, quam perseuerantia. In tertio autem gradu bonorum sunt temperati. Illi enim temperati esse dicuntur, qui non solum modicum passionati perseuerant, quod faciunt perseuerantes: vel contra fortes passiones se tenent, quod faciunt continentes: sed sunt ita castigati in appetitu, & habent tam moderatas passiones, quod quasi pugnam non sentiunt, & delectabile est eis benefacere. Sicut ergo perseuerantes opponuntur mollibus, & continentes incontinentibus: sic temperati opponuntur intemperatis. Nam sicut delectabile est intemperatis mala facere, sic delectabile est temperatis bona operari. In quarto & in supremo gradu bonorum, sunt homines diuini. Nam sicut aliqui homines sunt bestiales, & sunt mali vltra modum hominum: sic aliqui sunt quasi diuini, & sunt boni vltra modum humanum. Vnde & Philosophus circa principium 7. Ethicorum dicit, quod Homerus refert de Hectore, quod Rex Priamus Pater suus dicebat de ipso, quod erat valde bonus: propter quod non videbatur existere puer viri

Eth. 7.

Eth. 7. cap. 1.

mora-

moralis, sed Dei. Virtus autem illa, per quam quis debet esse bonus vltra modum humanum, appellatur à Philosopho heroica idest principans, & dominatiua. Ex hoc ergo manifeste patet, quod Reges, & Principes si debent recte dominari, non sufficit eos fugere omnes gradus malorum, & quod non sint nec molles, nec incontinentes, nec intemperati, nec bestiales, sed oportet eos esse in summo gradu bonorum: qui enim alijs dominari, & principari desiderant, oportet quod habeant virtutem illam, quæ est dominans & principans respectu aliarum, & sint boni vltra modum aliorum, & sint quasi homines diuini. In hoc ergo gradu debent esse Reges & Principes. Et si in tale gradu esse decet bonos & perfectos Principes seculares quales esse debeant ecclesiasticè principantes, prudentis iudicio relinquatur.

Quot sunt gradus virtutis & cuiusmodi virtutes habere debeant Reges, & Principes. Cap. XXXIII.

Distinguunt tam Macrobius, quam Plotinus quatuor gradus virtutum. Nam quædam sunt politicæ, quædam purgatoriæ, quædam purgati animi, quædam exemplares. Dicunt autem quidam, virtutes exemplares esse in ipso Deo. Virtutes autem politicas, esse virtutes acquisitas, per quas homines bene se habent in rebus humanis. Sed virtutes purgatorias, & purgati animi dicunt esse virtutes infusas, per quis quis bene se habet ad diuina. Circa diuina autem aiunt est duplex gradus. Nam aliqui sunt tendentes, & euntes in diuina similitudine: & tales dicuntur habere virtutes purgatorias. Aliqui vero sunt quodammodo iam assecuti similitudinem illam: & tales habere dicuntur virtutes purgati animi. Sed hi licet secundum se vera dicant, non

Macr. lib. de so. Sci. cap. 8.

tamen videntur accedere ad intentionem eorum, qui hoc modo de virtutibus sunt locuti. Nam Philosophi non loquebantur, nisi de virtutibus acquisitis. Virtutes autem infusas non posuerunt. Omnem ergo virtutem, quam ponebant, dicebant esse acquisitam. Sectando ergo Philosophorum viam, dicere possumus, quod sicut est dare diuersos gradus bonorum, sic est dare diuersa virtutum genera, ita quod secundum quod aliquis est excellentior bonus, excellentiorem etiam gra-
Phil. dum virtutum habet. Sicut ergo Philosophus innuit quatuor genera bonorum, vt patet ex capitulo præcedenti, qui ait aliquos esse perseuerantes, aliquos continentes, aliquos temperatos, aliquos vero diuinos, sic possumus distinguere quatuor ordines virtutum, ita quod cuilibet generi bonorum demus suum ordinem virtutum. Dicemus ergo quod perseuerantes habēt virtutes politicas: continentes, purgatorias: temperati vero habent virtutes purgati animi: sed diuini habent virtutes exemplares. Propter quod sicut diuini meliores sunt temperatis, temperati continentibus, continentes perseuerantibus: sic virtutes exemplares excellunt virtutes purgati animi: virtutes verò purgati animi excellunt purgatorias: & purgatoriæ politicas. Quòd autem hæc genera virtutum adaptari debeant prædictis generibus bono-
Plot. rum, patet per Plotinum dicentem, quod primæ virtutes, scilicet politicæ, molliunt idest ad medium reducunt. Secundæ, scilicet purgatoriæ, auferunt. Tertiæ, quæ sunt purgati animi, obliuiscuntur. Sed in quartis, scilicet exemplaribus, nefas est turpe aliquod nominari. Quare bene dictum est, quod perseuerantibus competunt virtutes politicæ, quia perseuerantes (vt dicebatur) opponuntur mollibus. & sufficit ad hoc quod aliquis perseueret, quod teneat se in medio. Virtutes ergo politicæ quæ molliunt, idest disponunt animum ad benefaciendum, & reducunt ipsum ad medium, competunt

perse-

perseuerantibus. Sunt autem huiusmodi virtutes minime inter virtutes alias: & perseuerantes (loquendo de Perseuerantia, vt de ea Philosophus loquitur) tenent infimum gradum in genere bonorum. Congrue ergo huiusmodi virtutes competunt perseuerantibus, sed purgatoriæ competunt continentibus. Nam ex hoc aliquis est continens, quia tenet se, & abstinet se à delectationibus sensibilibus. Continentes enim, sunt euntes in passionibus, & pugnant contra ipsas. Modus autem vincendi eas est auferre, & remouere se de eis. Ideo continentibus dicuntur competere virtutes purgatoriæ, quorum officium est auferre, & abstinere nos à passionibus immoderatis. Virtutes vero purgati animi competunt temperatis: nam istæ non auferunt, sed obliuiscuntur. Temperatus enim habet sic appetitum castigatum, quod quasi pugnam non sentit, sed obliuiscitur passionum immoderatarum, & quodammodo delectabile est ei benefacere. Merito ergo talis dicitur habere virtutes purgati animi facientes ipsum obliuisci passiones illas crebras, quia iam habet animum purgatum & castigatum, vt non sit ei curæ de talibus passionibus. Quartæ vero virtutes, videlicet, exemplares adaptari possunt hominibus diuinis: tales enim perfecti adeò debent esse, vt sint aliorum data regula, & exemplar. Declaratum est ergo primum, quod in principio capituli proponebatur. videlicet diuersos esse gradus virtutum. Declarare vero secundum, & ostendere cuiusmodi virtutes Regibus, & Principibus competere debeant, si intelligantur præhabita, nullam difficultatem habet. Dicebatur supra, quod Reges, & Principes non sufficit esse perseuerantes, continentes, & temperatos: sed decet eos quodammodo esse diuinos. Virtutes ergo competentes eis, possunt exemplares dici: quia ipsi aliorum debent esse regula & exemplar. Tantæ enim bonitatis debet esse Princeps, vt quilibet suus subditus accipiat inde formam viuendi, & cognoscat defectum suum, videns

vitam & perfectionem principantis. Quare apud Reges & Principes non solum detestabile esse debet eos turpia operari, sed etiam nominare, & audire turpia nefas esse debet. Bene ergo eis competunt exemplares virtutes, quibus secundum Plotinum nefas est turpia nominari: sed cum tantæ bonitatis nullus esse possit absque Dei gratia, & eius auxilio: quanto Reges, & Principes alios excellere debent, tanto ardentius decet eos diuinam gratiam postulare. In hoc ergo eliditur Philosophorum elatio, violentium quod ex puris naturalibus possemus omnia mala vitare, & perfectam bonitatem acquirere.

Quòd bonarum dispositionum quædam sunt virtutes, quædam supra virtutes, quædam annexæ virtutibus, quædam disponentes ad virtutem. Cap. XXXIV.

Dicebatur enim supra, quod licet largo modo accipiendo virtutes, omnis bona dispositio mentis possit dici quædam virtus: attamen bonarum dispositionum quædam magis sunt annexæ, & adminiculantes virtutibus & disponentes ad virtutem, quàm sint virtutes. Sic etiam quædam dispositiones bonæ magis debent dici supra virtutes quam virtus. Sed quomodo hoc esset, non probabatur: quia nondum declarata erant ea, per quæ hæc omnia innotescunt. Sed visis præhabitis, ostendere quomodo hæc sic se habent, non est difficile. Nam eubulia, & synesis siue consiliatiua, & iudicatiua, virtutes sunt, accipiendo virtutem large. Vnde & Philosophus 6. Ethicorum, eas virtutes appellat. Accipiendo virtutem tamen, vt hic de virtute loquimur, aliquo modo deficiunt à ratione virtutis. Nam (vt dicitur 2. Ethicorum) ad virtutem pertinet primo scire, deinde eligere, & tertio firme, & immobiliter operari. Quare cum eubulia consi-

Eth. 6.

Eth. 2.

lie-

lletur, synesis iudicet, prudentia præcipiat firmiter & immobiliter opera fieri secundum consiliata, & iudicata: prudentia, quæ immediatius se tenet ex parte operis, est potior, & magis habet rationem virtutis, quam consiliatiua, & indicatiua. illæ ergo magis sunt adminiculantes & deseruientes virtuti, quam sint virtutes. Bene ergo dictum est, quod bonarum dispositionum quædam sunt adminiculantes, & annexæ virtutibus: sed quædam sunt disponentes ad virtutem, vt perseuerantia, & continentia. Continentia enim non proprie est virtus, quia virtuoso delectabile est benefacere: continens enim licet non sequatur passionem, sed rationem. tamen quia non est continens, nisi quia contra passiones se tenet, ratione pugnæ quam sentit, non est ei delectabile benefacere. Quandiu ergo aliquis est continens, & quandiu habet passiones fortes, non habet perfectum vsum rationis & virtutis: attamen vincendo passiones illas, disponitur vt sit virtuosus. Quare continentia licet possit dici virtus, large accepta virtute, magis tamen videtur esse dispositio ad virtutem, quam virtus. Sed cum continentia potior sit, quam perseuerantia (accipiendo perseuerantiam, vt de ea loquitur Philosophus) deficit à ratione virtutis. propter quod non est virtus, sed vel est dispositio ad virtutem, vel est quædam conditio sequens virtutem. Declarare ergo quomodo perseuerantia est dispositio ad virtutem, & quomodo est conditio sequens virtutem, non est præsentis speculationis. Sufficit autem ad præsens scire, quod loquendo de perseuerantia vt superius dicebatur, & vt de ea loquitur Philosophus, est quædam dispositio ad virtutem. Virtus autem heroica, quam diuinam vocare possumus, magis est supra virtutem, quam sit virtus. Vnde Philosophus 7. Ethicorum loquens de hac virtute, ait, quod non est virtus, sed quid honorabilius virtute. Cum ergo prudentia, iustitia, & alia, de quibus superius tractauimus, sint virtutes: consi- *Eth. 7. cap. 1.*

liatiua, & iudicatiua sint annexæ virtutibus, quia sunt adminiculantes & annexæ prudentiæ: continentia vero, & perseuerantia sint dispositiones ad virtutem: heroica sit supra virtutem: bene dictum est, quod bonarum dispositionum quædam sunt virtutes, quædam annexæ virtutibus, quædam disponentes ad virtutes, quædam vero sunt supra virtutes. Vt ergo Reges, & Principes possint bonas dispositiones mentis habere, decet eos hæc genera dispositionum cognoscere.

TER-

TERTIA PARS PRIMI Libri de Regimine Principum: in qua tractatur, quas passiones Reges & Principes debeant sequi.

Quot sunt passiones animæ, & quomodo accipiendus est earum numerus. *Cap. I.*

EXPEDITIS duabus partibus huius operis, quia ostensum est in quo Reges & Principes suum finē ponere debeant, & quomodo oportet eos virtuosos esse. Restat exequi de tertia parte huius primi libri, ostendendo quas passiones, & quos motus animi Reges & Principes debeant imitari. Sed cum hoc sciri non possit, nisi prius sciuerimus quot sunt huiusmodi passiones, & quæ illarum sunt magis principales, & quæ sunt laudabiles, & quæ vituperabiles; ideo de his primo tractabimus. Accipiendo autem numerum passionum, sicut dicebamus esse duodecim virtutes, sic dicere possumus quod sunt duodecim passiones, videlicet, amor, odium, desiderium, abominatio, delectatio, tristitia, spes, desperatio, timor, audacia, ira, & mansuetudo. Computabatur enim supra mansuetudo inter virtutes: sed hoc est propter vocabulorum penuriam, vt ait Philosophus 4. Ethic. Mansuetudo enim proprie nominare videtur passionem oppositam iræ. Sed cū *Eth. 4. cap. 5.*

sit

sit quædam virtus inter iram & mansuetudinem, quia virtutem illam proprio nomine nominare nescimus, nominamus eam nomine mansuetudinis, eo quod illa virtus plus communicat cum mansuetudine, quam cum ira. Erit mansuetudo æquiuocum ad virtutem, & ad passionem oppositam iræ. Si quis autem laborare vellet, cuilibet posset inuehire nomen proprium. Sed cum constat de re, de verbis minime est curandum. Enumeratis ergo passionibus, sic potest accipi earum numerus: quia passiones proprie esse non habent nisi in appetitu sensitiuo. Appetitus enim intellectiuus quia non est virtus in corpore, siue non est virtus affixa organo, ab huiusmodi passionibus est semotus. Erit ergo omnis passio (vt hic de passione loquimur) in appetitu sensitiuo. Sensitiuus autem appetitus (vt supra diffusius diximus) diuiditur in irascibilem, & concupiscibilem. Prædictæ ergo passiones sic distinguuntur: quia primæ sex videlicet, amor, odiū, desiderium, abominatio, delectatio, & tristitia, pertinent ad concupiscibilem, reliquæ vero sex ad irascibilem spectant. Numerus autem passionum concupiscibilis sic accipi potest: quia omnis passio & omnis motus animæ pertinens ad concupiscibilem, vel sumitur respectu boni, vel respectu mali. Si respectu boni, hoc est tripliciter. Nam erga bonum per cōcupiscibilem tripliciter passionamur. Nam bonum apprehensum primo nobis placet: secundo tendimus in ipsum: tertio adepto quietamur in eo. Prout ergo nobis bonum aliquod placet, est in nobis amor: sed prout tendimus in ipsum, habet esse in nobis desiderium: prout vero quietamur in eo, existit in nobis gaudium & delectatio. Amor ergo, desiderium, & delectatio sumuntur respectu boni. Odium vero, abominatio, & tristitia, sumuntur respectu mali. Nam prout malum nobis displicet, est odium: prout vero ipsum fugimus, est abominatio: sed prout eo adepto dolemus, habet esse tristitia. Viso quomodo accipiuntur pas-

siones

ſiones concupiſcibiles: reſtat videre, quomodo ſumendæ ſunt paſſiones iraſcibiles. Differunt autem hæ paſſiones ab illis, quia paſſiones concupiſcibiles reſpiciunt bonum & malum abſolute ſumptum: ſed paſſiones iraſcibiles reſpiciunt bonum vel malum in eo quod arduum. Huiuſmodi ergo paſſiones vel ſumuntur reſpectu boni, vel reſpectu mali. Si reſpectu boni, hoc eſt dupliciter: quia vel vt in ipſum tendimus, & ſic eſt ſpes. nihil eſt enim aliud ſpes quam tendere in aliquod bonum arduū. Circa enim bona abſolute ſumpta poteſt eſſe amor, vel deſiderium, vel delectatio: non tamen eſt ſpes circa aliqua bona, niſi habeant rationem ardui. quare ſi tendimus in bonum arduum, dicitur eſſe ſpes. Sed ſi à tali bono deficimus, habet eſſe deſperatio. Spes ergo, & deſperatio ſumuntur reſpectu boni. Aliæ vero paſſiones iraſcibiles ſumuntur reſpectu mali. Nam malum dupliciter poteſt conſiderari, vel vt futurum, vel vt præſens. Si conſideretur vt futurum, hoc eſt dupliciter: vel vt ipſum aggredimur, & ſic eſt audacia: vel vt ab eo refugimus, & ſic eſt timor. Si vero malum ſit præſens, hoc etiam eſt dupliciter: quia vel ex hoc conſurgimus ad faciendā vindictam, & ſic eſt ira: vel à tali vindicta deficimus, & ſic eſt manſuetudo. Cum ergo non poſſint pluribus modis variari noſtri motus & noſtræ affectiones, in vniuerſo duodecim erunt paſſiones. ſex pertinentes ad concupiſcibilem, & ſex ad iraſcibilem. De quibus omnibus in Rhetoricis diffuſius diximus. hæc autem ſufficiant ſuperficialiter pertranſire.

Quæ

Quæ prædictarum passionum sunt priores, & quæ posteriores, & quem ordinem habent adinuicem. *Cap. II.*

QVia nullus bene seipsum regere potest, nisi sciat quæ passiones sunt fugiendæ, & quæ prosequendæ: & quia in hoc primo libro determinare intendimus de regimine sui, videndum est quot sunt passiones, & quem ordinem habent adinuicem, & quæ sunt magis principales, & quæ minus, & quomodo vna passio reducitur ad aliam: quia ex omnibus his magis innotescit nobis natura ipsarum passionũ, qua inspecta cognoscere possumus quæ sunt laudabiles, & quæ sunt vituperabiles, & quæ sunt sequendæ, & quæ sunt fugiendæ. Viso ergo quot sunt passiones, & quomodo accipitur earum numerus: videndum est quem ordinem habeant ad se inuicem. Ordo autem earum dupliciter potest accipi: vel singulariter, vel per combinationem. Accipiendo ergo huiusmodi ordinem secundum combinationem, dicere possumus primas passiones esse, amor, & odium. In secundo vero gradu sunt desiderium, & abominatio. In tertio vero, spes, & desperatio. In quarto autem, timor, & audacia. In quinto autem, ira, & mansuetudo. Vltimæ autem passiones sunt delectatio, & tristitia. Delectatio enim & tristitia consequuntur ad omnes alias passiones. Nam quacunque passiones quis passionetur: vel delectatur, uel tristatur. Ideo hæ duæ passiones post omnes alias collocandæ sunt. Amor autem, & odium sunt simpliciter passiones primæ. Nam sicut delectatio, & tristitia ad omnes alias passiones consequuntur, quia omnes aliæ passiones uel tarminantur ad delectationem, uel ad tristitiam: sic amor, & odium alias passiones præcedunt.

Quare

Quare omnes aliæ passiones sumunt originẽ uel ex amore, uel ex odio. quicunque enim passionatur aliqua passione, uel sic passionatur, quia amat, uel quia odit. Post amorem autem, & odium, esse habent desiderium, & abominatio. Nam desideriũ immediate innititur amori. cum enim amamus aliquid, uel desideramus ipsum habere, uel si ipsum habemus, desideramus conseruari in habendo ipsum. Abominatio uero immediate innititur odio: quia statim cum odimus, aliquid abominamur illud. Quare sicut amor, & odium sunt passiones primæ: sic desiderium, & abominatio sunt passiones secundæ. In tertio autem loco ponendæ sunt spes, & desperatio. Nam spes, & desperatio, cum sumantur respectu boni, præcedunt timorem, & audaciam, iram, & mansuetudinẽ, quæ sumuntur respectu mali. Timor autem, & audacia præcedunt iram, & mansuetudinem. Nam cum aliquid prius sit futurum, quam præsens: timor, & audacia, quæ sumũtur respectu mali futuri, præcedunt iram, & mansuetudinem, quæ sumuntur respectu mali præsentis. Plane ergo patet, quem ordinem habent dictæ passiones, si sumantur binæ & binæ. Acceptæ uero singulariter, sic ordinari debent: quia amor est prior odio: desiderium abominatione: spes desperatione: timor audacia: ira mansuetudine: delectatio tristitia. Amor enim est prior odio: quia semper passio sumpta respectu boni (secundum quod huiusmodi) prior est passione sumpta respectu mali. Nam appetitus per se & primo tendit in bonum. Si autẽ refugit malum, hoc est ex consequenti, inquantum fugere malũ, habet rationem boni. Amor ergo est omnino primus motus, & prima passio. Nam ipsum odium ex amore sumit originem: nisi amaremus aliquid, nihil abominaremur, uel haberemus odio. Nam quia diligimus bonũ, & iustitiam odimus, abominamur fures & iniustos. Desiderium autem, quod innititur amore, præcedit abominationem, quæ innititur odio. Spes uero præcedit desperationem.

tionem.

tionem. Nam si primum uolitum est bonum, & quòd est uolitum est uolitum sub ratione boni: passio, quæ magis coniungit nos bono, secundum quod huiusmodi, præcedit alias passiones: & quia tendere in bonum est magis coniungi bono quàm deficere ab ipso, spes per quam tendimus in bonum, præcedit desperationem per quam deficimus ab ipso. Timor autem præcedit audaciam. Nã sicut quia appetitus per se & primo intendit coniungi bono, ideo passio quæ tendit in bonum est prior passione quæ deficit ab ipso: sic quia refugere malum habet rationem boni, ideo timor per quem refugimus malum, prior est audacia per quam aggredimur ipsum. Ira autem in genere passionum est prior mansuetudine. Nam mansuetudo proprie non est passio, sed magis est deficere à passione. ideo in genere passionum ira mansuetudinem præcedit. Vtrum autem secundum aliquem alium modum mansuetudo præcedat iram, inuestigare non est præsentis negocij. Delectatio autem, quæ est respectu boni, prior est tristitia, quæ est respectu mali. Quia ergo visum est, quot sunt passiones, & quomodo ordinantur ad inuicem: ex his quæ dicta sunt aliquo modo figuraliter & typo innotescit nobis natura ipsarum: qua cognita, cognoscere possumus quomodo sint prosequendæ, & quomodo vitandæ passiones prædictæ. Quod scire tanto magis decet Reges & Principes, quanto per passiones ipsorum maius valet induci malum, & potest bonum excellentius impediri. De hoc tamen infra diffusius tractabitur.

Quomodo decet Reges & Principes se habere ad odium, & ad amorem. Cap. III.

PAssiones autem quia diuersificant regnum & vitam nostram, ideo necessarium est ostendere quomodo nos habere debeamus ad illas. Oportebat ergo enumerare omnes passiones, vt sciremus numerum passionum, de quibus determinare debemus. Oportebat etiam ostendere ordinem earum, vt sciremus quo ordine determinaremus de illis. Quare cum amor, & odium sint passiones primæ, prius videndum est, quomodo deceat Reges & Principes esse amatiuos, & odituos. Et vt ostendamus nomen amoris, non solum vt est passio proprie sumpta, sed etiam vt reperitur in appetitu sensitiuo & intellectiuo: dicere possumus quod semper obiectum amoris est bonum. Vbi ergo reperitur magis ratio bonitatis, ibi esse debet magis principalis, & magis intensus amor. In bonis autem diuinis, & in bonis communibus, magis reperitur ratio bonitatis, quam in bono priuato. Modus ergo, quo quilibet debet esse amatiuus, est vt primo & principaliter diligat bonum diuinum & commune. Nam in bono diuino magis habet esse bonitas vniuscuiusque, quam etiam in seipso. Bonum enim diuinum est cōseruatiuum boni nostri. immo & si annihilatum esset bonū nostrum, Deus vnde vellet, posset illud reficere. Quare cum nullus homo sine diuino auxilio possit seipsum bonum facere, vel se in bonitate conseruare, dictat naturalis ratio vt magit diligat Deum quam seipsum: quia bonum vniuscuiusque principaliter est à Deo, & excellentius reseruatur in Deo, quam in seipso. Et quia commune bonū est diuinius quam singulare, vt dicitur 1. Ethic. & quia in communi bono includitur bonum priuatum, semper *Eth. 1. cap. 2.*

bono

bono priuato præponendum est commune bonum. Naturaliter enim videmus partem se exponere pro toto, vt brachium se exponit periculo pro corpore: ex naturali enim instinctu cum quis vult percuti, ne vulnerentur membra à quibus principaliter dependet salus corporis, & ne totum corpus pereat, brachium periculo se exponit. Sic etiam antiquitus si perspeximus ciuitatē aliquam dominari & tenere monarchiam: hoc erat, quia ciues pro Rep. non dubitabant se morti exponere. Dilectatio enim quam habebant Romani ad Remp. fecit Romā esse principantem & monarcham. Hoc ergo modo quoslibet homines decet esse amatiuos, vt primo & principaliter diligant bonum diuinum & commune: ex consequenti verò bonum proprium & priuatum: maxime tamen hoc decet Reges & Principes. quod triplici via declarare possumus. Regi enim dignitas (quantum ad præsens) ad tria comparari potest scilicet ad tyrannidem, cui contrariatur: ad virtutes, quibus debet ornari: & ad vitia, quæ debet fugere. Prima via sic patet. nam (vt superius dicebatur, & vt Philosophus in Polit. probat) differentia est inter Regem, & tyrannum: quia Rex principaliter intendit bonum commune: & intendendo bonum commune, intendit bonum proprium: quia saluato regno, saluatur, & Rex. Tyrannus autem econtrario, principaliter intendit bonum priuatum: ex consequenti autē & quasi per accidens intendit bonum commune, inquantum ex bono communi consurgit sibi aliquod bonū priuatum. Si ergo modo opposito se habent, Regnum, & tyrannides: cum modus amoris tyrannici sit vt bonum priuatum præponat bono communi, modus amoris regis esse debet vt bonum commune præponat priuato bono. immo quia speciali modo Rex & quilibet principās est minister Dei & persona publica & communis, speciali modo spectat ad Reges & Principes bonum diuinū & commune præponere cuilibet priuato bono. Secundo

hoc

hoc idem patet, si considerentur virtutes, quibus decet Reges esse ornatos. Sicut enim detestabilius est in magistro carere scientia quam in discipulo, quia magister est in statu in quo ipso debet scientiam alijs tradere: sic detestabilius est in Rege carere virtutibus, quam in subditis, quia status regius requirit vt inducat alios ad virtutẽ. Inter cætera autem, quæ inducere possent alios ad virtutes, est, vt bonum diuinum & commune principaliter diligant. Nam si Rex principaliter bonum commune intendat, studebit vt habeat memoriam præteritorum, & prouidentiam futurorum, vt sit expertus, cautus, & vt habeat omnia quæ ad prudentiam requiruntur, per quã possit melius suum populum regere. immo si bonum commune præponat bono priuato, tanto magis studebit vt prudentia polleat, quanto maior prudentia requiritur ad custodiendum bonum commune, quam proprium. Est ergo prudens, si etiã erit iustus: quia bonum commune potissime per iustitiam conseruatur. Erit magnanimus; quia bona cõmunia maxime sunt ardua & magno honore digna, in quæ magnanimus tendit. Erit magnificus; quia secundum Philosophum 4. Ethic. magnificentia potissime habet esse circa diuina, & communia. Erit fortis; quia cum bonum cũmune proponat bono priuato, non dubitabit etiam personam exponere, si viderit quod expediat regno. Erit temperatus; quia si intentio sua principaliter versetur circa bonum regni, spernet delectationes sensibiles immoderatas, ne per eas impediatur debita cura regni. Vt ergo sit ad vnum dicere, amor diuini boni & communis inductiuus est ad virtutes singulas. Considerando ergo virtutes, quibus decet Reges & Principes esse ornatos, & principaliter debent diligere bonum diuinum & commune. Tertio hoc idem patet, si considerentur vitia, quæ debent fugere. Nam sicuti amor diuinus & boni communis inducit ad omnem virtutem; sic inordinatus amor proprius inducit ad omne vitium: tales enim sunt

Eth. 4. cap. 2.

tyranni, volentes explere voluptatem propriam, & quærentes excellentiam singularem. propter quod fiunt iniuriatores aliorum, deprædant sacra, expoliant populum, omnem iniustitiam exercent. Vnde & Valerius Maximus de Dionysio Ciciliano recitat, qui cum esset tyrannus, erat amator proprij commodi, depopulabat vrbes, expoliabat ciuitates, & deprædabat sacra. Viso quomodo Reges & Principes se habere debeant ad amorẽ, quia principaliter debent amare bonũ diuinum & commune: de facili patere potest, quomodo se habere debeant ad odium. Nam amor est primus motus & prima passio, ex qua omnis alia sumit originem: vt si homo diligit iustitiam & veritatem, odit fures qui contrariantur iustitiæ, & detractores qui contrariantur veritati. & qui diligit corporalem vitam, timet gladium qui eam tollit. timor ergo & odium. & breuiter omnis passio siue omnis motus animi ex amore sumit originem. potissimum ergo in intentione cuiuslibet esse debet quid amandũ. Ostenso ergo quomodo Reges & Principes quodam speciali modo præ alijs debent diligere bonũ diuinum & cõmune, & quodam speciali modo præ alios odire debent quæ cõtrariantur bono diuino & cõmuni: huiusmodi autem sunt opera iniusta & contumeliosa, & vniuersaliter omnia vitia. Quare cum de ratione odij sit exterminare, & nunquam satiari nisi exterminet, vt dicitur 2. Rhetoricorũ, decet Reges & Principes amare Iustitiam, & odit vitia, vt non satientur, nisi ea extirpent & exterminent. Per se enim homines non sunt exterminandi, & odiendi: sed quia vitia sunt extirpanda & odienda, si non possunt aliter vitia extirpari, nec potest aliter durare commune bonũ, nisi exterminando maleficos homines, extirpandi sunt tales, ne pereat commune bonum. Amare ergo cõmune bonum, & odire malefica, quæ ei contrariantur: tantò magis decet Reges & Principes, quantò magis sunt persona publica, & communis.

Valer. M. li. 1. cap. 2. Ci. lib. 3 de nat. Deo.

Rhet. 2. cap. 4.

Quo-

Quomodo, & quæ debeant Reges & Principes desiderare & abominari.
Cap. IIII.

DIcto de amore, & odio, quæ ſunt paſſiones primæ: dicere reſtat, quomodo Reges & Principes ſe habere debeant ad deſiderium, & abominationem, quæ ſunt paſſiones ſecundæ. Differt autem deſiderium ab amore: & abominatio differt ab odio. Nam geſta moralia quodammodo rebus naturalibus ſunt ſimilia. Nam ſicut corpora naturalia per ſuas formas, vt per grauitatem vel per leuitatem quandam tendunt in loca propria: ſic per amorem tendit quis in bonum ſibi proportionatum & conueniens. In grauibus ergo & leuibus eſt tria conſiderare. Primo formam grauis vel leuis, per quam conformatur loco ſurſum vel deorſum. Secundo eſt ibi conſiderare motum, per quem tendunt in talem locum. Tertio ſtationem & quietem, per quam quieſcunt in dicto loco. Sic & in geſtis moralibus, vt communiter ponitur, eſt tria conſiderare. Nam cum bonum aliquod apprehẽdimus, primo per amorem & per quandam complacentiam ei conformamur. Secundo per deſiderium in ipſum tendimus. Tertio per delectationẽ quietamur in ipſum. Ergo amor nos conformat: deſiderium nos mouet: & delectatio nos quietat. Et quod dictum eſt de bono reſpectu amoris, deſiderij, & delectationis, vt ſupra tangebatur, intelligendum eſt de malo reſpectu odij, abominationis, & triſtitiæ. Nam ſicut bonum vt eſt amatũ, ei conformamur: vt eſt deſideratum, in ipſum tendimus: vt eſt adeptum; delectamur in ipſo. Sic malum vt eſt oditum, eſt aliquid diſplicens & difforme voluntati noſtræ: vt eſt abominatum, ab eo refugimus: & ſi contingat ipſum adipiſci, dolemus & triſtamur. Deſide-

rium ergo licet non sit idem quòd amor, mensurā tamen & modum debet suscipere ex amore. Sic & abominatio licet non sit idem quòd odiū, tamen ex odio debet mensuram suscipere. Sic enim in naturalibus videmus, quod licet motus deorsum non sit idem quòd forma grauis: naturaliter tamen motus deorsum sumit mensuram & modum ex grauitate, vt quanto aliqua sunt grauiora, tātò velocius mouentur ad mediū. Quare si videre volumus, quomodo Reges & Principes debeant aliqua desiderare & abominari, videndum est quomodo debeant amare & odire. Videmus autem in singulis artibus, vt probatur primo Politicorum, quod finis appetitur in infinitum: ea autem quæ sunt ad finem, appetuntur secundum modū & mensuram ipsius finis. vt medicus intendit inducere sanitatem, quantum potest, maiorem & meliorē: quia sanitas in arte medicinæ intenditur vt finis: potionem autem & phlebotomiam non intendit quanto maiorem potest, quia tunc exterminaret infirmum: sed intendit secundum modum & mensuram sanitatis. Cum ergo in arte regnandi & principandi principaliter & finaliter intendatur salus Regni & Principatus, sicut in arte medicandi principaliter intenditur sanitas corporis: naturaliter decet Reges & Principes intendere & amare bonum regni & commune. Quare si desiderium debet mensuram sumere ex amore, principaliter Reges & Principes debent desiderare bonum statum regni: vt quod qui in regno sunt, bene se habeant ad diuina, quod agant opera virtuosa, quod sint in eis pax tranquillitas, quod inter eos debita seruetur iustitia, & cætera talia, à quibus per se & essentialiter dependet bonus status regni. Alia autem desiderare debent, vt habent ordinem ad ista. diuitias ergo, & ciuilem potentiam, & cætera talia bona in tantum desiderare debent, inquantum per ea possunt cohercere malos, punire iniusta, & facere talia, à quibus regni salus dependere videtur. Viso,

quæ,

quæ, & quomodo Reges & Principes desiderare debent; quia sicut debent amare primo & principaliter bonum diuinum, & commune, alia autem sunt desideranda vt ordinantur ad ista: sic desiderare debent primo & principaliter bonum diuinum & commune, alia autem sunt desideranda vt ordinantur ad ista: de leui patere potest quæ & qualia abominari debent, quia principaliter sunt abominanda quæ expressius contradicunt bono diuino & communi, alia autem abominanda sunt ex consequenti. Huiusmodi autem abominationem & desiderium tanto magis decet Reges & Principes, quanto magis eos decet habere curam de bono regni & communi. Quæ sunt autem illa quæ regnum conseruant in bono statu, & quomodo Rex se debeat habere ad ipsum regnum, in tertio libro diffusius ostendetur.

Quomodo Reges & Principes se habere debeant circa spem, & desperationem.
Cap. V.

CVm determinauimus de ordine passionum animæ, diximus quod amor & odiũ erant passiones primæ, desiderium vero & abominatio erant passiones secundæ: post has autem tertio loco collocandæ erant spes, & desperatio. Restat vero videre quomodo Reges & Principes se habere debeant circa spem & desperationem. Sed si considerentur dicta præhabita, non est difficile scire, quomodo Reges & Principes ad hoc se habere debeant. Dicebatur enim supra, quod eos esse decet humiles & magnanimos: cũ ergo humilitas moderet spem, quia humiles cognoscentes defectum proprium, non sperant vltra quã debeant: magnanimitas vero reprimat desperationem, quia magnanimi propter difficultatẽ operis non

desperant: si Reges & Principes fuerint humiles & magnanimi, superabunt speranda propter magnanimitaté, & non sperabunt non speranda propter humilitatem. Possumus autem quadrupliciter ostendere, quod decet Reges & Principes decēter se habere circa spem,& sperare speranda, & aggredi aggredienda. Nam si Reges nihil sperarent, & nihil aggrederentur, essent pusillanimes, & non debite pertractarent negocia regni. Sunt autem in spe, vt communiter ponitur, quatuor consideranda, propter quæ arguere possumus, quod decet Reges & Principes esse bene sperantes. Spes enim primo est de bono: nam de malo non est spes, sed timor. Secundo de arduo: nam licet circa quodcunque bonum possit esse amor vel desiderium: spes tamen esse non habet, nisi circa bonum arduum; nullus enim sperare dicitur, nisi sibi videatur esse bonum arduum,& difficile. Tertio spes habet esse circa bonum futurum: de præsentibus enim bonis non est spes, licet possit esse gaudium & delectatio. Quarto spes habet esse circa bonum possibile, quia circa impossibile nullus sperat, sed desperat. Hæc autem quatuor, videlicet, bonum, arduum, futurum, & possibile, potissime competere debent Regibus & Principibus. Ná cum Reges & Principes sint latores legum,quia secundú Philosophum proprie spectat ad Reges & Principes leges ponere, spectat ad eos sperare bonum. Rursus quia principale intentú à legislatore & à lege, vt supra ostendimus, debet esse bonum diuinum & commune, cum talia sint bona excellentia & ardua, non solum spectat ad Reges & Principes tendere in bonum, sed etiam decet eos tendere in bonum arduum. Amplius quanto maior est communitas, tanto plura possunt ei contingere, ideo maiori indiget prouidentia & saniori consilio: cum ergo prouidentia & consilium non sit nisi de rebus futuris, quia nullus consiliatur de impossibilibus, vt vult Philosophus 3. Ethicorum, præterita, quæ immutabilia sunt,

Eth. 3.

vt haberi potest ex 6. Ethic. non cadunt sub consilio, nec etiam cadunt sub prouidentia. decet ergo Reges & Principes considerare bona non solum vt sunt ardua, sed vt sunt futura. Congruit etiam eos considerare talia, vt possibilia. nam pauperes, impotentes & ignobiles si non sunt magnanimi, & subtrahunt se ab aliquibus bonis arduis, videntur mereri indulgentiam, quia ciuilis potentia, diuitiæ, & nobilitas non adminiculantur eis, vt possint prosequi talia bona: Reges autem & Principes, quibus consequitur nobilitas generis, potentia ciuilis, abundantia diuitiarum, inexcusabiles esse videntur, si sint pusillanimes, & non credant eis esse possibile prosequi bona ardua & magno honore digna. Quare cum Reges & Principes tendere debeant in bona ardua, & debeant prouidere bona futura possibilia ipsi regno: decet eos esse bene sperantes per magnanimitatem, quia habent omnia quæ ad spem debitam requiruntur. Viso, quomodo decet Reges & Principes bene se habere in sperando speråda, restat videre quomodo se habere debeant in non sperando non speranda. decet enim eos cum magna diligentia inuestigare, quid sperent, & quid aggrediantur. Nam sicut per magnanimitatem debent esse prompti, vt aggrediantur ardua, & sperent speranda: sic per humilitatem debent esse moderati, vt non aggrediantur aliquid vltra vires proprias, & vt non sperent non speranda. Possumus autem duplici via inuestigare, quod decet Reges & Principes aliquid aggredi vltra vires, & sperare vltra quam sit sperandum. Prima via sumitur ex parte officij regis. Secunda, ex parte gentis sibi commissæ. Sperare enim vltra quam sit sperandũ, & aggredi opus vltra vires suas, videtur ex imprudentia procedere, vel ex aliqua passione immoderata. vnde 2. Rhetoricorũ scribitur, quod iuuenes semper sunt bonæ spei: de quolibet enim negocio etiam si sit vltra vires, iuuenes bene sperant. quod contingit ex ignorantia: inexperti enim non

Eth. 6. cap. 3. cap. 2.

Rhet. 2. cap. 12.

possunt cognoscere arduitatem operis. Contingit etiam hoc ex immoderatione passionis: nam quia nimis abundat in eis calor, prorumpunt vt attentent aliqua quæ consumare non possunt. Sic etiam dicere possemus, quod ebriosi plus sperant quam debent: quia calefacti ex vino & ebrietate amittentes rationis vsum, attentant aliqua quæ non valent perficere. Cum ergo regium officium requirat hominem prudentem & non passionatum immoderata passione, decet Reges & Principes non aggredi aliquid vltra vires, & non sperare aliqua non speranda. Secundo hoc decet eos ex parte populi sibi commissi. vt plurimum enim exponit se periculo qui aggreditur aliquid vltra vires. Si ergo inconueniens est totam gentem & totum regnum periculis exponere, diuturno consilio & magna diligentia excogitare debent Reges & Principes quid aggrediantur, ne assumant arduum aliquod vltra vires,& ne sperent aliquid non sperandum.

Quomodo decet Reges & Principes se habere circa audaciam, & timorem. Cap. VI.

Eth. 4. cap. 7. *Phys. 1. Tex. 3.*

SEcundum Philosophum in 4. Ethicorum circa mores, singulares considerationes magis proficiunt. verum quia sunt nobis nota confusa magis, vt dicitur 1. Physicorum, ideo in hoc primo de moribus Regū oportet pertransire vniuersaliter typo: quia in secundo, & maxime in tertio plus descendemus ad particulares circumstantias. Expedit tamen hæc vniuersalia pertransire, quia horum cognitio faciet ad cognitionem sequentium. In tertio ergo libro magis particulariter tractabimus facta regni: non tamen etiā in illo libro expediet penitus vsque ad particularia descendere: quia experti in curijs, &

ma-

maxime Reges & Principes propter eorum negociorum frequentiam, satis particularia gesta nouerunt. Quare si aliqua vniuersalia in morali negocio eis tradantur, suffragante experientia quam habent de moralibus gestis, sufficienter instrui poterunt in cognitione moralium. His ergo praelibatis dicamus quod sicut vniuersaliter & typo instruximus Reges, & Principes, quomodo se habere debeant circa spem & desperationem quae respiciunt futurum bonum. sic secundum eandem methodum eos instruere possumus, quomodo se habere debeant contra timorem, & audaciam, quae respiciunt futurum malum. Videtur autem forte aliquibus Reges, & Principes in nullo debere esse timidos, quia talia regiae maiestati derogare dicuntur. multos autem sic incitantes Reges habere consueuerunt, persuadentes eis vt omnia audeant, nihil caueant: sed tales sunt adulatores, non veridici: docent enim Reges non esse fortes. nam qui omnia audent, & nihil timent, vt dicitur 1. Magnorum moralium, non est fortis, sed fatuus. Oportet ergo videre quo modo eos esse deceat timidos, & audaces. Timor autem si moderatus sit, expediens est Regibus & Principibus. Moderato enim timore omnes principantes timere debent, ne aliquid insurgat in regno, quod eius bonum statum deprauare possit. Possumus autem (quantum ad praesens) duplici via inuestigare, quod moderatus timor necessarius sit Regibus. Prima via sumitur ex parte consilij habendi. Secunda ex parte operis fiendi. Prima via sic patet. nam, vt dicitur 2. Rhetoric. cap. de timore, Timor consiliatiuos facit. ex eo, quod aliquis ei timet, consiliatur, quomodo possit effugere malum, quod dubitat. Cum ergo vnum totum regnum absque magno consilio debite gubernari non possit, expedit Principibus, & Regibus vt consiliatiui reddantur, habere aliquem moderatum timorem. Secundo hoc idem inuestigare possumus ex parte operis fiendi. Nam non sufficit solicitari circa consilia & iudicare

Mag. 1. cap. 21.

Rhet. 2. cap. 6.

care de consiliatis, nisi consiliata, & iudicata per opera debite & diligenter exequamus. Moderatus autem timor non solum consiliatiuos facit, sed etiam agit vt opera diligentius operemur. Nam si moderatus adsit timor, diligentius agimus opera, per quæ fugere credimus timorem illum. Ostensum est ergo, quod decet Reges, & Principes moderatum habere timorem. attamen immoderatè timere nullo modo decet eos. Immoderatus enim timor quatuor habere videtur, quæ omnino derogant regno. Nam timor immoderatus primo reddit hominem immobilem, & contractum. Secundo facit ipsum inconsiliatiuum. Tertio facit eum tremulentum. Quarto facit eum inoperatiuum. Cum enim quis timet, calor ad interiora progreditur. modum enim, quem videmus in hominibus, aspicere possumus in calore corporis naturalis. cum enim homines existentes in campis timent, statim confugiunt ad castrum, vel ad arcem: sic cum quis timet, calor existens in exterioribus membris, statim confugit ad interiora. propter quod homo confugit, in seipso contrahitur, & redditur immobilis. Quare si indecens est caput regni siue Regē esse immobilem & contractum, indecens est ipsum timere timore immoderato. Secundo hoc est indecens, quia immoderatus timor facit hominē inconciliatiuum. cum enim quis immoderate timet, totus obstupescit, & est in agona ductus, & ignorat quid faciat. propter quod non recordatur consiliari: & si consilium ei detur, propter obstupefactionem non apprehendit illud. quare si indecens est, vt facta regni sine consilio gerantur, & vt Rex sit inconsiliatiuus; indecens est ipsum timere immoderato timore. Tertio immoderatus timor reddit hominem tremulentum. Nam propter timorem calore progrediente ad interiora, exteriora membra frigida manent. nerui ergo fiunt frigefacti, & non valentes sustinere membra. quare accidit ei tremor. Ergo si inconueniens est Regem esse tremulentum, qui debet esse viri-
lis

lis, & constans, inconueniens est ipsum timere immoderato timore. Quarto immoderatus timor reddit hominem inoperatiuum. Nam homo propter timorem immoderatum tremens & obstupefactus immobilitatur, & nescit quid faciat. cum ergo totum regnum sit in Rege tanquam in mouente, & quod portet imperium eius, si Rex sit inoperatiuus, & imperare non valeat propter immoderatum timorem, toti regno præiudicium gignitur. quare si hoc est indecens, non decet Regem immoderato timore timere. Viso quomodo Reges se habere debeant ad timorem, quia difficilius est reprimere timorem, quã moderare audaciam, vt dictum fuit supra Capitulo de fortitudine: de facili videri potest, quomodo se habere debeant ad audacias. decet enim eos non habere audaciã immoderatam, sed moderatam. Nam si audacia sit immoderata, homo plus præsumit quam debeat. quod Regibus non expedit, quia tunc periculo exponerent totum regnum. Si vero quis nullam audaciam habeat, omnino est indecens: quia tunc nihil aggreditur. Moderate ergo se habere ad timorem, & ad audaciam Regibus & Principibus omnino congruit.

Quomodo differt ira ab odio, & quomodo Reges & Principes se habere debeant ad iram, & eius oppositum. Cap. VII.

QVia ira maximam affinitatem videtur habere cum odio Prius quam ostendamus, quomodo Reges, & Principes se habere debeant circa iram, & mansuetudinem. Videndum est quomodo ira differat ab odio: & quod est detestabilius an odium, an ira inordinata. Est autem vna principalis differẽtia inter iram, & odium: quia odiũ est appetitus mali simpliciter, & absolute. nam odium opponitur amori: amare autẽ (vt dicitur 2. Rhetor.) est idem

Rhet. 2. cap. 4.

idem quod velle alicui bonum secundum se. sic odire aliquem est velle malum ei simpliciter, & absolute. Ira autem non sic: nam ira non est appetitus mali secundum se, sed in ordine ad vindictam. Potest enim diffiniri ira, quod est appetitus pœnæ in vindictam. Ex hac autem differentia principali inter iram & odium, sumuntur octo differentiæ, quas assignat Philos. 2. Rhetor. Prima differentia est, quia est ira ex ijs quæ sunt ad seipsum, vel ex pertinentibus ad ipsum. Odium autem esse potest de pertinentibus ad ipsum, & ad alium. Nam nullus irascitur alicui, nisi credat ipsum fore fecisse vel in se vel in filios, vel in amicos, vel in alios ad se pertinentes. Dictum est enim iram esse appetitum pœnæ, non simpliciter, sed in ordine ad vindictam. Nullus autem vlcisci desiderat, nisi de forefacientibus, vel in ipsum, vel in pertinentibus ad ipsum. Sed odire, quod est velle malum secundum se, esse potest vel de pertinentibus ad se: vel alium. statim enim, cum scimus aliquem esse malum, vt cum scimus aliquem esse furem, possumus ipsum odire, siue fore fecerit in nos, siue in alios. Secunda differentia est, quia ira semper est in singulari: odire potest esse in communi, Odire autem potest aliquis communiter omnem furem, & detractorem: sed irasci non potest nisi alicui speciali. Nam cum homo in communi non iniurietur nobis, sed semper committatur iniuria per aliquem hominem specialem: licet odire possumus fures vniuersaliter, non tamen irascimur, nisi alicui singulari. Tertia differentia est, quia odium est quid insatiabile: sed ira satiatur nam si odium est appetitus mali simpliciter, ille quem odimus, non posset tantum habere de malo, quin vellemus quod haberet plus. Sed ira quę est appetitus pœnæ, non simpliciter, sed vt ordinatur ad vindictã, est quid satiabile: quia cum aliquis tantũ passus est, quod videatur irato vltionẽ decentem factam esse, satiatur ira, & quiescit iratus. Quarta differentia est, quia iratus appetit contristare: sed odiens appeti nocere. Vult enim

Rhet. 2. cap. 2.

iratus

iratus inferre dolorē, & tristitiam: sed odiens vult inferre damnum, & nocumentum. Quinta differentia est, quia sentiri quidem vult iratus, odienti aūt nihil differt. Non enim sufficit irato, quod alter patiatur, nisi sentiatur, & vt manifeste appareat quod ipse ei inferat illud malum: quia aliter, non esset vindicta. Sed odienti quidem nihil differt: nam cū odium sit mali secundum se & absolute, sufficit odienti, quod alter patiatur malum, qualitercunque ei accidat malū illud. Sexta differentia est, quia ira semper est cum tristitia: tanta enim est anxietas irati vt vindictæ fiat, quod donec sit facta vltio, quasi continue est in tristia. Sed odium sine tristitia esse potest. nam odiū esse valet ad aliquid in communi, odire enim possumus vniuersaliter omnes fures: non tamen oportet, quod tristitia cōmittetur huiusmodi odium. Septima differētia est: quia iræ videtur esse annexa misericordia, non autem odio. Nā cum ira satietur, si multa mala inferantur alteri, iratus miseretur ei: sed odium pro nullo miserebitur, cū sit quid insatiabile. Octaua differentia est: quia ira vult contra pati: sufficit enim irato, quod alter contra patiatur, donec fiat condigna vltio. sed odium exterminat, & vult non esse: non enim sufficit odienti, quod alter contra patiatur, sed vult eum interimi & non esse. Cum ergo conditiones odij sint multo peiores, quam conditiones iræ, magis cauendum est odium quam ira. immo iram transire in odium secundū Augustinum, hoc est, trabem facere de festuca. Est ergo huiusmodi odium cauendum à quolibet. Magis tamen cauendum est Regibus, & Principibus: quia inferre possunt pluribus nocumentum. Sic igitur sentiendum est de odio & ira: quia odium detestabilius est, quam ira. nihilominus tamen ira si inordinata sit, detestabilis est. Vt ergo appareat, quomodo Reges, & Principes se habere debeant circa iram, & mansuetudinem: sciendum quod ira aliquando rationem præcedit, & tunc est inordinata & cauenda. ali-

S. Aug. In ep.

quando

quando sequitur ordinem rationis, & tunc potest esse inordinata, & imitanda. Si enim ira rationem præcedat, dupliciter est cauenda. Primò, quia non perfecte rationem audit. Secundo, quia eam obnubilat. Ira enim rationem præcedens secundum Philosoph. 7. Ethicor. assimilatur canibus, vel assimilatur seruis velocibus. Serui enim veloces statim cum audiũt verbum Domini, antequam plene percipiant præceptum eius, currunt, vt exequantur mandatum ipsius. quare contingit eos deficere, quia non perfecte perceperunt quomodo exequendum sit mandatum illud. sic etiam & canes statim cum audiunt sonitũ venientis, latrant, non distinguentes, an veniens sit amicus, vel inimicus. Sic & ira facit: statim enim cum ratio dicit vindictã esse fiendam, statim vult currere, vt vindictã exequatur, non expectans super hoc iudicium rationis, qualiter vindicta illa fieri debeat. Est igitur cauenda ira inordinata, quia non perfecte ratione audit. Secundo cauenda est: quia rationem obnubilat. Nam corpore non existente indebito temperamento, impedimur ab vsu rationis. quare cum per iram accendatur sanguis circa cor, corpus redditur intemperatum, vt non possimus debite ratione vti. Ratio enim, vel intellectus licet non sit virtus corporalis, vtitur tamẽ in suo actu corporalibus organis. propter quod corpore existente indispositо, non potest libere vti actu suo. quare si in quolibet homine cauendum est habere rationem obnubilatam, & non plene rationi obedire: cauenda à quolibet est ira inordinata. magis tamen cauenda est a Regibus, & Principibus, quia eos maxime decet sequi imperium rationis. Cauenda est ergo ira inordinata, & rationem præcedens. Sed si sequatur imperium rationis, potest esse ordinata, & imitanda. Nam cũ ira est rationis organum, & agit secundum imperium rationis, virilius exequimur opera virtuosa. Vnde 3. Ethic. approbatur dictum hominis dicentis virtutem immittere furori. tunc enim virtus furori, vel iræ immittitur modo

Eth. 7. cap. 6.

Eth. 3. ca. 1.

do debito, & vt decet, quando ira est organum virtutis, & rationis. Patet ergo quomodo nos habere debemus circa iram, & mansuetudinem: quia per mansuetudinem reprimenda est ira, ne praecedat iudiciũ rationis. & per irã reprimenda est mansuetudo, ne impediat virtutem opera, & rationis actum. ante ergo quam per rationem iudicemus plene quid agendũ, debemus esse mansueti. Sed postquam plene visum est, quid facturi sumus, possumus assumere iram tanquam seruam, & ancillam rationis, vt per eam exequamur virilius, quae ratio iudicabit. Sic ergo se habere circa iram & mansuetudinem, tantò magis decet Reges & Principes quanto magis decet eos non impediri in vsu rationis, & viriliter exequi, quae ratio iudicabit.

Quomodo Reges, & Principes se habere debeant circa delectationes, & tristitias. *Cap. VIII.*

Dicebatur enim supra, delectationes, & tristitias tenere vltimum gradum in ordine passionum: quia ad eas, tanquã ad passiones vltimas, omnes aliae terminantur: nulla enim passio est, quae non terminetur, vel ad tristitiã, vel ad delectationẽ. Dicto ergo de omnibus alijs passionibus restat dicere quomodo Reges, & Principes se habere debeant circa delectationes, & tristitias. De delectationibus aũt fuit duplex opinio antiquorum, vt patet per Philos. 10. Ethicor. Eudoxus autem posuit omnẽ delectationem esse bonam: quia quod ab omnibus appetitur maxime videtur esse bonum & eligibile: omnia autem appetunt delectari: quod non esset, nisi delectatio simpliciter esset de genere bonorum. Adducebat autem Eudoxus ad hoc rationem aliam ex ipsa tristitia, quae est delectationi contraria. Nam si tristitia quaelibet est fugienda, & habet *Eth. 10. cap. 2.*

ratio-

rationem mali: quælibet delectatio est prosequenda, & habet rationem boni. Alij autem econtrario, dicebant omnem delectationem esse fugiendam. Sed hi omnem delectationem condemnantes, statim suam positionem ostendebant reprehensibilem: quia (secundum Philosoph.) absque delectatione aliqua nullus viuere potest. Si ergo negans loquelam, concedit loquelam (vt patet per Philos. 4. Metaphy.) sic ponens omnem delectationem esse fugiendam, ponit aliquam delectationem esse prosequendam. Nam cũ loquela non possit negari, nisi per loquelam, negans loquelam, loquitur: loquendo autem, concedit loquelam: quare negando loquelam, concedit loquelam. Sic quia nullus omnem delectationem fugit, nisi delectabile sit ei omnem delectationem fugere; sequitur quod fugiens omnem delectationem, sequatur aliquam delectationem. Inter has autem duas vias omnino contrarias, est via Philosophi media, quod non omnis delectatio est simpliciter bona, nec omnis simpliciter mala. Sed aliqua delectatio est bona existenter, aliqua apparenter, aliqua simpliciter, aliqua secundũ quid: aliqua est bona vni, aliqua est bona alteri. Sicut .n. videmus in gustu, sic & in appetitu iudicare possumus. Aliqui enim habent gustũ infectũ, vt infirmi. aliqui habent ipsum bene dispositũ, vt sani. Sic aliqui habent appetitum infectum, vt vitiosi. aliqui habent ipsum bene dispositum, vt homines boni, & virtuosi. Sicut ergo non sunt dicenda vere dulcia, quæ videntur dulcia infirmis, & habentibus gustum infectum: sed quæ videntur dulcia sanis, & habentibus linguam bene dispositam. Sic non sunt dicenda vere delectabilia, quæ sunt delectabilia vitiosis, & habentibus appetitum infectum: sed quæ sunt delectabilia bonis, & habentibus voluntatem rectam. Erunt ergo aliqua delectabilia vere & simpliciter, aliqua apparenter & secundum quid. Sic erunt delectationes bonæ existenter & simpliciter, aliquæ vero apparenter & secundum quid. Rursus quia de-

Met. 4. Tx. 10.

lecta-

lectatio contingit ex coniunctione conuenientis cum conuenienti: cum ergo alia conueniant bestijs, alia hominibus: aliquæ delectationes sunt conuenientes bestijs, aliquæ vero hominibus. Delectationes autem intelligibiles & virtuosæ sunt conuenientes hominibus: sed delectationes venereæ & sensibiles sunt conuenientes bestijs. Si autem homines talibus delectationibus vti debent: hoc non est secundum se & simpliciter, sed prout habent ordinem, & prout deseruiunt actionibus virtuosis. Patet ergo quomodo nos habere debemus ad ipsas delectationes. Nam cum detestabile sit cuilibet quod sit vitiosus, & quod mores habeat bestiales, spectat ad quemlibet sequi non quæ sunt delectabilia bestijs, & hominibus vitiosis: sed quæ sunt delectabilia rationabilibus, & hominibus virtuosis. Omnis igitur delectatio bona est, vt arguebant rationes præmissæ: sed non omnis delectatio est bona cuilibet, sed aliqua est bona bestijs, aliqua vero hominibus. Quanto ergo detestabilius est Reges, & Principes eligere vitam pecudū, tanto detestabilius est eos sequi bestiales delectationes. Patet igitur quomodo Reges, & Principes se ad delectationes habere debent, quia principaliter, & per se delectari debent in operibus virtuosis. Nam delectatio semper perficit, & expeditiorem reddit operationem conuenientem. Si igitur Reges, & Principes delectabuntur in actibus prudētiæ, & in operibus virtuosis, expeditiori modo & magis perfecte efficere poterūt huiusmodi opera. Nā quanto quis vehemētiori modo delectatur in actibus virtuosis, tātò excellētius efficit illos actus. In delectationibus aūt sēsibilibus delectari non debēt principaliter & per se, sed vti debēt eis moderate, & prout habēt ordinem ad opera virtuosa. Nam si tales delectationes vehementes sint, ratione obnubilant, & operationes impediunt virtuosas. Viso, quomodo Reges, & Principes se habere debeant ad delectationes: videre restat, quomodo se habere debēt ad tristitias. Tristitia autem nunquā est assumenda, nec est

M lauda-

laudabilis, nisi supposito aliquo turpi. Si quis .n. videt se in aliquo turpia egisse, debet dolere & tristari. De turpibus igitur est tristandum, sed omnis alia tristitia est moderanda, & vitanda; vt ergo huiusmodi tristitia moderetur, danda sunt remedia, per quæ huiusmodi tristitia vitari possit. Videtur autem Philosophus tria remedia tangere, per quæ tristitia vitatur; videlicet, virtutes, amicos, & consideratione veritatis. Per virtutes enim vitatur tristitia: quia (vt vult Phil. 9. Ethicor.) Mali & vitiosi seipsis non gaudent: non enim inueniunt vnde delectari possint in seipsis. Nam mali sibi ipsis inimicantur, & in seipsis dissentiunt, vt ibidem innuitur. Nam vnum ratione iudicant, & aliud passione agunt. Quare cum in seipsis pacem non habeant, de seipsis non gaudent. Magnũ ergo remedium, & vt in nobis ipsis delectationem inueniamus, est fugere vitia, & habere virtutes. Secundũ remediũ est consolatio amicorum, vt in eodem 9. Ethic. traditur. videtur enim tristitia esse quoddam pondus aggrauans animam. Sicut ergo in pondere corporali cum multi iuuant nos ad portandum illud, minus grauamur: sic cum videmus multitudinem amicorum condolore nobis, alleuiamur à dolore illo, & minus tristamur. Hæc enim ratio licet tangatur 9. Ethicor. dicitur tamen fuisse Platonis, nec videtur vsque quaque vera. Nam cum de dolore amicorum sit dolendum, cum nos dolemus, & videmus amicos dolere, vt videtur, non debet dolor minui, sed augeri. Possumus ergo dicere quod cum videmus eos dolere de dolore nostro, non quia ipsi dolent de dolore nostro minuitur dolor noster, sed quia videmus eos dolere, adgeneratur nobis quædam firma fantasia quod sint amici: & quia delectabile est habere amicos, delectamur: & delectando, minuitur dolor noster: quia omnis delectatio, vel totaliter tristitiam aufert, vel saltem eam minuit. Tertium remedium, est consideratio veritatis. Nam licet de turpibus sit dolendum, de bonis tamen fortunæ, vel de alijs quæ in

Eth. 9. cap. 4.

Eth. 9.

Eth. 9. cap. 11.

M no-

nobis contingere possunt, absque eo quod operemur turpia, dolere non debemus. Ad hoc autem, maximum remedium est consideratio veritatis. Nam per huiusmodi considerationem cognoscimus talia esse modica bona, & ideo eis amissis non dolebimus, nisi forte per accidens, inquantum per amissionem eorum impedimur ab operibus virtuosis. Patet ergo non esse dolendum, nisi de turpibus, & non de operibus virtuosis. Si autem propter alia dolor, vel tristitia contingat, fuganda est, vel per virtutes, vel per amicos, vel per cognitionem veritatis. Consueuit etiam ad hoc dari quartum subsidium, videlicet, remedia corporalia, vt somnus, balneum, & talia quæ tristitiam fugare solent. Cum ergo tales tristitiæ impediant operationes virtuosas, tanto magis decet Reges, & Principes tales tristitias moderare, quanto decentius est eos excellere in operibus virtuosis.

Quòd harum passionum quædam magis principales, & quædam minus. Cap. IX.

SIcut enumerabantur superius duodecim virtutes, quarum quatuor erant principales, & octo quasi annexæ: sic inter has duodecim passiones enumeratas, sequendo prædecessorum doctrinam, dicere possumus, quod sunt quatuor principales, vt spes, timor, gaudium, & tristitia. Has autem esse magis principales, triplici via venari possumus. Primò, vt comparantur ad passiones alias. Secundò, vt comparantur ad sua obiecta, vel ad materiam circa quam versantur. Tertiò, vt comparantur ad potentias animæ, vt ad irascibilem & concupiscibilem, in quibus existunt. Prima via sic patet. Nam omnes aliæ passiones videntur ordinari ad istas; vt passiones sumptæ respectu boni, ordinari videntur ad spem, & gaudium, sumptæ au-

tem respectu mali, ordinari videntur ad timorem, & tristitiam. Nam passio sumpta respectu boni, primo incipit ab amore, postea vadit in desiderium, & terminatur in spem, dũ bonũ illud est futurũ: vltimo aũt terminatur in gaudium, & delectarionem, quando bonum illud est præsens, & adeptum. Respectu vero mali incipit ab odio, & procedit in fugam, vel abominationem, & terminatur in timorem, si malum illud sit futurum: vltimo autem terminatur in tristitiam, si malum illud sit præsens, & iam adeptum. Timor autem, & tristitia sunt passiones principales: quia ad eas ordinantur passiones sumptæ respectu mali: sicut ad spem & gaudium ordinãtur passiones sumptæ respectu boni. Secunda via ad inuestigandum has passiones esse principales, sumi potest ex parte materiæ, circa quam tales passiones versantur. Nam omnis passio, vel sumitur respectu boni, vel respectu mali. Rursus bonum, vel malum considerari potest, vel vt est futurum, vel vt est iam præsens. Secundum hoc ergo sumi habent hæ quatuor passiones: quia de bono futuro est spes, de præsenti est gaudium: de malo futuro est timor, de præsenti vero est tristitia. Tertio modo hæ passiones sumi possunt respectu potentiarum animæ. vt respectu irascibilis, & concupiscibilis, in quibus existunt. Dictum est autẽ concupiscibilem tendere in bonum & malum secundum se: irascibilem vero, vt habet rationem ardui. Cum ergo aliquid maxime sit bonum, cũ iam est adeptum, circa quod est delectatio & gaudium; & maxime sit malum, cum iam est adeptum, circa quod est dolor & tristitia: oportet delectationem & tristitiam esse principales passiones respectu concupiscibilis. Spes autem & timor sunt principales passiones respectu irascibilis. Nam cum irascibilis tendit in bonum & malum in eo quod est arduum: quia tunc reputatur maxime bonum arduum, cum est futurum & speratur: & malum arduum, cum est futurum & timetur: spes & timor sunt principales passiones respectu

ira-

irascibilis. Sed cum ex passionibus diuersificari habeant opera nostra, decet nos diligenter intendere, in quibus delectemur, & tristemur, & quæ speremus, & quæ timeamus. Sed hoc tanto magis decet Reges & Principes, quanto eorum opera sunt digniora, eo quod respiciant bonum gentis. Quomodo autem Reges & Principes debite se habeant circa delectationem & tristitiam, & circa spem & timorem, patefactum est per Capitula supra dicta.

Quomodo passiones aliæ ad passiones prehabitas reducuntur. Cap. X.

ENumerabantur supra duodecim passiones, videlicet, amor, odium, desiderium, abominatio, delectatio, tristitia, spes, desperatio, timor, audacia, ira, & mansuetudo. Sed præter omnes has passiones Philosop. 2. Rhetor. sex alias passiones enumerare videtur, videlicet, zelum, gratiam, nemesin (quod idem est quod indignatio de prosperitatibus malorum) misericordiam, inuidiam, & erubescentiam siue verecundia. Sed omnes hæ passiones reducuntur ad aliquas passiones prædictarum: quia zelus, & gratia reducuntur ad amorem: verecundia ad timorem: inuidia, & misericordia, & nemesis siue indignatio de prosperitatibus malorum reducuntur ad tristitiam. Zelus reducitur ad amorem: quia zelus nihil est aliud, quam quidam amor intensus. Ea autem, quæ intense diligimus, vel sunt corporalia, vel spiritualia. Si sunt corporalia, quia talia cum habentur ab vno, non habentur ab alio, ideo zelus respectu horum diffiniri consueuit, quod est amor intensus non patiens consortium in amato. Inde ergo inoleuit, quod aliqui dicuntur Zelotypi de persona aliqua, si noluerint in ea habere aliquod consortium, intensus ergo amor corporaliũ videtur esse amor priuatus, & reprehensibilis, & non patiens consortiũ in amato.

Rhet. 2. cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Sed respectu bonorum intellectualium, & respectu virtutum, si sit intensus amor, est laudabilis, & quasi communis. Nam nunquam quis virtuosus esset, nec proprie virtutes diligeret, si nollet in eis habere consortium. Huiusmodi ergo zelus respectu bonorum honorabilium diffinitur à Philosopho 2. Rheto. quod est tristitia de huiusmodi bonis, non quia insint alteri, sed quia non insunt sibi. zelus ergo reducitur ad amorem. Sic etiam gratia reducitur ad amorem: quia ex amore efficitur aliquis alteri gratiosus. Gratia enim (vt de ea tractat Philosophus, & vt est passio) non est aliud, quàm quidam motus animi, per quem inclinatur aliquis ad beneficia conferendum. zelus ergo & gratia reducuntur ad amorem. Sed verecundia reducitur ad timorem. Dupliciter autem quis timere potest, videlicet, corruptiones, & inhonorationes: qui enim expauescit mala corruptiua, dicitur timidus. sed ille qui expauescit turpia & inhonoratiua, dicitur verecundus. Nihil est aliud verecundia, quàm timor inhonorationis, vel inglorificationis. vnde verecundia erubescentia nominari consueuit, quia verecundantes communiter erubescunt, sicut timentes pallescunt. Nam ex eo, quod aliquis credit se amittere vitam, quod est bonum interius, timet: sed ex eo, quod credit se amittere gloriam & honorem, quæ sunt bona exteriora, verecundatur. In timendo ergo sanguis recurrit ad interiora, & membra remanent pallida: quia timor consurgit ex eo, quod quis se credit amittere interiora bona. Sed cum quis verecundatur, sanguis fluit ad exteriora; & facies apparet rubea; currit ergo sanguis tunc ad exteriora, quia verecundia consurgit ex eo quod quis se credit amittere exteriora bona. Duplex ergo est timor, vnus amittendi vitam, & bona interiora, per quæ quis pallescit, & alius amittendi gloriam, & honorem, quæ sunt bona exteriora per quæ quis erubescit. Timor ergo corruptiui, & amittendi bona interiora quia non habet speciale nomen, retinet sibi nomen commune, & dicitur

Rhet. 2. cap. 11.

citur

citur timor, sed timor amittendi gloriam, & honorem, habet speciale nomen, & dicitur verecundia, vel erubescentia. verecundia ergo est quidam timor, & reducitur ad timorem. Viso, quomodo zelus & gratia reducuntur ad amorem: & quomodo verecundia reducitur ad timoré. Restat videre, quomodo inuidia, misericordia, nemesis siue indignatio reducuntur ad tristitiam. Sciendum ergo hæc tria esse species tristitiæ. Nam aliquis tristari potest, vel de malo alterius, vel de bono. si tristatur de malo, & maxime si credit ipsum indigne pati illud malum, sic est misericordia: nam (vt dicitur 2. Rhetor.) misericordia nihil aliud est, quam tristitia quædam super apparenti malo corruptiuo, vel contristatio eius, qui indigne patitur malum illud. Si vero sit tristitia non de malo alterius sed de bono, hoc potest esse tripliciter, vel de bono secundum se, & sic est inuidia: nam Inuidia (vt dicitur 2. Rhetor.) nihil est aliud quam tristitia quædam super appetenti affectione aliquorum bonorum circa similes, non vt aliquid sibi, sed propter illos. Inuidia enim est dolor de appetenti bono alicuius: nam quia ipse non habet illud bonum, sed quia alter, cui inuidet, pollet bono illo. Et potissime est inuidia circa similes: vt figuli inuidant figulis, & fabri fabris, & sic de alijs. Si vero sit tristitia de bono alterius, non quocunque modo, sed vt indigne habetur ab eo: sic est nemesis, vel indignatio. Nam (secundum Philosophum 2. Rhetoricorum) nemesis vel indignatio, est tristari de eo qui indigne videtur bene prosperari. Si ergo omnes hæ passiones diuersificare habent omnes operationes nostras, decet nos omnes eas cognoscere; & tanto magis hoc decet Reges & Principes, quantò habere debent operationes maxime excellentes.

Rhet. 2. cap. 8.

Rhet. 2. cap. 10.

Quæ prædictarum passionum sunt laudabiles, & quæ vituperabiles, & quomodo Reges, & Principes ad illas debeant se haberi. Cap. XI.

PRædictarum passionum quædam videntur esse laudabiles: vt misericordia, & verecundia. nam verecundia, secundum Philosophum, licet non sit virtus est tamen laudabilis passio. Sic etiam gratia, & nemesis laudabiles passiones esse videntur. Quædam autem sunt vituperabiles vt inuidia, & odium, vituperabile est odium, nisi sit vitiorum. Aliæ autem passiones videntur se habere ad vtrunque, quia possunt esse laudabiles, & vituperabiles. Est enim diligenter aduertendum, quod semper in moribus laudantur media, & vituperantur extrema. Passiones ergo illæ, quæ videntur de se esse laudabiles, important rationem medij. nam verecundus, medius est inter stupidum, & inuerecundum. Nam qui de omnibus verecundatur, dicitur stupidus. qui autem de nullo verecundatur, dicitur inuerecundus. nullus autem horum est laudabilis. Qui vero medio modo se habet, vt qui verecundatur vt debet, & qui non verecundatur vt non debet, dicitur verecundus. & est laudabilis. Sic etiam misericordia media est inter crudelitatem, & molliciem. Nam qui nulli compatitur, est crudelis, qui omnibus compatitur, est mollis, & muliebris: qui vero compatitur indigne patientibus, tenet medium, & laudatur, & dicitur misericors. Sic & nemesis media est inter inuidiam, & placiditatem. Nam inuidus de omnibus prosperitatibus dolet, placidus autem vt opponitur inuido de omnibus prosperitatibus gaudet. nemesitus tenet medium, quia gaudet de prosperitatibus bonorum, & dolet de prosperitatibus malorum. Sic

etiam gratia vt est quid laudabile, media est inter superfluum, & diminutum. Nam qui omnibus est gratiosus tam dignis quam indignis, vituperabilis est, qui autem nullis est gratiosus, vituperari debet. Sed qui est gratiosus dignis & non dignis, hic tenet medium, & laudatur. Passiones ergo laudabiles tenent medium: vituperabiles verò tenent extremum. Nam inuidia extremum tenet, quæ de omni prosperitate dolet. Sic etiam odium vt est vituperabile, extremum tenet. Passiones vero, quæ se habent ad vtrunque, possunt esse laudabiles, & vituperabiles, vt sunt vituperabiles, tenent extremũ, vt sunt laudabiles, tenent medium. His visis, videndum est, quomodo Reges & Principes ad has passiones se habere debeant. Nam gratiam, & misericordiam, vt sunt passiones laudabiles, imitari debent. Decet enim eos esse gratiosos, & misericordes, ipsi enim maxime esse debent debiti distributores malorum & bonorum, siue benefactorum & pœnarum. Beneficia autem tunc recte distribuuntur, quando Reges & Principes, & ij quorum talia est distribuere, bonis & dignis sunt debite gratiosi. mala autem pœnæ tunc debite infliguntur, quando semper indigne patientibus ad misericordiam commouentur. Verecundia autem, & nemesis, licet videantur esse laudabiles passiones, non tamen simpliciter & per omnẽ modum attribuendæ sunt Regibus & Principibus. non decet enim Reges verecundos esse, quia non decet eos talia operari vnde verecundari possint, propter quod dicitur 4. Ethicorum, quod laudamus iuuenes verecundos; senem autem nullus vtique laudabit, si verecundabilis sit: quia non existimamus ipsum oportere operari, in quibus est verecundia. Sic etiam ibidem dicitur, quod studiosi non est verecundari, quia verecundia est in prauis: eius autem non est praua operari. Quare si decet Reges esse studiosos. & esse senes moribus: non decet ipsos verecundari, nisi ex suppositione, nam si contingeret eos operari

Eth. 4. cap. 9.

rari

rari turpia, verecundari deberent. Nemesis etiam non multum videtur esse laudabilis, nec multum laudatur qui nimis indignatur de prosperitatibus malorum. Nam mali non possunt possidere maxima bona, cuiusmodi sunt virtutes: sed forte possidere possunt bona media, vel bona minima, cuiusmodi sunt bona exteriora. talia autem, quæ minima sunt in genere bonorum, non multum curandum est si possidentur à malis: dum tamen hoc accidat sine culpa propria: nam si alicuius esset hæc bona dispensare, non deberet ea retribuere indignis, sed dignis. Reges ergo & Principes in tantum debent esse nemesiti, & indignari debent de prosperitatibus malorum, ne indignis distribuant sua bona. Sic ergo se habere debent ad prædictas passiones, quæ videntur esse laudabiles. Inuidiam autem, quæ est vituperabilis passio, penitus fugere debent: & etiam odium, nisi esset vitiorum. nam vitia sunt odienda, & sunt pro viribus extirpanda. In alijs autem passionibus, quæ possunt esse laudabiles, & vituperabiles, debite se habebunt, si fuerint ornati virtutibus, de quibus supra fecimus mentionem. Nam per virtutem mansuetudinis, debite se habebunt circa iram, & eius oppositum. Nam ille dicitur mansuetus qui irascitur, vt debet, & quando debet, & quomodo debet. Per fortitudinem verò debitè se habebunt circa audaciam, & timorem. Nam ille est fortis, qui audet audenda, & timet timenda. Per magnanimitatem, & humilitatem bene se habebunt circa spem, & desperationem. Nam magnanimitas reprimit desperationem, ne retrahantur à bonis arduis propter difficultatem. Humilitas vero moderabit spem, ne nimis se ingerant ad illa, propter bonitatem, & delectationem, quæ est in eis. Per alias vero virtutes existentes in concupiscibili, bene se habebunt circa concupiscibiles passiones, vt ament, & desiderent amanda, & desideranda. & abominentur abominanda: delectentur, & tristentur, vt est delectandum, & tristandum:

dum: & ad hæc omnia se habeant, vt requirit ordo, & regula rationis. Hæc ergo ad præsens de passionibus sufficiant: quia si quid est hic dimissum, infra diffusius tractabitur. Agetur enim in tertio de timore, amore, misericordia, & de alijs, vt rei cognoscentia postulabit. Ibi enim ostendemus, quomodo Reges & Principes se habere debeant, vt à populis timeantur, & amentur: & quomodo debent esse misericordes: & quomodo zelatiui. Nam multa, quæ hic vniuersaliter sunt tradita, ibi particulariter ostendentur.

QVAR.

QVARTA PARS PRIMI Libri de Regimine Principum. In qua tractatur, qui sunt mores Iuuenum, Senum, & eorum qui sunt in statu.

Quot sunt mores iuuenum laudabiles, & quomodo Reges & Principes ad mores illos debeant se habere.

Cap. I.

EXPEDITIS tribus partibus huius primi libri: quia ostensum est in quo Reges & Principes suum finem ponere debeant: & quibus virtutibus debeant esse ornati: & quas passiones debent sequi. Restat exequi de parte quarta. videlicet quos mores debeant imitari. Mores autem dupliciter diuersificari possunt. ab ætate, & fortuna. Ab ætate quidem: quia alios mores habent iuuenes, alios senes, alios illi qui sunt in statu fortunæ. Etiam mores fortunæ diuersificari dicuntur. Nam bona fortunæ cuiusmodi sunt bona exteriora, vt nobilitas, potentia, & diuitiæ, non modicum mores diuersificant. Nam vt plurimum alios mores habẽt nobiles, quam ignobiles: & alios potentes, quam impotentes: & alios diuites, quam pauperes. De omnibus autem his moribus dicemus. Sed primo de moribus iuuenum: quorum mores quidam sunt laudabiles, quidam vituperabiles. Inter alia quidem

quæ tangit Philosophus de iuuenibus 2. Rhetoricorum, tangit sex mores laudabiles, & sex vituperabiles. Primo enim sunt iuuenes moris laudabilis, quia sunt liberales. Secundo, quia animosi, & bonæ spei. Tertio, quia sunt magnanimi. Quarto, quia non sunt maligni moris. Quinto, quia sunt de facili miseratiui. Sexto, & vltimo, quia sunt verecundi & erubescitiui. Sunt enim iuuenes liberales, quia non sunt experti indigentiæ; & bona quæ habent, nõ acquisiuerunt proprio labore. Nam quilibet cum maiori diligentia retinet facultates suas, quando propter indigẽtiam passus est aliqua mala, vel quando facultates illas acquisiuit propria industria, & proprio labore. Nã quod cum labore acquiritur, diligentius custoditur, immo adeõ quilibet delectatur in proprio opere, quod quicquid sua industria acquirit, charius possidet. Secundo iuuenes sunt bonæ spei; quod triplici ratione contingit, vt probat Philosophus 2. Rhetoricorum. Sunt enim iuuenes animosi, & bonæ spei primo; quia paucorum experti, non in multis sunt passi repulsam, ideo credunt omnia obtinere. Sũt etiam bonæ spei, quia in eis multum abundat calor: corde ergo & alijs membris inflammatis ex calore existẽte in ipsis iuuenibus, sunt iuuenes bonæ spei, & animosi vt omnia audeant. Rursus iuuenes parum vixerunt in præterito. & secundum cursum naturalem debent multum viuere in futuro. Cum ergo memoria sit respectu præteritorum, & spes respectu futurorum: iuuenes parum viuunt memoria, & multum viuunt spe. Non enim multum delectantur iuuenes in ijs quæ fecerunt, quia memorantur se modica fecisse: sed multum delectantur in cogitando, quæ facturi sunt. Sperant enim se magna facere, quare contingit eos animosos esse, & bonæ spei. Tertio contingit eos esse magnanimos, cuius causa ex præcedentibus assignatur. Nam ex hoc est quis magnanimus, quia dignificat se magnis, & ingerit se ad faciendum magna. Iuuenes ergo, cum sint liberales, & cum sint ani-

Rhet. 2. cap. 12.

Rhet. 2. cap. 12.

mosi

mosi & bonæ spei, non habent vnde retrahantur quin sint magnanimi. Posset etiam ad hoc specialis ratio assignari. Nam cum iuuenes sint percalidi, & calidi sit superferri: iuuenes semper volunt superferri, & excellere. Sic enim videmus in ordine vniuersi, quod semper calida elementa, vt ignis & aer, superferuntur frigidis, videlicet, terræ & aquæ. Cum ergo inter cætera, per quæ quis videtur superferri & excellere, sit honor, & gloria: iuuenes quia sunt percalidi, & cupiunt excellere, maxime desiderant gloriam, & honorem: & per consequens aliquo modo sunt magnanimi, cuius propria materia videtur esse honor. Quarto iuuenes sunt laudabiles, quia non sunt maligni moris, quia non credunt alios esse malos, sed vt plurimum credunt omnes homines esse bonos. Cuius ratio est, quia inexperti de factis aliorum, non iudicant de factis hominum secundum ea quæ viderunt; sed secundum quod vident in seipsis, sic credunt esse in alijs. Ideo dicitur secundo Rhetoricorum, quod pueri sua innocentia alios mensurant. Sicut enim ipsi sunt innocentes, sic credunt alios innocentes esse. Quinto iuuenes sunt de facili miseratiui: quia (vt supra dicebatur) ex hac misericordia maxime consurgit, si credamus alios indigne pati. Quare si iuuenes sua innocentia alios mensurant, & credunt alios indigne pati, de facili mouentur ad misericordiam. Sexto iuuenes sunt erubescitiui & verecundi. Nam quilibet timet perdere, quod nimis affectat. Erubescentia autem & verecundia (vt dicebatur) est timor inglorificationis. Cum ergo iuuenes, qui percalidi nimis affectent excellere, timent inglorificari. quare de facili erubescunt. Philosophus tamen secundo Rhetoricorum aliam causam videtur tangere, quare iuuenes sunt naturaliter verecundi. Nam (vt ipse ait) nihil nouerunt, nisi quia sunt docti à lege. Appellat enim ibi doctrinam legum, monitiones paternas, vel maternas, per quas instruuntur pueri. Cum ergo ma-

Rhet. 2. cap. 12.

tres semper moneant suos filios ad honesta; quia honestũ idem est quod honoris status, iuuenes multum affectant ea quæ importare uidentur honoris statum, & per locũ ab oppositis, multum timent quę important ignominiam & inhonorationem: & quia erubescẽtia est timor inglorificationis, iuuenes de facili erubescunt. Viso qui mores sunt laudabiles de iuuenibus, de leui patere potest, quomodo Reges & Principes se debeant habere ad illos. Nam non quicquid est laudabile in hoc, est laudabile simpliciter. uidemus enim quod esse furibundum, est laudabile in cane, non tamen est laudabile in homine. Sic, licet uerecundari sit laudabile in iuuenibus, quia ratione ætatis se continere non possunt quin committant aliqua turpia, de quibus decet eos uerecundari: Reges tamen & Principes, quos decet esse quasi semideos, non solum quod turpia committant, sed abominabile eis esse debet quod audiant turpia nominari: quia corrumpunt bonos mores colloquia praua. Non ergo sunt in statu quod debeant uerecundari. Non ergo decet eos uerecundari, nisi ex suppositione; quia si contingeret eos operari turpia, uerecundari deberent etiã plus quam alij, eo quod magis indecenter se gererent. Prima ergo quinque, quæ diximus laudabilia in iuuenibus, adaptare possumus Regibus & Principibus; quia decet eos esse liberales, bonæ spei, non maligni moris, magnanimos, & miseratiuos. Sextum autem, videlicet, esse verecundos, non decet simpliciter competere Regibus & Principibus. Decet enim Reges & Principes esse liberales: quia contra naturam agerent, si multitudinem diuitiarum qua pollent, non multiplicarent in debitos & pios vsus, vt supra in tractatu de liberalitate sufficienter tetigimus. Decet etiam eos tantò magis esse bonæ spei quam alios, quantò facta communia circa quæ insudare debent, sunt digniora quã alia. Rursus decet eos esse magnanimos: quia (vt dicebatur in quodam capitulo de magnanimitate) maxime

Menãder.

2. par. cap. 17.

2. par. cap. 23.

ma-

magnanimitas competit Regibus & Principibus, quia eos maxime magna decet operari, & in ardua tendere. Sic etiam congruum est eos non esse maligni moris, vt non de quibuslibet habeant opinionem malam. Nam si acta subditorum semper interpretarentur in malam partem, contingeret eos esse tyrannos, & esse vastatores gentium. Sic etiam decet eos esse miseratiuos. Nam (vt ait Philosophus 2. Rhetoricorum) homines vt plurimum mala faciunt, ipsa ergo humana fragilitas veniam postulat pro delictis: quare Reges & Principes, secundum quorum iudicium fit legis latio, qua infliguntur pœnæ, dicet miseratiuos esse. Esse autem verecundos non decet eos simpliciter, vt superius dicebatur.

Rhet. 2. cap. 8.

Quot mores iuuenum sunt vituperabiles, & quomodo Reges & Principes ad huiusmodi mores debeant se habere.

Cap. II.

SIcut supra enumerauimus ipsorum iuuenum sex mores laudabiles: sic enumerare possumus sex vituperabiles: quas etiam tangit Philosophus 2. Rhetoricorũ. Primo enim iuuenes sunt passionum insecutiui. Secundo sunt de facili vertibiles. Tertio sunt nimis creditiui. Quarto sunt contumeliosi. Quinto sunt mendaces, omnia quodammodo pertinaciter asserentes. Sexto in actionibus non habent modum, sed omnia faciunt valde. Sunt enim primo iuuenes insecutores passionum, & maxime insequuntur concupiscentias circa corpus. Sunt enim incontinentes & insecutores venereorum: quod duplici de causa contingit. Nam cum iuuenes sint percalidi, & corpore calefacto fiat venereorũ appetitus, naturalis dispositio corporis incitat iuuenes ad concupiscentias venereorũ. Rursus hoc idẽ conuenit, quia quasi in omnibus actionibus

Rhet. 2. cap. 12.

nibus nostris vel sequimur passionem, vel rationem. Et quantò minus viget ratio in nobis, tantò magis passio vigoratur. Iuuenes ergo, quia sunt inexperti, & non vigent intellectu & prudentia, magis regnatur passione quam ratione. quare vt plurimum sunt passionum insecutores. Secundo sunt de facili vertibiles. Nam anima sequitur complexiones corporis. Sicut ergo in corporibus iuuenum humores sunt in magno motu: sic ipsi habent voluntates & concupiscentias valde vertibiles. Ideo dicitur 2. Rhetoricorum, quod iuuenes acute concupiscunt, sed cito saturantur. vehementer volunt, sed de facili permutantur. Tertio sunt nimis credítiui. quod (vt ad præsens spectat) duplici de causa contingit. Primo, quia non sunt maligni moris. non enim putant alios esse malos, sed sua innocentia alios mensurant. Cum ergo naturale sit, quod quis de facili credat ei, quem credit esse bonum, & quem non cogitat ex malitia loqui: iuuenes credendo omnes esse innocentes, omnibus de facili credunt. Rursus hoc idem contingit ex inexperientia. Nam ex multis sermonibus indocti existentes, ad pauca respicientes, iudicant facile. Vnde & prouerbialiter dicitur, Qui modica nouit, cito iudicat. Iuuenes ergo, quia non sunt multorum experti, statim cum eis aliquod proponitur negocium, non valentes ad multa respicere, eo quod sint multorum ignari, statim de illo negocio iudicant, & credunt sic esse, vt eis proponitur. Si enim multa cognoscerent, conditiones hominum considerare scirent, & non statim assentirent corde omnibus ijs quæ eis dicuntur, sed diligenter inspicerent vtrum illa essent credenda. Quarto sunt contumeliosi. Nam (vt supra dicebatur) iuuenes maxime appetunt excellere: quia ergo videtur eis quod excellāt, contumelias inferunt. & sic de facili sunt contumeliosi. Quinto sunt mēdaces, & quodammodo omnia pertinaciter asserunt. Nam quia sunt inexperti, ignorant seipsos,

Rhet. 2.

& omnia scire putant. Ideo de omnibus respondent, & volunt videri omnia scire, & omnia affirmant vt omnia scire videantur. Et quia affirmant quæ ignorant, de facili mentiuntur. Postquam autem mentiti fuerunt, appetentes gloriam, sunt pertinaces in mendatio cogitant enim se esse ingloriosos, si appareat non sic esse vt dicunt. Sexto in suis actionibus non habent modum, sed omnia faciunt valde. Vnde dicitur 2. Rhet. quod amant valde, odiunt valde, & omnia faciunt valde. Hoc autem ideo contingit, quia sunt acutæ iræ, habent vehementes concupiscētias. Nam iræ & concupiscentiæ semper vehementes sunt, nisi per rationem moderentur. Iuuenes igitur, quia magis viuunt passione quam ratione, non habent concupiscentias moderatas, sed omnia faciunt valde. Viso qui sunt mores iuuenum vituperabiles; de facili videri potest, quomodo Reges & Principes ad huiusmodi mores debeant se habere. Nam si talia sunt vituperabilia in iuuenibus, multo magis sunt vituperabilia in adultis: & adhuc multo maxime vituperabilia sunt in Regibus & Principibus, qui debent esse caput & regula aliorum. Indecens enim est Reges & Principes esse passionum insecutores, & venereorum habere concupiscentias vehemētes: quia in eis maxime dominari habet ratio, & intellectus. Qui autem sic se habent, non viuunt ratione, sed passione. Rursus detestabile est eos esse permutabiles, & vertibiles. Nam cum inconueniens sit regulam esse obliquam, Reges & Principes, qui debent esse forma viuendi & regula aliorum, inconueniens est quod de facili peruertantur, immo decet eos esse firmos & stabiles. Tertio indecens est eos esse nimis creditiuos. Nam cū multos habeant adulatores, & plurimi sint in eorum auribus susurrantes, cum maxima diligentia cogitare debent, qui sunt qui loquuntur, vtrum sint sapientes vel ignorantes, utrum uirtuosi uel uitiosi. quia credendum est magis sapientibus & bonis, quam insipientibus & malis. Quar-

Rhet. 2.

to indecens est eos esse iniuriatores & contumeliosos: Nam pœnas inferre debent, non iniuriam, uel contumeliam, uel nequitiam: sed propter iustitiam, & propter commune bonum. Quinto maxime à Regibus & Principibus, & uniuersaliter ab omnibus dominantibus, est mendacium fugiendum, ne seipsos contemptibiles reddant: si enim mendacium reddit homines contemptibiles, quantò magis indecens est regiam maiestatem contemptibilem esse, tantò maiori cautela studere debent, ut inhæreant ueritati. Sexto indecens est eos non habere modum in actionibus suis: quia cum alia sint moderanda per mensuram, maxime decet mensuram & regulam moderatam esse Reges & Principes: ergo quia aliorum debent esse regula & mensura, potissime eos decet moderatos esse.

Qui mores senum sunt vituperabiles, & quomodo Reges & Principes ad huiusmodi mores se debeant habere. Cap. III.

ENumeratis moribus iuuenum, & ostenso quomodo ad mores illos Reges & Principes se debeant habere. Restat uidere, qui sunt mores senum, & quomodo Reges & Principes se debeant habere ad mores illos. Senum autem quidam mores sunt laudabiles, quidam uituperabiles. Philosophus autem 2. Rhetoricorum, inter alios mores quos tangit de senibus, enumerat sex uituperabiles mores. Primo enim senes sunt nimis increduli. Secũdo sunt ualde suspitiosi. Tertio sunt timidi & pusillanimes. Quarto sunt illiberales. Quinto sunt difficilis spei, uel sunt malæ spei. Sexto non uerecundantur, sed sunt inerubescitiui. Sunt enim primo senes increduli. quod ex experientia contingit. Nam quia in multis experti

Rhet. 2. cap. 13.

sunt cognoscunt homines in multis mentiri. non de facili fit eis fides, sed credunt omnes alios esse deceptores. Ideo dicitur 2. Rhetoricorum, quod senes multis annis vixerunt, & in pluribus decepti sunt. ergo propter hanc experientiam contingit ipsos incredulos esse. Secundo senes sunt suspitiosi. quæcunque enim vident, vt plurimum suspicantur malum, & referunt ea in deteriorem partem. Videntur enim senes econtrario disponi iuuenibus. Pueri enim, quia non multa mala fecerunt & innocentes sunt, sua innocentia alios mensurant, & omnia referunt in meliorem partem: credunt enim omnes bonos esse. Senes vero econtrario, quia multis annis vixerunt, & in multis peccauerunt, mensurant facta aliorum secundum ea quæ gesserunt in seipsis: propter quod vt plurimum credunt alios malos esse, & in peiorem partem referunt eorum opera. Vnde dicitur 2. Rhetoricorum; quod quia senes vixerunt multis annis, esse non potest quin in multis peccauerint. Ideo sunt male suspitiosi, & omnia in deterius æstimant. Tertio senes sunt pusillanimes, & timidi. Pusillanimes enim sunt, quia sunt humiliati à vita. propter enim multum viuere sunt humiliati, & defecerunt. Sicut ergo deficiunt in eis humores, & vitam: sic deficit in eis cor, & sunt pusillanimes. Sunt etiam timidi: quia (vt dicitur 2. Rhetoricorum.) Infrigidatio præparat viam formidini. Nam secundum Philosophum, Quicunque naturaliter sic disponitur, prout disponitur, existens in aliqua passione, naturaliter passionatur passione illa. Cum ergo timidi efficiantur frigidi, quicunque est naturaliter frigidus, sequitur quod sit naturaliter formidolosus. Sequitur ergo senes esse naturaliter timidos, quia deficit in eis naturalis calor, & habent membra naturaliter frigida. Quarto sunt illiberales: quòd tripliciter contingit. Primo ex defectu vitæ. Secundo ex experientia temporis. Tertio eo quod

[Margin notes: "Rhet. 2." beside line 3; "Rh. l. 2." beside "citur 2. Rhetoricorum"]

non

non viuunt spe, sed memoria. Anima enim vt plurimum sequitur complexiones corporis. Sicut ergo senes in proprijs corporibus deficiunt in humoribus, & in vita: sic videtur ipsis, quod omnia eis deficiant. Timentes ergo defectum pati, sunt illiberales, & non audent expendere: immo videntes sic se deficere, non confidunt de proprijs viribus, sed solum confidunt de ijs quæ habent. Ponentes ergo in eis suam spem & confidentiam, non audent expensas facere. Rursus illiberales sunt ex experientia temporis: quia enim multis annis vixerunt, credibile est eos fuisse passos indigentias multas. Timentes ergo indigentiam pati, illiberales fiunt. Contingit etiam eos illiberales esse, quia magis viuunt memoria, quam spe. Cogitant enim se multum vixisse in præterito, & parum victuros in futuro. Ideo quia memoria est præteritorum, & spes est futurorum: non viuunt spe, nec confidunt de ijs quæ debent acquirere in futuro, sed viuunt memoria, & confidunt de ijs quæ acquisiuerunt in præterito. quare non confidentes de acquirendis, fiunt illiberales, & acquisita non de facili tribuunt. Quinto sunt malæ spei: nihil enim bene sperant, sed circa omnia deficere credunt. Causa autem huiusmodi assignata est in præcedentibus. Nam si spes est futurorum, & memoria præteritorum, & senes multum vixerunt in præterito, & parum credunt se viuere in futuro: senes in sperando deficiunt, & modica se cogitant facturos. non enim viuunt, nec delectantur in sperando, sed in memorando. Huiusmodi autem signum est: quia quilibet libenter tractat ea, in quibus delectatur. Videmus autem quod cum senes adinuicem congregantur, semper recitant res gestas, quas fecerunt. non autem delectantur in recitando res fiendas, quas sunt facturi, eo quod videant se multa fecisse, & cogitent se pauca facturos. Sunt ergo difficilis spei, quia in sperando deficiunt, & pauca se facere sperãt.

Sexto senex sunt inuerecundi, & inerubescitiui. Nam senes quia illiberales sunt, magis curant de vtili quam de honesto. Magis enim student ad vtilitatem, quam ad ea quæ requirit honoris status, vt vult Philosophus 2. Rhetoricorum. Verecundia ergo, cum sit timor inhonorationis, non competit senibus; quia magis curant de vtili, quam de honore. Tota enim causa, quare quis est verecundus (vt vult Philosophus) est, quia vult haberi in honore, & vult reputari. Senes autem sicut deficiunt in vita, & in humoribus, & in calore naturali: sic deficiunt in animo, & non curant reputari: quare contingit eos esse inuerecundos. Posset autem vna causa assignari, quæ quasi communis est ad omnia tacta. Dictum est enim senes esse frigidos. Frigidus enim omnia constipat, & constringit: & constringendo ea, reddit ipsa grauiora, & facit ea appetere inferiorem locum. Videmus enim quod elementa frigida & grauia in inferiori loco collocantur: calida vero & leuia in superiori. Senes ergo, quia frigidi sunt, ex frigiditate constipantur, & retrahantur in seipsis; & redduntur immobiles, vt nihil audeant vel credant; nihil sperent, & vt non curent excellere, nec curent reputari: quia frigidi non est appetere locum superiorem, sed inferiorem. Viso qui sunt mores senum vituperabiles; de leui patere potest quomodo Reges & Principes ad huiusmodi se debeant habere. Nam constat quod licet Reges & Principes non debeant esse in omnibus de facili creditiui, vt pueri: non tamen decet eos esse incredulos, sed consideratis conditionibus personarum, debent adhibere fidem ijs quæ eis dicuntur secundum dictamen & ordinem rationis. Secundo non decet eos esse suspitiosos, vt omnia referant in deteriorem partem: quia ex hoc contingeret eos esse seueros & immiseratiuos, & incurrerent maliuolentiam subditorum. Tertio non decet eos esse timidos & pusillanimes, immo fortes & magnanimos: quia cum negocia respi-

Rhet. 2.

cientia totum regnum, circa quæ Reges & Principes insudare debent, sint magna & ardua, oportet eos esse fortes & magnanimos. Quarto detestabile est ipsos esse illiberales. Nam supra cum de virtutibus tractabatur, sufficienter ostensum fuit, quod non solum decet Reges & Principes esse liberales, faciendo mediocres sumptus: sed etiam congruit eos esse magnificos, magnifica faciẽdo. Quinto oportet eos esse bonæ spei: quia si in omnibus se crederent deficere, nihil attentarent, & periclitaretur regnum. Sexto non decet eos esse inuerecundos eo modo quo senes existunt. vt quod non curent de honoris statu, & quod magis studeant circa vtilia, quam circa opera honore digna. Non decet tamen eos verecundari: quia indecens est ipsos operari turpia, ex quibus verecundia consurgit.

Qui mores senum sunt laudabiles, & qui sunt mores eorum qui sunt in statu; & qualiter Reges & Principes ad huiusmodi mores debeant se habere.
Cap. IIII.

POsitis moribus senum vituperabilibus, restat enumerare mores ipsorum laudabiles. Videtur autem Philosophus 2. Rhetoricorum, circa senes tangere quatuor mores, qui possunt esse laudabiles. Primo enim senes habent concupiscentias remissas, & temperatas. Secundo sunt miseratiuis. Tertio dubia non pertinaciter asserunt. Quarto nihil agunt valde. Concupiscentiæ enim senum (& maxime circa venerea) sunt moderatæ & temperatæ: quia (vt superius dicebatur) corpore existente calefacto, fit incitatio venereorum, & concupiscentiæ: ergo per locum ab oppositis, corpore existente infrigidato, fit remissio venereorum, & concupiscientiarum.

Rhet. 2. cap. 13.

rum. Constat enim quod concupiscens venerea per appetitum, in alia se extendit. Hoc autem est contra rationem frigidi. Nam frigidi (secundum quod huiusmodi) non proprie se extendit in alia, sed magis constringitur in seipso. Senes ergo ratione frigiditatis constringuntur in seipsis, vt habeant concupiscentias remissas, & moderatas. Ex hoc autem apparere potest, quomodo senes sunt illiberales. Nam cum per illiberalitatem contingit peccare dupliciter. Primo, si vltra quam ratio dictet, teneat quod habet. Secundo, si præter rationem concupiscat habere quod non habet. Senes magis peccant per illiberalitatem in retinendo quæ habent, quã in concupiscendo indebite quæ non habent: quia per frigiditatem magis constringuntur in seipsis, quam se extendant ad alia. Cum enim nulla sit actio animæ, in qua non vtatur aliquo modo organo corporeo: sicut in opere artificiali, variato organo fit variatio operis; sic & in actionibus animæ, corpore transmutato, anima sequitur complexiones corporis, & fit variatio actionum eius. corpore igitur infrigidato, anima per appetitum inclinatur vt sequatur modum frigidi. & quia frigidum restringitur, & condensatur, & remittitur in seipso, ideo senes ratione frigiditatis concupiscentias habent remissas, vt vult Philosophus 2. Rhetoricorum. Secundo senes sunt miseratiui: sed (vt Philosophus ait) non propter eandem causam miseratiui sunt senes, & iuuenes. Iuuenes enim miseratiui sunt propter amicitiam: senes autem propter imbecillitatem. quilibet enim miseretur super amico, & super eo quem credit indigne pati. Iuuenes ergo, quia sunt amatores amicitiarum, & quia sua innocentia alios mensurant, existimãt omnes bonos esse, quare si patiantur, putant eos indigne pati: propter quod de facili miserentur. Senes vero non sunt miseratiui, quia credant alios bonos esse, vel quia sunt amatiui amicitiarum: sed quia quilibet cum est in imbecillitate,

vel

Rhet. 2.

vel in defectu, desiderat vt alij compatiantur ei, & miserentur eius. propter quod & ipsi de facili inclinantur, vt misereantur, & compatiantur alijs. Senes ergo propter imbecillitatem, quia vellent sibi alios compati, & misereri, de facili compatiuntur & miserentur alijs. Tertio nihil dubium pertinaciter affirmant. Nam (vt ait Philosoph. 2. Rheto.) quia senes vixerunt multis annis, & viderunt quod sæpe sunt decepti: non audent pertinaciter aliquid asserere, timentes, ne ita res se habeat, & decipiantur. Ideo Philosophos ait, quòd senes omnia dubie sententiant, & semper apponunt ibi Quasi, vel Forte, & nihil fixè pronunciant. cum enim ab eis quæritur de aliquo negocio, dicunt Forte, sic est, vel Quodammodo ita erat. timentes enim decipi, nihil firmè sententiant. Quarto nihil agunt valde, sed in omnibus operibus suis videntur esse temperati. Nam sicut iuuenes, quia in eis abundát concupiscentiæ & passiones, in omnibus tenent extremũ, & omnia agunt valde: sic senes, quia habent passiones, & concupiscentias remissas, vt plurimum agunt omnia moderate. Viso, qui sunt mores iuuenum, & senum: de leui apparere potest, qui sunt mores eorum, qui sunt in statu. Nam illi qui sunt in statu, & sunt medij inter senes, & iuuenes, vt vult Philosophus secundo Rhetoricorum, habent quicquid laudabilitatis est in senibus, vel iuuenibus. Nam ipsi, qui nec sunt nimis percalidi, vt iuuenes, nec infrigidati vt senes, nec sunt sic animosi, & præuolantes, vt iuuenes, nec sunt sic timidi, & pusillanimes vt senes: sed tenentes medium inter vtrosque, sunt timidi vbi est timendum; & audaces, vbi est audendum. Sic etiam, quia nec sunt omnino inexperti, vt iuuenes, nec sunt in tot decepti vt senes, nec omnibus credunt quod faciunt iuuenes propter inexperientiam, nec omnino discredunt quod faciunt senes eo quod sint in multis decepti: sed habent se medio modo. Ideo dicitur 2. Rhetoricorum, quod qui sunt in statu, nec sunt omni-

Rhet. 2.

Rhet. 2. cap. 14.

omnibus credentes, nec oībus discredentes: sed iudicātes magis secundū veritatē. Amplius, quia sunt medij inter senes & iuuenes, nec sunt intēperati vt iuuenes, nec sunt formidolosi, & inuiriles vt senes: sed sunt viriles cū tēperātia, & tēperati cum virilitate. Vt ergo sit ad vnum dicere, quicquid laudabilitatis est in senibus, vel in iuuenibus, totum reperitur in ijs qui sunt in statu. Et quicquid vituperabilitatis est in eis totum remouetur ab illis. Nam (vt supra pluries dicebatur) semper extrema sunt vituperabilia, & medium est laudabile. Si ergo in senibus, vel in iuuenibus est aliquid laudabile, hoc est, quia non omnino recedunt à medio. Si autem est in eis aliquid vituperabile, hoc est, prout esse habent in extremo. Quare si quicquid medij est in senibus vel iuuenibus, totum peramplius & perfectius reperitur in ijs qui sunt in statu: quicquid laudabilitatis est in eis, totum reperiri debet in ijs qui sunt in statu. Rursus quia quicquid extremitatis est in eis, remouetur ab eis qui sunt in statu: quicquid vituperabilitatis est in illis, remouetur ab ijs qui sunt in statu. Sic ergo loquendum est de moribus hominum. Non tamen intelligenda sunt talia omnino necessitatem habentia, vt quod senes nō possint esse liberales & magnanimi, & quod iuuenes non possint esse temperati & stabiles: sed intelligenda sunt secundum quandam pronitatem, & inclinationem, quia secundum cursum naturalem, & secundum ordinem quem videmus, iuuenes, & senes, & illi qui sunt in statu, quandam pronitatem, & inclinationem habent ad mores eis conuenientes, vt est per habita manifestum. His visis, de leui patere potest, quomodo Reges & Principes ad huiusmodi mores debeant se habere. Nam mores laudabiles senum (secundum quod huiusmodi sunt) eos habere decet. Nam cum Reges, & Principes magis debeant viuere ratione quam passione, decet eos habere concupiscentias temperatas: quia (vt supra dicebatur) concupiscentiæ si vehemētes sint, rationem percutiunt.

Decet

Decet etiam eos esse miseratiuos, non propter defectum, vel propter imbecillitatem: sed propter bonum regni, & vt magis amentur ab ijs qui in regno sunt. Nam totum regnum ad dilectionem Regis prouocatur, si viderit ipsum esse clementem, & misericordem. Tertio, non decet Reges, & Principes dubia pertinaciter in alteram partẽ asserere, ne per hoc iudicentur leues & indiscreti. Quarto in suis actionibus debent habere moderationem & temperamentum: quia (vt dictum est) ipsi esse debent forma viuendi, & regula aliorum. Senum ergo, & iuuenum aliqui mores sunt imitandi, aliqui fugiendi. Sed eorum qui sunt in statu, quodammodo omnes mores sunt imitandi. Dicimus autem, quodammodo: quia sicut senes, & iuuenes habent quandam pronitatem naturalem, & inclinationem ad mores vituperabiles: possunt tamen contra illam pronitatem facere consequi laudabiles mores. Sic & illi qui sunt in statu, & si de se pronitatem habent ad mores laudabiles, possunt tamen contra istam pronitatem facere, vt per corruptionem appetitus sequantur vituperabiles mores. Quare si dignum est dominari rationi, & intellectui, decet Reges, & Principes, qui alijs dominantur, sequi mores laudabiles secundum dictamen, & ordinem rationis.

Qui

Qui sunt mores nobilium, & quomodo Reges, & Principes se habere debeant ad illos mores. Cap. V.

PRout ad præsens spectat, dicere possumus, ipsorum nobilium esse quatuor mores laudabiles. Primo .n. sunt magnanimi. Secundo magnifici. Tertio dociles & industres. Quarto sunt politici & affabiles. Sunt enim nobiles magnanimi. Nam nobilitas (vt dicitur 2. Rhetoricorum) idem est quod virtus generis. Ex hoc enim [illegible] qui dicuntur esse nobiles, quia processerunt ex genere honorabili. Genus autem honorabile dicitur (vt vult Philos. 2. Rhet.) si ab antiquo ex illo genere processerunt multi præsides, & multi insignes. Virtus ergo generis, quam dicit Philosophus nobilitatem esse, nihil est aliud quam esse ex aliquo genere, vel ex aliqua prosapia, in qua etiã ab antiquo fuere multi principantes, & multi insignes, sic ergo sentiendum est de nobilitate. Verum quia secundum communẽ opinionẽ hominum omnia mensurantur numismate, & diuitiæ videntur esse pretium rei cuiuslibet, ex hoc quod aliqui sunt diuites, reputantur digni principari, & eo ipso creduntur esse insignes, & honore digni. quia ergo sic est, nobilitas secundũ communẽ acceptionẽ hominũ, nihil est aliud quam antiquatæ diuitiæ: quia ergo nobiles ex antiquo fuerunt præsides, & in suo genere fuerunt multi insignes & diuites, eleuatur cor nobilium ex exemplo parentũ, vt tendant in magna, & sint magnanimi. Naturale est enim, quod semper effectus vult assimilari causæ: cum filij sint quidam effectus parentum, naturale est filios imitari parentes. Nobiles ergo aduertentes quod in eorum genere fuerunt multi insignes, & tendentes in ardua, vt imitentur parentes, affectant magna, & cõtingit eos esse magnanimos. Secundo nobiles non solum

Rhet. 2. C. 15.

Rhet. 2.

sunt

sunt magnanimi & magni cordis, sed etiam si adsit facultas sunt magnifici & facientes magna. Nam cæteris paribus semper filij sunt nobiliores parentibus. Nam (vt dictũ est) nobilitas idem est secundum communem acceptionẽ quòd antiquatæ diuitiæ, vel quod virtus & honorabilitas generis. Genus autem alicuius maxime reputatur honorabile, si ab antiquo affluebat diuitijs. Cum ergo semper sit dare initium, in quo genitores alicuius ditari inceperunt: quanto magis proceditur per creationem filiorum, tanto minus est memoria genitores suos fuisse pauperes. ideò semper augmentatur nobilitas, & semper sunt magis antiquatæ diuitiæ in filijs quam in parentibus. quare cùm nobilitas semper inclinet animum nobilium vt faciant magna, sequitur nobiles esse magnificos, etiam magis quam parentes: quia quodammodo sunt nobiliores illis. Ideo nobiles non solum sunt magnifici, sed etiam nituntur maiora facere quam parentes. Vnde Philos. 4. Eth. ait, quod magnanimos & magnificos decet esse nobiles & gloriosos. Vult enim ibidem, quod nobiles ex sua nobilitate incitantur, vt sint magnanimi, & magnifici. Tertio nobiles sunt dociles & industres. quod duplici de causa contingit. Vna sumitur ex nutrimenro, & ex custodia corporis. Alia vero ex conuersatione, & societate quadam aliorum. Cum enim nobiles cum magna diligentia nutriantur, & cum magna cura proprium corpus custodiát: rationabile est, eos habere corpus bene dispositũ, & bene cõplexionatum. Cũ ergo molles carne aptos mente dicamus, vt vult Philos. 2. de Anima: contingit nobiles habere mentẽ aptã, & esse dociles & industres, quia in eis viget carnis mollicies, & bonitas cõplexionis. Rursus hoc idem contingit ex conuersatione, & societate aliorũ. Nobiles .n. quia multos habent respicientes ad eos, & considerantes eorũ facta, incitantur, vt sint viri meditatiui, subtiliter inuestigantes quid decet eos facere, ne opera eorũ, quæ multi desiderant, reprehensibilia videátur. quare cõtingit eos

Eth. 4. C. 2. 3.

2. de Anima. Te. 94.

ex diligenti consideratione suorum agibilium esse dociles, & industres. Ex hoc autem apparere potest, quanto odiendi sunt adulatores, omnia aliorum facta commendantes. Cum enim nobiles non reprehenduntur, sed ab adulatoribus etiam eorum mala facta commendantur, disponuntur, vt seipsos ignorent, & sequantur voluptatem, non rationem. Maxime ergo nobiles fiunt dociles & industres, si timentes reprehensibilia facere, diligenter considerent quid agendum. Quarto nobiles contingit esse politicos, & affabiles. Nam quia vt plurimum in curijs nobilium consueuit esse magna societas, conuenit eos esse politicos & sociales, quia vt plurimum in societate vixerunt. Sicut enim rustici, quia quasi solitarij viuunt, fiunt rudes & syluestres: sic nobiles econtrario vita sociali viuentes, fiunt sociales & affabiles. Hos autem mores, qui possunt esse boni & laudabiles, quomodo habere oporteat Reges, & Principes, in antehabitis sufficienter est dictum. Diximus enim supra, cum de virtute tractauimus, quomodo decet Reges, & Principes esse magnanimos, quomodo magnificos, quomodo prudentes & dociles, & quomodo affabiles & sociales. Viso qui mores nobilium sunt laudabiles: videre restat qui mores sunt vituperabiles. Narrat autem Philosophus 2. Rhetoricorum duos mores vituperabiles, quos dicit competere ipsius nobilibus. Primus est, quia nobiles sunt nimis honoris appetitiui. Secundus, sunt progenitorum despectores. Naturale est enim, quod quilibet vult accumulare ad id quod habet: ideo qui incipiunt ditari, volunt fieri ditiores: & qui sunt honorabiles, volunt esse honorabiliores. Nobiles ergo, quia ex suo genere videntur esse honorabiles, ideo volunt accumulare ad id quod habent, & volunt fieri honorabiliores: ideo sunt nimis honoris appetitiui. Secundo sunt elati & despectatores progenitorum: vt plurimum enim nobiles, maiores se reputant, quam patres suos. quod ideo contingit, quia semper

2. part. cap. 21. 20. 7. & 28.

Rhet. 2.

nobi-

nobilitas longe facta est maior, quam propinqua: quia semper est magis antiqua. Esse autem elatum, & despicere suos progenitores, & nimis esse honoris cupidi, videtur esse mali moris. Non enim debemus appetere ipsos honores in se, quia hoc faciunt elati & superbi: sed debemus appetere opera honore digna, quod faciunt virtuosi & magnanimi. Reges ergo & Principes, cum non possint naturaliter dominari, nisi sint boni & virtuosi, decet eos sequi bonos mores nobilium, vt sint magnanimi & magnifici, prudentes & affabiles: & fugere malos mores, vt non sint elati, alios despicientes.

Quot sunt mores diuitum, & quomodo Reges, & Principes debeant se habere ad mores illos. Cap. VI.

NArrat autem Philosophus 2. Rhetoricor. quinque malos mores ipsorum diuitum. Diuites enim primos sunt elati. Secundo contumeliosi. Tertio sunt molles, & intemperati. Quarto sunt iactatores, alios despicientes. Quinto autem reputant se dignos principari. Sunt enim diuites elati. Nam (vt Philosophus ait) ideo sic disponuntur, quia habendo diuitias aliquas, credunt se acquisiuisse omnia bona. Vnde & 2. Rhetoricorum dicitur, quod diuitiæ sunt quasi quoddam pretium, & quædam dignitas aliorum. Videtur enim esse in communi opinione vulgarium omnia mensurari numismate, & omnia esse appretiabilia pretio denariorum. Habentes ergo numismata, æstimāt se habere omnia bona, eo quod reputent pecuniam esse dignitatem, & pretium omnium aliorum, quare in cordibus suis efficiuntur superbi & elati, credentes omnibus excellentiores esse. Secundo diuites sunt contumeliosi. Nam si sunt elati, & volunt videri esse excellentes: cum ex hoc quis excellere videatur, si po-

Rhet. 2. cap. 16.

Rhet. 2.

si potest alijs contumelias inferre: diuites, vt videantur alijs præferri, & vt appareat eos esse excellentiores illis, mouentur, vt alijs contumelias inferant. Tertio diuites sunt molles & intemperati. quod eis contingit ex delicijs viuendi. Assueti enim sunt viuere adeò delicate, quod non possunt aliquas molestias sufferre. Ideo statim compassionantur, ruunt, & fiunt insecutores passionum, non valentes passionibus resistere: quia assueti sunt viuere delicate, & sine molestia. quare non sunt viriles, & temperati; sed magis sunt muliebres, siue molles, & insecutores passionum. Quarto diuites sunt iactatores, & despectores aliorum. Nam (vt innuit Philosoph. 2. Rhetor.) maximum incitamentum habent, vt sint tales. Nam quia etiam sapientes contingit indigere bonis diuitum, contingit vt diuites in suis cordibus eleuentur, dispicientes alios, & credentes se esse super eos, eo quod videant illos indigere bonis eorum. Recitat enim Philosophus 2. Rhetoricorum, quod cum quæsitum fuisset à muliere quadã, Vtrum esset melius, fieri diuitem, quam sapientem. Respondit, quod magis videat sapientes frequentare ianuas diuitum, quam diuites ianuas sapientum. Diuitiæ ergo, eo quod sint magis sensibile bonum, à vulgaribus, qui nó cognoscunt nisi bona sensibilia, reputatur bonum excellens, & maximum; ita vt diuitias bonis alijs præferant. Quinto diuites reputant se dignos principari. Nam (vt Philosophus ait) habere putant id quo quis efficitur dignus principari: credunt enim, quod dignitas principatus sint diuitiæ. Videtur enim eis, diuitias esse tantum bonum, quod quicunque hoc bono affluit, dignus sit principari. Omnes ergo hi mali mores diuitibus competunt, eo quod decipiantur circa diuitias, credentes eas esse maius bonum quàm sint. Decet ergo Reges, & Principes hos malos mores fugere. Nam si diuitijs affluunt, non debent propter hoc extolli. Nec propter hoc credere debẽt, se esse dignos principari. Nam dignitas principatus prin-

Rhet. 2.

cipa-

cipaliter innititur virtutibus & prudentiæ, quæ sunt bona interiora: non autem principaliter innititur diuitijs, quæ sunt bona exteriora. Diuitiæ ergo, si ordinentur ad opera virtuosa, deseruiunt felicitati nostræ, & sunt organa ad ipsam, & faciunt ad quandam eius claritatem. Sed si ordinentur ad iactantiam, vel ad contumeliam, vel ad intemperantiā, vel ad alia opera vitiosa: tunc magis reddūt hominem infelicem, quā felicem. Reputatur ergo quis dignus principari, si sit bonus & prudens, non si diuitijs affluat. Quare Reges & Principes nō sunt digni principari, nisi fugiant malos mores ipsorum diuitum, & nisi suas diuitias ordinent ad bonū, & ad opera virtuosa. Viso qui sūt mali mores diuitum, & quod decet Reges, & Principes fugere tales mores: videre restat, qui sunt boni mores eorum. Philosophus autem 2. Rhetoricorum, solum vnum bonum morem videtur diuitibus attribuere, videlicet, quod bene se habent circa diuina. Diuitiæ enim, quia videntur esse bona fortunæ, non videtur sufficere industria humana ad hoc quod aliquis fiat diues: videmus enim aliquando homines magis industres, minus ditari. Quia ergo sic est, acquisitio diuitiarum, vt dicitur 2. Rhetoricor. attribuenda est fato, & ordinationi diuinæ magis, quā sagacitati humanæ. Digne ergo diuites circa diuina bene se habere debent. Hoc est ergo quod dicitur 2. Rhetorico. Vnus optimus mos assequuntur diuites: quia bene se habent circa diuina, credentes aliqualiter per fata, idest, per ordinationem diuinā habere huiusmodi bona. Hoc autem dictum Philosophicum diligenter est considerandū. Nam diuitias, & quæcunq; bona habemus, magis habemus referre in diuinum ordinem, & in diuinam prouidentiam, quam in propriam industriam: quod si hoc bene attenderēt diuites faciēdo magnifica circa diuina, non crederent se Deo dona largiri, sed magis cogitaret quod ei reddunt quod ab ipso accipiunt. Hunc aūt bonum morē, videlicet bene se habere circa diuina, tantò magis decet Reges, &

Rhet. 2.

Rhet. 2.

Rhet. 2. C. 17.

Principes, quantò summo Deo iudici de pluribus debent reddere rationem.

Qui sunt mores potentum, & quomodo ad mores illos Reges, & Principes debeant se habere. Cap. VII.

NObilitas, diuitiæ, & ciuilis potentia, inter bona exteriora computantur; non tamen dicunt vnum & idē bonum. Contingit enim aliquos esse nobiles, quia processerunt ex aliquo nobili genere, qui tamē non sunt diuites. Sic etiam contingit aliquos esse diuites qui non sunt nobiles, quia non processerunt ex honorabili genere, sed sunt nuper ditati. Differunt ergo esse nobilem, & esse diuitē. Differt etiam esse nobilem, & esse diuitem, ab esse potentem. Nam dicitur aliquis esse potens, quia est in aliquo principatu, & habet multos sub suo dominio. quare cum multos nobiles videamus esse impotentes, & non posse principari, non est idē esse nobilē, & esse potentem. Rursus videmus aliquos abundare argento & auro, & in agris & vineis, qui tamen deficiunt in ciuili potentia; quia pauci reguntur sub eius imperio. quare nō est idē esse diuitem, & esse non potentem. Viso ergo qui sunt mores nobiliū, & qui diuitum restat videre, qui sunt mores potentum. Potentes aūt (vt vult Philosophus 2. Rhetor.) omnino habent meliores mores, quā diuites. Narrat autem Philosophus tria, in quibus mores potentum excedunt mores diuitum. Primo enim potentes sunt magis studiosi quam diuites. Secundo sunt magis temperati. Tertio sunt minus contumeliosi. Sunt enim magis studiosi & magis boni quā diuites, quia secundum Philosophum coacti sunt intendere in ea quæ sunt circa potentatum. Nam qui est in aliquo potentatu, vel in aliquo principatu, quia est persona communis & publica, ad quam multi respiciunt, verecunda-

Rhet. 2. C. 17.

tur

tur omnino declinare à medio, & non agere opera virtuosa. Ipse ergo principatus quodammodo inducit hominem ad bonitatem, & ad iustitiam. Studiosiores igitur sunt potentes, quam diuites: quia coacti sunt intendere circa opera potentatus, quæ debent esse bona & studiosa. Secundo potentes sunt magis temperati quam diuites. Nam cum quis dat se exercitio, retrahitur ab ocio: & cum dat se vni operi, retrahitur ab alio. Diuites ergo si non abundent in ciuili potentia, & non cogantur intendere operibus iustitiæ, vacant ocio, & de leui inclinantur, vt dent operam rebus venereis, & fiant intemperati. Potentes vero & principantes, quia oportet eos intendere exterioribus curis, retrahuntur, vt non omnino possint vacare venereis. Quare contingit potentes magis esse temperatos, quam diuites. Tertio potentes minus contumeliosi sunt, quam diuites. Ideo scribitur 2. Rhetor. si potentes iniuriantur, non iniuriantur in paruis, sed in magnis. Potentes enim existentes in Principatu, quia sunt in loco magno honore digno, non tendunt nisi in magna & in ardua. Ideo si contingat eos alijs iniuriari, non iniuriabuntur in paruis, sed in magnis. Non enim curabunt facere paruam offensam, sed vel in nullo damnificabunt alios, vel inferent magnum damnum. Minus igitur sunt contumeliosi potentes, quam diuites: quia quamlibet contumeliam inferre non curant, sed solummodo contumeliosi in magnis. Mores diuitum omnino peiores, quam mores nobilium, vel potentum. Ideo diuitiæ, si eas non concomitentur potentatus & nobilitas, vt plurimum magis reddunt hominē infelicem quam felicē. Qui enim sic diues est, quod nec est nobilis, nec est in aliquo potentatu, vt plurimum est intemperatus, & insensatus felix, vel est insensatus fortunatatus. Diues enim si non sit nobilis, & non processerit ex quodam genere antiquo & honorabili, sed sit nuper ditatus, dicitur esse insensatus felix, quia nescit vti diuitijs, quæ sunt organa ad felicitatem. vel

Rhet. 2.

dicitur insensatus fortunatus, quia nescit fortunas ferre, vel nescit debitè se habere in diuitijs, quæ sunt bona fortunæ. Ideo dicitur 2. Rhetor. quod nuper ditatum esse, est ineruditio diuitiarum: qui enim nuper ditati sunt, non sunt eruditi, quomodo possunt vti diuitijs; propter quod in eodem 2. Rhetor. scribitur, quod mores diuitiarum (vt in summa sit dicere) sunt mores insensati felicis. Nobilitas ergo bene associatur diuitijs: quia qui sic est diues, quod tamen est nobilis, & ab antiquo sui progenitores diuites extiterunt, melius nouit diuitias supportare, & propter eas non tantum extollitur. Videntur enim bona sensibilia omnino esse contraria scientijs, & virtutibus. Nam diuitiæ & sensibilia bona prius quam habeantur, reputantur maiora quam sint: habita vero, vilescunt. Scientiæ vero & virtutes modo contrario se habere videntur. Nam prius quam habeantur, non reputantur tam magna, sicut postquam habita sunt: qui enim gustare incipit de suauitate virtutum, & dulcedine scientiarum, statim percipit ea esse maiora bona, quam crederent. Bona ergo sensibilia quanto magis habentur, minus reputãtur. Quare cum ditati ab antiquo, magis assueti sint in diuitijs, & magis assequuti sint eas quam nuper ditati, non tantum reputãt diuitias, nec sic extolliũtur propter illas, sicut qui de nouo diuitias susceperunt. Ne igitur quis sit insensatus felix, & nesciat fortunas ferre, expedit vt diuitias concomitetur nobilitas. Diues enim nobilis & ab antiquo, in omnibus scit melius se habere, quam rusticus ex nouo ditatus. Bene ergo dictum est, quod ne diues sit insensatus felix, requiritur vt sit nobilis; sed ne sit intemperatus, requiritur vt sit nobilis, sed ne sit intemperatus, requiritur vt sit potens; quia (vt dicebatur) Reges potentes, quia diuersis curis intendunt propter principatum, non ita possunt vacare venereis. Reges ergo & Principes, quia vt plurimum his tribus exterioribus affluunt, videlicet, diuitijs, nobilitate, potentia: decet eos esse eruditos, & temperatos. Nam

Rhet. 2. C. 16.

Rhet. 2.

per

per nobilitatem eo quod ab antiquo abundauerunt diuitijs, sciunt magis fortunas ferre, & circa diuitias sciunt magis erudite se habere. Rursus quia pollent principatu & potentia,& oportet eos diuersis curis intendere, retrahuntur à venereis, & inducuntur, vt sint temperati. Sic ergo sentiendum est de moribus.quia senes,iuuenes,& illi qui sunt in statu,potentes, nobiles & diuites, tales mores habent,quales diximus: non quod omnes vniuersaliter tales sint,& quod necesse sit eos tales esse: sed vt plurimum diuitum,nobilium, & aliorum sunt tales mores, quales superius dicebamus. Rursus licet non sit necessarium, eos tales mores habere: tamen multum inclinantur, & magnam pronitatem habent, vt sequantur prædictos mores.Iuuenes ergo & senes non indignentur, si aliquos malos mores de ipsis narrauimus: quia nullam eis per huiusmodi mores necessitatem imponimus,quin possint omnes malos mores vitare, & sequi ordinem rationis. Sic etiam nec nobiles,vel diuites indignari debent, si ipsorum narrauimus aliquos malos mores:quia non oportet omnes esse tales,sed sufficit reperiri illud in pluribus: pronitatem enim quandam,& non necessitatem, per huiusmodi mores in eis ponere intendebamus. Narratis ergo moribus laudabilibus, & vituperabilibus secundum diuersas ætates,& secundum diuersos status:decet omnes homines sequi mores laudabiles, & fugere vituperabiles.Sed tantò magis hoc decet Reges,& Principes, quantò in altiori gradu existunt. Ipsi enim(vt superius dicebatur) debent esse exemplar, & regula aliorum, & forma viuendi.quicquid ergo laudabilitatis est in moribus singulorum, totum debet in ipsis peramplius & perfectius reperiri.

Primi libri de regimine Principis finis,in quo traditum fuit, quomodo Princeps seipsum regere debeat.

D. AEGIDII ROMANI Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, De Regimine Principum Liber secundus. In quo tractatur de regimine domus.

Quòd naturale est Homini viuere in societate, & quod hoc decet Reges, & Principes diligenter aduertere. Cap. I.

PRIMI Libri est digesta materia: quia ostensum est, in quo Reges, & Principes debeant suam felicitatem ponere: quas virtutes habere: quas passiones sequi: & quos mores debeant imitari. Per hæc enim quatuor, sufficienter habetur, qualiter quilibet debeat seipsum regere, & qualis debeat in seipso esse. Restat ergo dicere de regimine familiæ, siue de regimine ipsius domus. Non enim sufficit, quod Reges, & Principes sint boni in seipsis, nisi sint boni quo ad alios, & nisi sciant alios gubernare: nec sufficit, quod Reges debite seipsos regant, nisi regere sciant domum, ciuitatem, & regnum. In hoc ergo secundo libro determinabitur de regimine domus. Sed cum familia domus sit communitas quædam, & sit communitas naturalis: si de domo determinare volumus, videndum est quomodo se habeat homo ad esse communicatiuum, & sociale. Sciendum igitur, quod homo vltra alia animalia quatuor indi-

indigere videtur ex quibus quadruplici via venari possumus, ipsum esse communicatiuum & sociale. Prima via sumitur ex victu, quo homo indiget. Secunda ex vestitu, quo tegitur. Tertia ex remotione prohibentium, per quam ab hostibus liberetur. Quarta ex disciplina & sermone, per quæ instruitur. Sic enim imaginari debemus, quod natura nihil facit frustra. ei ergo, quod naturaliter fit, naturalia sunt ea, sine quibus non potest bene conseruari in esse. Frustra enim natura ageret, si res naturales nullo modo conseruarentur in esse, sed statim, postquam essent factæ, esse desinerent. quare cum viuere sit homini naturale, omnia illa, quæ faciunt ad bene viuere, & sine quibus non potest sibi in vita sufficere, sunt homini naturalia. inter alia autem, quæ faciunt ad sufficientiam vitæ humanæ, est societas: naturaliter ergo homo est animal sociabile. Quod autem societas maxime faciat ad sufficientiam vitæ humanæ, patere potest ex his quatuor supra enumeratis: quibus homo, aliter quam cætera animalia, indigere videtur. Prima via sumitur ex ipso victu, quo indiget. Nam homo inter cætera animalia habet meliorem tactum, & meliorem complexionem. Ideo inter omnia animalia indiget cibo diligenter, & artificialiter præparato. Natura enim animalibus alijs quasi sufficienter ministrat cibũ: vt animalibus non viuentibus ex rapina, cuiusmodi sunt oues, boues, & cætera talia, ministrat herbas & fructus, qui absque alia præparatione sufficiunt ad nutrimentum. Animalibus vero viuẽtibus ex rapina, vt lupis, leonibus, & cæteris talibus, administratur nutrimentum ex cæteris animalibus, quæ naturaliter producuntur. Quodammodo ergo omnibus alijs animalibus natura sufficienter præparat nutrimentum. Nam quia non habent complexionem ita puram, & ita redactam ad medium, vt homo, non indiget cibo ita deputato, vt ipse. Quare cibaria aliorum animalium sufficiunt eis ad vitam, prout sunt præ-

ex diligenti consideratione suorum agibilium esse dociles, & industres. Ex hoc autem apparere potest, quanto odiendi sunt adulatores, omnia aliorum facta commendantes. Cum enim nobiles non reprehenduntur, sed ab adulatoribus etiam eorum mala facta commendantur, disponuntur, vt seipsos ignorent, & sequantur voluptatem, non rationem. Maxime ergo nobiles fiunt dociles & industres, si timentes reprehensibilia facere, diligenter considerent quid agendum. Quarto nobiles contingit esse politicos, & affabiles. Nam quia vt plurimum in curijs nobilium consueuit esse magna societas, conuenit eos esse politicos & sociales, quia vt plurimum in societate vixerunt. Sicut enim rustici, quia quasi solitarij viuunt, fiunt rudes & syluestres: sic nobiles econtrario vita sociali viuentes, fiunt sociales & affabiles. Hos autem mores, qui possunt esse boni & laudabiles, quomodo habere oporteat Reges, & Principes, in antehabitis sufficienter est dictum. Diximus enim supra, cum de virtute tractauimus, quomodo decet Reges, & Principes esse magnanimos, quomodo magnificos, quomodo prudentes & dociles, & quomodo affabiles & sociales. Viso qui mores nobilium sunt laudabiles: videre restat qui mores sunt vituperabiles. Narrat autem Philosophus 2. Rhetoricorum duos mores vituperabiles, quos dicit competere ipsius nobilibus. Primus est, quia nobiles sunt nimis honoris appetitiui. Secundus, sunt progenitorum despectores. Naturale est enim, quod quilibet vult accumulare ad id quod habet: ideo qui incipiunt ditari, volunt fieri ditiores: & qui sunt honorabiles, volunt esse honorabiliores. Nobiles ergo, quia ex suo genere videntur esse honorabiles, ideo volunt accumulare ad id quod habent, & volunt fieri honorabiliores: ideo sunt nimis honoris appetitiui. Secundo sunt elati & despectatores progenitorum: vt plurimum enim nobiles, maiores se reputant, quam patres suos. quod ideo contingit, quia semper

1. part. cap. 21. 20. 7. & 28.

Rhet. 2.

nobi-

nobilitas longe facta est maior, quam propinqua: quia semper est magis antiqua. Esse autem elatum, & despicere suos progenitores, & nimis esse honoris cupidi, videtur esse mali moris. Non enim debemus appetere ipsos honores in se, quia hoc faciunt elati & superbi: sed debemus appetere opera honore digna, quod faciunt virtuosi & magnanimi. Reges ergo & Principes, cum non possint naturaliter dominari, nisi sint boni & virtuosi, decet eos sequi bonos mores nobilium, vt sint magnanimi & magnifici, prudentes & affabiles: & fugere malos mores, vt non sint elati, alios despicientes.

Quot sunt mores diuitum, & quomodo Reges, & Principes debeant se habere ad mores illos. Cap. VI.

NArrat autem Philosophus 2. Rhetoricor. quinque malos mores ipsorum diuitum. Diuites enim primos sunt elati. Secundo contumeliosi. Tertio sunt molles, & intemperati. Quarto sunt iactatores, alios despicientes. Quinto autem reputant se dignos principari. Sunt enim diuites elati. Nam (vt Philosophus ait) ideo sic disponuntur, quia habendo diuitias aliquas, credunt se acquisiuisse omnia bona. Vnde & 2. Rhetoricorum dicitur, quod diuitiæ sunt quasi quoddam pretium, & quædam dignitas aliorum. Videtur enim esse in communi opinione vulgarium omnia mensurari numismate, & omnia esse appretiabilia pretio denariorum. Habentes ergo numismata, æstimãt se habere omnia bona, eo quod reputent pecuniam esse dignitatem, & pretium omnium aliorum, quare in cordibus suis efficiuntur superbi & elati, credentes omnibus excellentiores esse. Secundo diuites sunt contumeliosi. Nam si sunt elati, & volunt videri esse excellentes: cum ex hoc quis excellere videatur, si po-

Rhet. 2. cap. 16.

Rhet. 2.

si potest alijs contumelias inferre:diuites, vt videantur alijs præferri, & vt appareat eos esse excellentiores illis, mouentur, vt alijs contumelias inferant. Tertio diuites sunt molles & intemperati.quod eis contingit ex delicijs viuendi. Assueti enim sunt viuere adeò delicate, quod non possunt aliquas molestias sufferre. Ideo statim compassionantur,ruunt,& fiunt insecutores passionum, non valentes passionibus resistere: quia assueti sunt viuere delicate,& sine molestia, quare non sunt viriles, & temperati;sed magis sunt muliebres, siue molles, & insecutores passionum. Quarto diuites sunt iactatores, & de-
Rhet. 2. spectores aliorum. Nam (vt innuit Philosoph. 2. Rhetor.) maximum incitamentum habent,vt sint tales. Nam quia etiam sapientes contingit indigere bonis diuitum, contingit vt diuites in suis cordibus eleuentur, dispicientes alios,& credentes se esse super eos, eo quod videant illos indigere bonis eorum. Recitat enim Philosophus 2. Rhetoricorum, quod cum quæsitum fuisset à muliere quadã, Vtrum esset melius,fieri diuitem,quam sapientem. Respondit, quod magis videat sapientes frequentare ianuas diuitum,quam diuites ianuas sapientum. Diuitiæ ergo, eo quod sint magis sensibile bonum, à vulgaribus,qui nó cognoscunt nisi bona sensibilia, reputatur bonum excellens, & maximum; ita vt diuitias bonis alijs præferant. Quinto diuites reputant se dignos principari. Nam (vt Philosophus ait) habere putant id quo quis efficitur dignus principari:credunt enim, quod dignitas principatus sint diuitiæ. Videtur enim eis, diuitias esse tantum bonum, quod quicunque hoc bono affluit, dignus sit principari. Omnes ergo hi mali mores diuitibus competunt, eo quod decipiantur circa diuitias, credentes eas esse maius bonum quàm sint.Decet ergo Reges,& Principes hos malos mores fugere. Nam si diuitijs affluunt, non debent propter hoc extolli.Nec propter hoc credere debẽt, se esse dignos principari. Nam dignitas principatus princi-

cipaliter innititur virtutibus & prudentiæ, quæ sunt bona interiora: non autem principaliter innititur diuitijs, quæ sunt bona exteriora. Diuitiæ ergo, si ordinentur ad opera virtuosa, deseruiunt felicitati nostræ, & sunt organa ad ipsam, & faciunt ad quandam eius claritatem. Sed si ordinentur ad iactantiam, vel ad contumeliam, vel ad intemperantiã, vel ad alia opera vitiosa: tunc magis reddũt hominem infelicem, quã felicem. Reputatur ergo quis dignus principari, si sit bonus & prudens, non si diuitijs affluat. Quare Reges & Principes nõ sunt digni principari, nisi fugiant malos mores ipsorum diuitum, & nisi suas diuitias ordinent ad bonũ, & ad opera virtuosa. Viso qui sũt mali mores diuitum, & quod decet Reges, & Principes fugere tales mores: videre restat, qui sunt boni mores eorum. Philosophus autem 2. Rhetoricorum, solum vnum bonum morem videtur diuitibus attribuere, videlicet, quod bene se habent circa diuina. Diuitiæ enim, quia videntur esse bona fortunæ, non videtur sufficere industria humana ad hoc quod aliquis fiat diues: videmus enim aliquando homines magis industres, minus ditari. Quia ergo sic est, acquisitio diuitiarum, vt dicitur 2. Rhetoricor. attribuenda est fato, & ordinationi diuinæ magis, quã sagacitati humanæ. Digne ergo diuites circa diuina bene se habere debent. Hoc est ergo quod dicitur 2. Rhetorico. Vnus optimus mos assequuntur diuites: quia bene se habent circa diuina, credentes aliqualiter per fata, idest, per ordinationem diuinã habere huiusmodi bona. Hoc autem dictum Philosophicum diligenter est considerandũ. Nam diuitias, & quæcunq; bona habemus, magis habemus referre in diuinum ordinem, & in diuinam prouidentiam, quam in propriam industriam: quod si hoc bene attenderẽt diuites faciẽdo magnifica circa diuina, non crederent se Deo dona largiri, sed magis cogitaret quod ei reddunt quod ab ipso accipiunt. Hunc aũt bonum morẽ, videlicet bene se habere circa diuina, tantò magis decet Reges, &

Rhet. 2.

Rhet. 2.

Rhet. 2. C. 17.

Principes, quantò summo Deo iudici de pluribus debent reddere rationem.

Qui sunt mores potentum, & quomodo ad mores illos Reges, & Principes debeant se habere. Cap. VII.

NObilitas, diuitiæ, & ciuilis potentia, inter bona exteriora computantur; non tamen dicunt vnum & idē bonum. Contingit enim aliquos esse nobiles, quia processerunt ex aliquo nobili genere, qui tamē non sunt diuites. Sic etiam contingit aliquos esse diuites qui non sunt nobiles, quia non processerunt ex honorabili genere, sed sunt nuper ditati. Differunt ergo esse nobilem, & esse diuitē. Differt etiam esse nobilem, & esse diuitem, ab esse potentem. Nam dicitur aliquis esse potens, quia est in aliquo principatu, & habet multos sub suo dominio. quare cum multos nobiles videamus esse impotentes, & non posse principari, non est idē esse nobilē, & esse potentem. Rursus videmus aliquos abundare argento & auro, & in agris & vineis, qui tamen deficiunt in ciuili potentia; quia nulli reguntur sub eius imperio. quare nō est idē esse diuitem, & esse non potentem. Viso ergo qui sunt mores nobiliū, & qui diuitum restat videre, qui sunt mores potentum. Potentes aūt (vt vult Philosophus 2. Rhetor.) omnino habent meliores mores, quā diuites. Narrat autem Philosophus tria, in quibus mores potentum excedunt mores diuitum. Primo enim potentes sunt magis studiosi quam diuites. Secundo sunt magis temperati. Tertio sunt minus contumeliosi. Sunt enim magis studiosi & magis boni quā diuites, quia secundum Philosophum coacti sunt intendere in ea quæ sunt circa potentatum. Nam qui est in aliquo potentatu, vel in aliquo principatu, quia est persona communis & publica, ad quam multi respiciunt, verecunda-

Rhet. 2. C. 17.

tur

tur omnino declinare à medio, & non agere opera virtuosa. Ipse ergo principatus quodammodo inducit hominem ad bonitatem, & ad iustitiam. Studiosiores igitur sunt potentes, quam diuites: quia coacti sunt intendere circa opera potentatus, quæ debent esse bona & studiosa. Secundo potentes sunt magis temperati quam diuites. Nam cum quis dat se exercitio, retrahitur ab ocio: & cum dat se vni operi, retrahitur ab alio. Diuites ergo si non abundent in ciuili potentia, & non cogantur intendere operibus iustitiæ, vacant ocio, & de leui inclinantur, vt dent operam rebus venereis, & fiant intemperati. Potentes vero & principantes, quia oportet eos intendere exterioribus curis, retrahuntur, vt non omnino possint vacare venereis. Quare contingit potentes magis esse temperatos, quam diuites. Tertio potentes minus contumeliosi sunt, quam diuites. Ideo scribitur 2. Rhetor. si potentes iniuriantur, non iniuriantur in paruis, sed in magnis. Potentes enim existentes in Principatu, quia sunt in loco magno honore digno, non tendunt nisi in magna & in ardua. Ideo si contingat eos alijs iniuriari, non iniuriabuntur in paruis, sed in magnis. Non enim curabunt facere paruam offensam, sed vel in nullo damnificabunt alios, vel inferent magnum damnum. Minus igitur sunt contumeliosi potentes, quam diuites: quia quamlibet contumeliam inferre non curant, sed solummodo contumeliosi in magnis. Mores diuitum omnino peiores, quam mores nobilium, vel potentum. Ideo diuitiæ, si eas non concomitentur potentatus & nobilitas, vt plurimum magis reddunt hominē infelicem quam felicē. Qui enim sic diues est, quod nec est nobilis, nec est in aliquo potentatu, vt plurimum est intemperatus, & insensatus felix, vel est insensatus fortunatatus. Diues enim si non sit nobilis, & non processerit ex quodam genere antiquo & honorabili, sed sit nuper ditatus, dicitur esse insensatus felix, quia nescit vti diuitijs, quæ sunt organa ad felicitatem. vel

Rhet. 2.

dicitur insensatus fortunatus, quia nescit fortunas ferre vel nescit debitè se habere in diuitijs, quæ sunt bona fortunæ. Ideo dicitur 2. Rhetor. quod nuper ditatum esse, est ineruditio diuitiarum: qui enim nuper ditati sunt, non sunt eruditi, quomodo possunt vti diuitijs; propter quod in eodem 2. Rhetor. scribitur, quod mores diuitiarum (vt in summa sit dicere) sunt mores insensati felicis. Nobilitas ergo bene associatur diuitijs: quia qui sic est diues, quod tamen est nobilis, & ab antiquo sui progenitores diuites extiterunt, melius nouit diuitias supportare, & propter eas non tantum extollitur. Videntur enim bona sensibilia omnino esse contraria scientijs, & virtutibus. Nam diuitiæ & sensibilia bona prius quam habeantur, reputantur maiora quam sint: habita vero, vilescunt. Scientiæ vero & virtutes modo contrario se habere videntur. Nam prius quam habeantur, non reputantur tam magna, sicut postquam habita sunt: qui enim gustare incipit de suauitate virtutum, & dulcedine scientiarum, statim percipit ea esse maiora bona, quam crederent. Bona ergo sensibilia quanto magis habentur, minus reputãtur. Quare cum ditati ab antiquo, magis assueti sint in diuitijs, & magis assequuti sint eas quam nuper ditati, non tantum reputãt diuitias, nec sic extolliũtur propter illas, sicut qui de nouo diuitias susceperunt. Ne igitur quis sit insensatus felix, & nesciat fortunas ferre, expedit vt diuitias concomitetur nobilitas. Diues enim nobilis & ab antiquo, in omnibus scit melius se habere, quam rusticus ex nouo ditatus. Bene ergo dictum est, quod ne diues sit insensatus felix, requiritur vt sit nobilis; sed ne sit intemperatus, requiritur vt sit nobilis, sed ne sit intemperatus, requiritur vt sit potens; quia (vt dicebatur) Reges potentes, quia diuersis curis intendunt propter principatum, non ita possunt vacare venereis. Reges ergo & Principes, quia vt plurimum his tribus exterioribus affluunt, videlicet, diuitijs, nobilitate, potentia: decet eos esse eruditos, & temperatos. Nam

Rhet. 2. C. 16.

Rhet. 2.

per

per nobilitatem eo quod ab antiquo abundauerunt diuitijs, sciunt magis fortunas ferre, & circa diuitias sciunt magis erudite se habere. Rursus quia pollent principatu & potentia, & oportet eos diuersis curis intendere, retrahuntur à venereis, & inducuntur, vt sint temperati. Sic ergo sentiendum est de moribus. quia senes, iuuenes, & illi qui sunt in statu, potentes, nobiles & diuites, tales mores habent, quales diximus: non quod omnes vniuersaliter tales sint, & quod necesse sit eos tales esse: sed vt plurimum diuitum, nobilium, & aliorum sunt tales mores, quales superius dicebamus. Rursus licet non sit necessarium, eos tales mores habere: tamen multum inclinantur, & magnam pronitatem habent, vt sequantur prædictos mores. Iuuenes ergo & senes non indignentur, si aliquos malos mores de ipsis narrauimus: quia nullam eis per huiusmodi mores necessitatem imponimus, quin possint omnes malos mores vitare, & sequi ordinem rationis. Sic etiam nec nobiles, vel diuites indignari debent, si ipsorum narrauimus aliquos malos mores: quia non oportet omnes esse tales, sed sufficit reperiri illud in pluribus: pronitatem enim quandam, & non necessitatem, per huiusmodi mores in eis ponere intendebamus. Narratis ergo moribus laudabilibus, & vituperabilibus secundum diuersas ætates, & secundum diuersos status: decet omnes homines sequi mores laudabiles, & fugere vituperabiles. Sed tantò magis hoc decet Reges, & Principes, quantò in altiori gradu existunt. Ipsi enim (vt superius dicebatur) debent esse exemplar, & regula aliorum, & forma viuendi. quicquid ergo laudabilitatis est in moribus singulorum, totum debet in ipsis peramplius & perfectius reperiri.

Primi libri de regimine Principis finis, in quo traditum fuit, quomodo Princeps seipsum regere debeat.

D. AEGIDII ROMANI Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, De Regimine Principum Liber secundus. In quo tractatur de regimine domus.

Quòd naturale est Homini viuere in societate, & quòd hoc decet Reges, & Principes diligenter aduertere. Cap. I.

PRIMI Libri est digesta materia: quia ostensum est, in quo Reges, & Principes debeant suam felicitatem ponere: quas virtutes habere: quas passiones sequi: & quos mores debeant imitari. Per hæc enim quatuor, sufficienter habetur, qualiter quilibet debeat seipsum regere, & qualis debeat in seipso esse. Restat ergo dicere de regimine familiæ, siue de regimine ipsius domus. Non enim sufficit, quod Reges, & Principes sint boni in seipsis, nisi sint boni quo ad alios, & nisi sciant alios gubernare: nec sufficit, quod Reges debite seipsos regant, nisi regere sciant domum, ciuitatem, & regnum. In hoc ergo secundo libro determinabitur de regimine domus. Sed cum familia domus sit communitas quædam, & sit communitas naturalis: si de domo determinare volumus, videndum est quomodo se habeat homo ad esse communicatiuum, & sociale. Sciendum igitur, quod homo vltra alia animalia quatuor indi-

indigere videtur ex quibus quadruplici via venari possumus, ipsum esse communicatiuum & sociale. Prima via sumitur ex victu, quo homo indiget. Secunda ex vestitu, quo tegitur. Tertia ex remotione prohibentium, per quam ab hostibus liberetur. Quarta ex disciplina & sermone, per quæ instruitur. Sic enim imaginari debemus, quod natura nihil facit frustra. ei ergo, quod naturaliter fit, naturalia sunt ea, sine quibus non potest bene conseruari in esse. Frustra enim natura ageret, si res naturales nullo modo conseruarentur in esse, sed statim, postquam essent factæ, esse desinerent. quare cum viuere sit homini naturale, omnia illa, quæ faciunt ad bene viuere, & sine quibus non potest sibi in vita sufficere, sunt homini naturalia: inter alia autem, quæ faciunt ad sufficientiam vitæ humanæ, est societas: naturaliter ergo homo est animal sociabile. Quod autem societas maxime faciat ad sufficientiam vitæ humanæ, patere potest ex his quatuor supra enumeratis: quibus homo, aliter quam cætera animalia, indigere videtur. Prima via sumitur ex ipso victu, quo indiget. Nam homo inter cætera animalia habet meliorem tactum, & meliorem complexionem. Ideo inter omnia animalia indiget cibo diligenter, & artificialiter præparato. Natura enim animalibus alijs quasi sufficienter ministrat cibũ: vt animalibus non viuentibus ex rapina, cuiusmodi sunt oues, boues, & cætera talia, ministrat herbas & fructus, qui absque alia præparatione sufficiunt ad nutrimentum. Animalibus vero viuẽtibus ex rapina, vt lupis, leonibus, & cæteris talibus, administratur nutrimentum ex cæteris animalibus, quæ naturaliter producuntur. Quodammodo ergo omnibus alijs animalibus natura sufficienter præparat nutrimentum. Nam quia non habent complexionem ita puram, & ita redactam ad medium, vt homo, non indiget cibo ita deputato, vt ipse. Quare cibaria aliorum animalium sufficiunt eis ad vitam, prout sunt præ-

parata à natura absque alia artificiali decoctione vel præparatione. homo vero, quia magis habet complexionem puram & redactam ad medium, indiget alimento præparato & depurato. Frumentum ergo, quod à natura producitur, & si esset sufficiens cibus animalibus alijs: homini autem non est sufficiens cibus, nisi præparetur & depuretur. ideo molitur, & depuratum fit inde panis, & coquitur, vt sit hominum congruus cibus. Et quia ad hæc omnia vna sola persona non bene sufficit, ideo vt homo ratione victus sufficiat sibi in vita, indiget societate, vt vnusquisq; suppleat alterius defectum. Et quod dictũ est de frumento; intelligendum est de cibarijs alijs. nũquam cum homo existens solus sufficit sibi ad habendum congrua cibaria, quæ requiruntur ad vitam. Bene ergo dictum est, quod ex parte victus, quo indigemus, homo est naturaliter animal sociale. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte indumentorum, quibus tegimur. Nam sicut natura sufficienter alijs animalibus prouidere videtur in victu: sic videtur quod eis sufficienter prouideat in vestitu. Bestiæ enim, & aues, quasi naturale indumentum, habere videntur lanam vel pennas. Homini autem non sufficienter prouidet natura in vestitu: cum enim homo sit nobilioris complexionis quam animalia alia, à frigiditate & ab intemperie temporis magis habet offendi, quam illa. quare cũ habere victum & vestitum congruat ad vitam humanam, & nullus sibi sufficiat sine societate alterius, sequitur quod homo naturalẽ impetum habeat vt sit animal sociale. necessaria ergo fuit communitas domus, & cõmunitates aliæ, cuiusmodi sunt cõmunitas ciuitatis, & regni, ad hoc quod homines perfecte sibi in vita sufficiant. Sed si hæc sunt necessaria ad conseruandam hominis naturalem [illegible], viuere in communitate & in societate est quodammodo homini naturale. Tertia via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex remotione prohibentiũ, prout ab inimicis, & ab hostibus

defen-

defendimur. Natura cum aliquibus animalibus ad sui tuitionem dedit cornua, vt bubalis & bobus. Aliquibus vero dedit dentes, vt lupis & canibus. Aliquibus dedit vngues, vt vrsis & leonibus. Aliquibus autem corporis agilitatem, vt leporibus & capreis. Sicut enim capreæ & lepores quia non per aliam viam possunt euadere mortis pericula nisi per corporis agilitatem & per fugam, ideo statim cum audiunt strepitum, fugam arripiunt. Sed natura homini, tanquam excellentiori animalium, non dedit ad sui tuitionem cornua vel vngues: sed dedit ei manum, quæ secundum Philosophum 3. de Anima, est organum organorum. Nam per manum omnia organa, & quicquid ad defensionem facit, fabricare valemus. Quare si naturale est homini desiderare conseruationem vitæ, cum homo solitarius non sufficiat sibi ad habendũ congruum victum & vestitum, & ad fabricandum sibi arma & organa, per quæ à contrarijs defendatur: naturale est ei, vt desideret viuere in communitate, & vt sit animal sociale. Quarta via sumitur ex parte sermonis & disciplinæ, per quam instruimur. Nam alia animalia sufficienter inclinantur ad opera sibi debita ex instinctu naturæ absque introductione aliqua præcedente: vt aranea ex instinctu naturæ debitam telam faceret, si nunquam vidisset araneas alias texuisse. Sic etiam & hirundines debite facerent nidum, si nunquam vidissent alias nidificasse. Et canis ex instinctu naturæ instruitur, qualiter se debeat habere in partu, si nunquam vidisset canes alias peperisse. Mulier autem cum parit, nescit qualiter se debeat habere in partu, nisi per obstetrices sit sufficienter edocta. Quia ergo homo non sufficienter ex instinctu naturæ inclinatur ad opera sibi debita, natura dedit ei loquelam siue sermonem, vt per sermonem homines se inuicem doceant, & vnus ab alio suscipiat disciplinam. Et quia hoc fieri non potest, nisi simul cũ alijs conuiuamus: naturale est homini simul

3. de Anima Tex. 38.

Infra, Lib. 3. par. 1. cap. 4.

con-

conuiuere cum alijs, & esse animal sociale. Vnde & Philosophus 1. Politicorum inter alias rationes, quas tangit, probantes hominem naturaliter esse sociale animal, potissime innititur huic rationi, videlicet, quod quis sermo est ad alterum vt ad socios, ex quo natura dedit homini sermonem, quem non dedit animalibus alijs, sequitur hominem magis naturaliter esse animal sociale, quam animalia cetera. Quare si sic naturale est, hominem esse animal sociale: recusantes societatem, & nolentes ciuiliter viuere, vt supra in primo libro tetigimus, & vt infra tangentur, quasi non viuunt vt homines. vel ergo hoc contingit eis, quia deficiunt à modo humano, & tunc sunt quasi bestiæ. vel quia modum humanum excedunt, cuiusmodi sunt viri contemplatiui, & tunc sunt quasi dij. Ideo dicitur primo Politicorum quod eligens solitariam vitam, non est pars ciuitatis: sed aut est bestia, aut Deus. Ad literam enim, eligentes non conuiuere alijs, vel hoc est, quia nimis sunt scelerati, & non possunt societatem aliorum supportare, & tunc sunt quasi bestiæ. vel quia sunt nimis boni, & volunt vacare contemplationi & ocio, & tunc sunt quasi diuini.

Pol. 1. cap 2. *Pol. 1. cap. 2.*

Decet ergo omnes homines, & maxime Reges & Principes diligenter aduertere, quantum deseruiat societas humanæ vitæ: vt ad bene viuere sciant se, & alios ordinare.

Quo-

Quomodo se habet communitas domus ad communitates alias, & quomodo huiusmodi communitas sit necessaria in humana vita. Cap. II.

DVbitare forte aliquis, dicens nos ſcientiarum limites ignorare: quia ſocietas, ſiue communitas illa, per quam nobis ſufficimus in victu & veſtitu, & in alijs neceſſarijs ad vitam, non videtur eſſe communitas domeſtica, ſed ciuilis: quia ſecundum Philoſophum 1. Politicorum, Communitas domus, non eſt ſufficiens in vita tota. Pol. 1. Cap. 1. 2 Ideo enim inuenta fuit ciuitas, vt expedientia ad vitam, quæ in vna domo, vel in vno vico reperiri non poſſunt, reperirentur in vico alio, vel in alia parte ciuitatis. Ciuitas ergo, ſi ſit recte ordinata, continere debet expedientia in tota vita, vt in tertio libro plenius oſtendetur. Quare ſi determinare de communitate ciuium non ſpectat ad hunc librum, vbi agitur de regimine domus; ſed ad tertium, vbi agitur de regimine ciuitatis: videmur tranſgreſſi fuiſſe limites huius artis, determinando in præcedenti capitulo aliqua pertinentia ad communitatem ciuitatis. Sed ſi diligenter aſpicimus, quomodo communitas domeſtica ſe habet ad communitates alias: cum quęlibet communitas includat communitatem domeſticam, nec poſſit eſſe ciuitas, neque vicus, niſi habeant eſſe domus: ſi communitas aliqua eſt neceſſaria in humana vita: ſequitur communitatem domus ad huiuſmodi vitam neceſſariam eſſe. In præcedenti ergo capitulo determinauimus de ſocietate humana, oſtendentes eam eſſe neceſſariam ad vitam noſtram: quia per hoc manifeſte oſtenditur neceſſariam eſſe communitatem domeſticam: cum omnis alia communitas communitatem

illam

illam præsupponat. Aduertendum ergo quod si dicta Politica diligenter consideremus, apparebit quadruplicem esse communitatem. videlicet, domus, vici, ciuitatis, & regni. Nam sicut ex pluribus personis fit domus, sic ex multis domibus fit vicus, & ex multis vicis ciuitas, & ex multis ciuitatibus regnum. quare sicut singulares personæ sunt partes domus, sic & domus sunt partes vici, ciuitatis, & regni. Non tamen eodem modo: sed vici sunt pars immediata, quia immediate ex domibus constituitur vicus. ciuitatis vero domus partes esse dicuntur, quia constituendo vicum, ex consequenti constituere possunt ciuitatem, & regnum. Hoc ergo modo communitas domus se habet ad communitates alias: quia omnes aliæ ipsam præsupponunt: & ipsa est quodammodo pars omnium aliarum. Naturalis enim origo ciuitatis vt patet per Philosophum 1. Politicorum, hoc modo existit, quia primo facta fuit vna aliqua domus: sed crescentibus filijs & filiabus, & non valentibus præ multitudine habitare in domo illa, construxerunt sibi domos annexas: & sic ex multis domibus factus fuit vicus. Vnde & 1. Politicorum, dicitur, quod vicus est vicinia domorum, quos vocant quidam collectaneos & pueros puerorum. Naturalis ergo origo vici, est ex conuicinia domorum, quas construxit multitudo collectaneorum, & puerorum, siue filiorum. Nam, vt tangebatur, crescentibus collectaneis idest nepotibus, & filijs, & filiorum filijs: & non valentibus habitare in vna domo, compulsi sunt facere domos plures, & constituere vicum. Sic procedente generatione ipsorum, & vlterius augmentata multitudine, facta est pluralitas vicorum, & per consequens factum est castrum vel ciuitas; vlterius vero multiplicatis castris, & ciuitatibus, factus est principatus, & regnum. Vtrum autem alio modo sit possibilis generatio vici, ciuitatis, vel regni, quam ex crescentia collectaneorum vel filiorum, plenius infra ostendetur: ad

Pol. 1. cap. 1.

Pol. 1.

præ-

præsens vero in tantum dictum sit, quod huiusmodi generatio est maxime generalis: quia procedit ex genere quod est opus naturæ. quicquid tamen sit de hoc, & qualitercunque constituatur vicus, ciuitas, siue regnum, semper sic se domus habet ad communitates alias, quòd est pars omnium aliarum, & aliquo modo eam omnes aliæ præsupponunt. Viso, quomodo communitas domus se habeat ad communitates alias: de leui patet, quomodo huiusmodi communitas sit necessaria in humana vita. Nam si omnes communitates aliæ domum præsupponunt: si aliqua communitas est necessaria ad per se sufficientiam vitæ, oportet communitatem domus necessariam esse. Reges ergo & Principes, quorum officiũ est dirigere alios ad bene viuere, ignorare non debent, quomodo domus & ciuitates deseruiunt ad sufficientiam humanæ vitæ.

Quòd communitas domus est aliquo modo communitas prima, & quod est naturalis, & quod Reges & Principes, & vniuersaliter omnes ciues hoc ignorare non debent. Cap. III.

NE laboremus in æquiuoco, cũ de domo loquimur, sciendum quod domus nominari potest ædificium constitutum ex pariete, tecto, & fundamento: vel nominare potest familiam in ea contentam. Sicut & ciuitas aliquando muros, & ambitum ciuitatis: aliquando vero gentem habitantem in ipsa. Dicimus enim aliquando ciuitatem aliquam hoc fecisse, non quod muri vel ædificia hoc egerint, sed quia incolæ ciuitatis fecerũt illud. Sic aliqui dicere consueuerũt domos suas hoc operatas esse,

non

non quia lapides illud egerint, ſed quia ſui progenitores fecerunt iſtud. quare ſicut communicatio ciuium ciuitas nominatur, ſic ſocietas & communicatio perſonarum habitantium in vna domo domus nuncupari poteſt. Domus ergo de qua principaliter intenditur in morali negocio non eſt ipſum ædificium, ſed eſt communicatio domeſticarum perſonarum. ſpectat enim ad moralem Philoſophum, vt ad œconomicum, determinare de ædificijs domorum: quia ſpectat ad ipſum vniuerſaliter & typo oſtẽdere, quod decet homines habere habitationes decentes ſecundum ſuam poſſibilem facultatem. non tamen ſpectat ad ipſum principaliter determinare de domo, vt nominat ædificium conſtructum: ſed determinare debet de domo, quæ eſt ædificium, prout habet ordinem ad domũ, quæ eſt communitas perſonarum. ſicut ſpectat ad Politicum determinare de ordine domorum, & de cõſtructione vici, & de fabrica ciuitatis, vt ordinantur ad cõmunitatem, & ad politiam ciuium. Intendimus ergo oſtendere de domo, quæ eſt communitas perſonarum domeſticarum, quomodo ſit communitas prima. Notandum ergo, quod Primum multipliciter diſtingui poteſt. Eſt enim primum in opere: & primum in intentione: & eſt primum in via generationis & temporis: & primum in via perfectionis & complementi. Videmus quod ea, quæ ſunt ad finem, præcedunt finem in opere & in executione: ſed finis præcedit ea ſecundum intentionem agẽtis. Agens enim primo & principaliter intendit finem. Verùm quia non poteſt habere finem, niſi per ea, quæ ſunt ad finem: modus executionis & operis eſt contrarius intentioni & voluntati. Nam intendimus & volumus ea quæ ſunt ad finem, intendendo & volendo finem, ita quod finis eſt primo volitus & intentus: ſed in operando, & exequendo eſt econtrario. Nam per opus conſequitur finem, operando ea quæ ſunt ad finem, ita quod ea quæ ſunt ad finem licet ſint poſteriora & in voluntate & in

inten-

intentione, sunt tamen priora in executione & opere: nā si finis esset aliquid primo operatum, cum adepto fine cesset operatio, nunquam operaremur ea, quæ sunt ad finem. Vnus ergo modus distinguendi prioritatem, est, quia aliquid est primum in voluntate, & in intentione: aliquid vero in executione, & opere. Alius vero modus distinguendi prioritatem esse potest: quia aliqua est prioritas in via generationis & temporis: aliqua vero in via perfectionis & complementi. vt puer est prior viro generatione & tempore, qua prius tempore aliquis generatur & efficitur puer quam efficitur vir: verumtamen vir est prius puero perfectione & complemento, quia vsus rationis & alia quæ requiruntur ad perfectionem humanam, per amplius & perfectius reseruantur in viro quam in puero. Sic ergo distinctis prioritatibus; de leui patet, quomodo communitas domus se habet ad communitatē ciuitatis, & ad communitates alias. Nam in executione & opere domus præcedit uicum, ciuitatem, & regnum: sed in uoluntate & in intentione communitates illæ præcedunt communitatem domesticam. Rursus uia generationis & temporis domestica communitas præcedit communitates alias: sed in uia perfectionis & complementi communitates aliæ præcedunt ipsam. Videtur cōmunitas domus ad communitates alias dupliciter se habere. Primo, quia huiusmodi communitas respectu aliarum est imperfecta: omnes uero aliæ sunt perfectiores ipsa. cum enim omnis alia communitas includat communitatem domus, & addat aliquid supra ipsam; omnes aliæ communitates sunt perfectiores ea. Habet ergo se communitas domus ad communitates alias, sicut imperfectum ad perfectum, & sicut pars ad totum. Rursus huiusmodi communitas se habet ad alias, sicut quod est ad finem se habet ad ipsum finem. Nam domus tanquam ad finem ordinatur ad uicum, ciuitatem, & regnum. Est enim domus propter uicum, uicus propter ciuitatem,

ciuitas

ciuitas propter regnum. Communitas ergo vici est finis communitatis domus, communitas ciuitatis communitatis vici: sed communitas regni est finis omnium prædictorum. Quare cum imperfectum in via generationis & imperfectionis præcedat perfectum, perfectum verò præcedat ipsum in via perfectionis, & cóplementi: bene dictum est, communitatem domus esse priorem alijs tẽpore & generatione; esse tamen posteriorem illis perfectione & complemento. Vnde & Philosophus 1. Politicorum comparans ciuitatem ad vicum & domum, ait, quod prima communitas est cõmunitas ciuitatis: quod non est intelligendum de prioritate generationis vel temporis, cum ipsemet dicat ciuitatem procedere ex multiplicatione vici, sicut & vicus procedit ex multiplicatione domorum, intelligendum est ergo hoc de prioritate perfectionis, & complementi. Amplius cum communitas domus ad communitates alias non solum se habeat sicut imperfectum ad perfectum, sed etiam sicut quòd est ad finem ad ipsum finem: domus respectu aliarum communitatum non solum est prior tempore, & posterior perfectione, sicut imperfectum se habet ad perfectum, sed etiam est prior in opere, & posterior in intentione: quia quod est ad finem, hoc modo se habet ad ipsum finẽ; spectat enim non solum ad Principem siue ad legislatorem, sed etiam ad quemlibet ciuem prius intendere bonum ciuitatis & regni, quam etiam bonum propriæ domus; vt in tertio libro plenius ostendetur. Viso, quomodo cõmunitas domus aliquo modo est prior, quam communitates aliæ: de leui videri potest, quomodo sit huiusmodi communitas naturalis. Nam cum natura non præsupponat artem, sed ars naturam: quicquid arte naturali supponitur, non proprie quid artificiale erit, sed oportet illud (secundum quod huiusmodi est) naturale esse. Quare si homo est naturaliter animal communicatiuum & sociale, cum omnis communitas præsupponat communitatem

Polit. 1. cap. 2.

tatem domus, oportet communitatem domesticam siue domum quid naturale esse. Reges ergo & Principes decet scire gubernare domestica, & regere familiam siue domum, non solum inquantum esse debent viri sociales & politici, quia sic scire gubernationem domus pertinet ad omnes ciues: sed spectat specialiter ad Reges & Principes, quia sicut regnum vel ciuitas præsupponunt esse domum, sic regimen regni & ciuitatis præsupponit notitiam regiminis domus, & personæ propriæ: nunquam enim quis debitus rector regni vel ciuitatis efficitur, nisi se & suam familiam sciat debite gubernare. Quare si specialiter spectat ad Reges & Principes regere regnum & ciuitates, specialiter spectat ad eos, vt sciant domum propriam gubernare, & vt cognoscant quæ & qualis est communitas domus vt se habet ad regnum & ciuitatem, vt est in præsenti capitulo declaratum: nam per hoc magnam viam habebunt ad inuestigandum regimen ciuitatis & regni. Est tamen diligenter notandum quod licet quodam speciali & excellenti modo ad Reges & Principes spectat intendere bonum regni & principatus: attamen huiusmodi bonum intendere spectat ad vnumquemque ciuem, & ad quemlibet incolam ciuitatis; quia bonũ regni est bonum omnium ciuium, & omnium existentium in regno. Ergo tum quia quilibet studere debet vt sit dignus regere & principari, tum etiam quia spectat ad omnes ciues intendere bonum regni: spectat ad vnumquemque ciuem scire regere domum suam, non solum inquantum huiusmodi regimen est bonum proprium, sed etiam prout tale regimen ordinatur ad bonum commune, vt ad bonum regni & ciuitatis.

Qualis sit communitas domus, & quod oportet domum ex pluribus constare personis. Cap. IIII.

Est autem ex præcedenti capitulo aliqualiter declaratum, qualis sit communitas domus: cum ostensum sit quod homo est naturaliter animal domesticũ, & quod communitas domus est quodammodo naturalis. Attamen quia per hoc non sufficienter habetur qualis sit huiusmodi communitas, ideo intendimus aliqua dicere de communitate domestica. Sciendum ergo, Philosophum 1. Politicorum sic describere communitatem domus, videlicet, quod domus est communitas secundum naturam, constituta quidem in omnem diem. In hac autem descriptione aliquid declaratum est per præcedens capitulum, & aliquid restat vlterius declarandum. Nã quod domus sic communitas secundum naturam, superius grosse & figuraliter probabatur, & infra clarius ostendetur. vbi distinguentur omnes partes domus, & probabitur quod quælibet talis pars est aliquid naturale. Restat ergo declarare in descriptione prædicta, quomodo domus sit communitas constituta in omnem diem. Ad cuius euidentiam aduertendum, quod humanorum operũ, & eorum quæ requiruntur ad sufficientiam vitæ, ad quæ ordinatur humana communitas, vt videtur distinguere Philosophus 1. Politicorum, quædam sunt diurnalia, vt illa, quibus indigemus omni die, cuiusmodi est comedere, bibere, & cuiusmodi sunt alia sustentamenta, & seruitia corporalia, quibus quotidie indigemus. Aliqua vero sunt non diurnalia, quibus non quotidie indigemus, vt emptio, & venditio. Nam & si aliqui existentes in aliqua domo, ad sustentationem vitæ quotidie indigent emptione, & venditione, videtur hoc esse ex defectu, & ex corruptione

Pol. 1. cap. 1.

Pol. 1. cap. 5.

ruptione domus: non enim videntur se habere vt incolæ nec vt ciues, sed magis vt peregrini & vt viatores, si ad sustentationem vitæ emptione vel venditione continue egeant. Communitas ergo domus facta fuit propter ea, quibus quotidie indigemus. Verum quia in vna domo non reperiuntur omnia necessaria ad vitam, non sufficiebat communitas domestica, sed oportuit dare communitatem vici, ita quod cum vicus constet ex pluribus domibus, quod non reperitur in vna domo, reperiatur in alia. Propter quod Philosophus 1. Politicorum ait, quod sicut communitas domus constituta est in omnem diem, idest in opera diurnalia: sic in opera non diurnalia constituta est communitas vici. Verum quia etiam in vno vico non reperiuntur omnia necessaria ad vitam, præter communitatem vici oportuit dare communitatem ciuitatis. Communitas ergo ciuitatis esse videtur ad supplẽdam indigentiam in tota vita. Illa ergo videtur esse perfecta ciuitas (vt superius dicebatur) in qua reperiri possunt quæ sunt necessaria vniuersaliter ad totam vitam. Rursus autem, quia contingit ciuitates habere guerras, vtile est vni ciuitati ad expugnandam ciuitatem aliam confœderare se alteri ciuitati: quare cum confœderatio ciuitatum vtilis sit ad bellandum hostes, & ad remouendum prohibentia corruptiua, præter communitatẽ domus, vici, & ciuitatis, inuenta fuit communitas regni & principatus, quæ est confœderatio plurium castrorum & ciuitatum existentium sub vno principe siue sub vno Rege. Erit ergo hic ordo, quod domus est communitas secundum naturam constituta in omnem diem. Vicus autem est communitas constituta in opera non diurnalia. Ciuitas vero est communitas constituta ad sufficientiam in vita tota. Sed regnum est communitas constituta non solum ad supplendum indigentias vitæ, sed etiam ad remouendum prohibentia corruptiua. ad quæ remouendũ vna ciuitas non potest plene sufficere, nisi ei sint adiunctæ

Pol. 1. cap. 1.

aliæ plurimæ ciuitates & castra. Patet ergo qualis sit cōmunitas domus, quia est communitas naturalis constituta propter opera diurnalia & quotidiana. Quòd autem oporteat domum ex pluribus constare personis, videre non est difficile. Nam cum domus (vt patet ex habitis) sit communitas quædam & societas personarum: cum nō sit proprie communitas nec societas ad seipsum, si in domo communitatem saluare volumus, oportet eam ex pluribus constare personis; immo (vt infra patebit, & vt vult Philosophus 1. Polit.) non solum domus est communitas quædam, sed in domo oportet dare plures communitates: quod sine pluralitate personarum esse non potest. Patet ergo quod domus ex pluribus constat personis. Patet etiam qualis sit, & quomodo sit necessaria. Nā (vt est ex habitis manifestum) in vita humana non solum est expediens communitas domus, sed & vici, ciuitatis, & regni. Vtrum autem propter alias causas, quàm propter iam dictas, sit expediens communitas ciuitatis, & regni, in tertio libro plenius ostendetur. Ad præsens autem sufficiat in tantum tangere de regno & ciuitate, inquantū eorum notitia aliquo modo deseruit ad cognoscendum domum, & ad sciendum qualiter sit regenda. Nam (vt superius tangebatur) in hoc secundo libro intenditur principaliter regimen domus, non autem regimen ciuitatis. His sic pertractatis, cum communitas domus sit tam necessaria in vita ciuili, spectat ad quemlibet ciuem scire debite regere suam domum: tantò tamen magis hoc spectat ad Reges & Principes, quantò ex incuria propriæ domus magis potest insurgere præiudicium ciuitati & regno, quam ex incuria aliorum.

Polit. 1. cap. 1. 3

Quòd

Quod oportet in domo saltem duas communitates esse, & quod oportet eam constare ex tribus generibus personarum. Cap. V.

PHilosophus 1. Politic. vult, quod ex duabus communitatibus, videlicet, ex communitate viri & vxoris, domini & serui, constat domus prima. Dicit autem domũ primam ex his duabus communitatibus constare. quia saltem ad constitutionem domus hæ duæ communitates requiruntur. Ex illis enim dicitur domus constare, sine quibus congrue esse non potest. Quòd vero sine viro & vxore, & domino & seruo, domus (de qua hic loquimur) congrue non possit existere, sic potest ostendi. Nã domus (vt superius dicebatur, & vt in prosequendo melius declarabitur) est quid naturale. Maxime autem quid naturale esse videtur, rerum generatio, & earum conseruatio. Cum enim generatio (vt dicitur 2. Physicorum) sit via in naturam, & cum res naturales per generationem propriam naturam accipiant, bene dictum est quod Damascenus ait, generationem esse quid naturale, & esse opus naturæ. Rursus rerum conseruatio, quid naturale est. Nam frustra esset aliquid naturaliter generatum, si non posset in esse conseruari. Hæc ergo duo naturæ opera, videlicet, rerum generatio, & earum conseruatio, non debent ab inuicem separari. Nam non est separanda conseruatio à generatione: quia hæc illã præsupponit. Nam cũ generata non possint conseruari in esse nisi prius per generationem acceperint esse, conseruatio rerum generatarum esse non potest nisi ipsam earum generatio antecedat. Sic etiã generatio à conseruatione separari non debet: quia (vt dicebatur) frustra esset aliquid generatum, si nullo modo posset in esse conseruari.

Pol. 1. cap. 1.

Phys. 2. Te. 14.

Hoc ergo modo hæ duæ communitates faciunt domum esse quid naturale: quia communitas viri & vxoris ordinatur ad generationem, cõmunitas vero domini & serui ad conseruationem. Quare si generatio & conseruatio est quid naturale, oportet domum quid naturale esse. Amplius, quia generatio & conseruatio ab inuicem separari non debent, hæ duæ communitates videntur constituere domum primam: quia sine eis domus congrue esse non valet. Quòd autem communicatio viri & vxoris sit propter generationem, videre non habet dubium: nam propter bonum prolis principaliter instituta est societas maris & fœminæ. Sed quod communitas domini & serui sit propter salutem & conseruationem, non videtur adeò manifestum. Sciendum ergo quod si aliquis debite dominatur & alius debite seruit, dominus saluatur propter seruum, & seruus propter dominum, ita quod idem expedit domino & seruo. Expedit enim seruo, vt seruiat domino: & expedit domino, vt seruiatur à seruo. Nam ille proprie est dominus, qui viget intellectu: ille vero est proprie seruus (vt patet per Philosophus 1. Politic.) qui deficiens intellectu, pollet fortitudine corporali. Seruus ergo, quia seipsum nescit dirigere, expedit ei vt obtemperet & vt seruiat ei, qui viget prudentia & intellectu, vt consequatur salutem per eum, & vt dirigatur per ipsum. Nam deficiens intellectu, est quasi cœcus, & nescit qualiter sit eundum. Qui ergo est huiusmodi, quanto magis pollet viribus corporalibus, tanto propter salutem propriam magis indiget dirigente. Sicut enim cæcus corporaliter, nisi (cum pergit) dirigatur ab aliquo, de leui obuiat alicui offensiuo: & quanto fortius pergit, tanto magis indiget tali dirigente, quia magis offendi potest. Sic quia naturaliter seruus pollet viribus, & deficit sciẽtia, & cognitione: si saluari debet, expedit ei vt obtemperet, & seruiat vigenti prudentia, & intellectu. Expedit ergo seruo, vt seruiat domino: sic vt expedit domino,

Polit. 1. cap. 1.

vt ei

vt ei seruiatur à seruo: nam naturaliter domini vigent prudentia, & intellectu. Cum ergo vigentes intellectu, & existentes apti mente, vt plurimum habeant molles carnes, & deficiant corporalibus viribus (iuxta illud Philosophi in 2. de Anima, Molles carne aptos mente esse dicimus) expedit hominibus dispositis, vt eis seruiatur ab alijs: quia propter defectum fortitudinis corporalis, in exequendo necessaria ad vitam, sibi ipsis non possunt sufficere. Quare si dominus saluatur propter seruum, & seruus propter dominum, bene dictum est quòd superius dicebatur: quia sicut ad constitutionem domus requiritur communitas viri & vxoris propter generationem, sic requiritur ibi communitas domini & serui propter salutem & propter conseruationem. Hæ ergo duæ communitates, quarum vna deseruit generationi, & alia conseruationi, dicuntur facere primam domum: quia sine eis domus congrue non potest existere. Vtrum autem communitas domini & serui naturaliter instituta sit ad salutē & in cōseruationem, quam ex eo quod dominus saluatur propter seruum, & seruus propter dominū, infra clarius ostendetur. Viso, quomodo saltem hæ duæ communitates requiruntur ad domum, quia secundum Philosophum ex eis constare dicitur domus prima: de leui videri potest, quomodo ad constitutionem huius domus saltem requiruntur ibi tria genera personarum. Videretur enim forte alicui, quod cum domus prima constet ex duabus communitatibus, & qualibet communitas requirat duas personas uel duo genera personarum, quod domus prima ratione duarum communitatum requirat quatuor genera personarum, ita quod prima persona erit uir, secunda uxor, tertia dominus, quarta seruus. Sed uir, & dominus non dicunt aliam, & aliam personam. Ille enim idē, qui est uir uxoris, est dominus serui; uel seruorum, si in domo illa plures existant serui. Tria ergo genera personarum, uel aliquid loco eorum constituunt domum primam.

2. de Anima tex. 94.

Dicimus autem aliquid loco eorum, quia non semper seruus concurrit ad constitutionem domus, sed semper concurrit ibi aliquid loco serui, vt vult Philosophus 1. Politic. Nam vt ait, pauperes homines, qui non possunt habere seruum & ministrum rationalem, est eis bos vel aliquod aliud animal pro seruo, & habent ministrum irrationalem. immo aliqui sunt ita pauperes, qui non solũ non possunt habere ministrum rationalem, sed etiam habere non possunt ministrum animatum: sed loco eius habent aliquid inanimatum. vt qui sunt adeo pauperes, qui neque boues, neque equos habere possunt tanquam ministros arantes & scindentes terrã, loco bouis vel equi habent ligonem quandam vel aliquod aliud instrumentũ: ita quod nimis pauperibus ad scindendam terram, est pro instrumento vel ministro ligo. quòd alijs non sic pauperibus ad huiusmodi officium faciendum obsequitur bos vel equus. Domus ergo prima dicitur constare ex tribus: videlicet, ex viro, vxore, seruo vel aliquo loco serui. Vnde & Philosophus 1. Politicorum commendat Hesiodũ, dicentem domum constare ex tribus: videlicet ex viro, & muliere, & boue aratore. Posuit enim ibi bouẽ loco serui: quia pauperes homines (vt idem Philosophus innuit) loco serui habent bouem, vel habent aliquid aliud loco bouis. Decet autem omnes ciues cognoscere partes, ex quibus cõponitur domus: quia eis ignoratis ignorabitur regimen ipsius domus. multo magis tamen hoc decet Reges & Principes. Quia ergo cognitio partium domus, & scire quot genera personarum, & quot communitates requiruntur ad domum: secundum Philosophum 1. Politicorum, non solum deseruit regimini domestico, sed etiam regimini regni & ciuitatis; quia partes domus sunt partes ciuitatis, & regni.

Pol. 1. cap. 1.

Polit. 1.

Polit. 1. cap. 3.

Quod

Quod in domo perfecta oportet esse tres communitates, quatuor genera personarum, tria regimina: & quod oportet hunc secundum librum diuidere in tres partes. Cap. VI.

DIcebatur enim in præcedenti capitulo, duas communitates, videlicet, viri & vxoris, domini & serui, facere domum primam. Sed tamen, si domus debet esse perfecta, oportet ibi dare communitatem tertiam, scilicet patris & filij. Videmus enim in naturalibus rebus quod statim quum generatæ sunt, natura est solicita de eorum salute: ita quod generatio & saluatio sunt prima opera naturæ, merito ergo communitas viri & vxoris, quæ est propter generationem; & domini & serui, quæ est propter saluationem, faciunt domum primam. Sic ergo saluatio comparatur ad rem generatam: quia statim cum res est genita, solicitatur natura circa salutē eius. producere tamen sibi simile, non sic comparatur ad res naturales: quia non statim cùm est res naturalis, potest sibi simile producere, sed oportet prius ipsam esse perfectam. statim enim, cum natus est homo, solicitatur natura circa conseruationem ipsius: non tamen statim potest generare, nec statim potest sibi simile producere, sed oportet prius ipsum esse perfectum: producere ergo sibi similem, non est de ratione rei naturalis quocūque modo sumptæ; sed est de ratione eius, vt habet esse perfectum. Si ergo domus est quid naturale, & ea quæ videmus in domo, reducere volumus in naturales causas, dicemus duas cōmunitates, videlicet, viri & vxoris, & domini & serui, esse de ratione domus primæ, quia sine eis

domus

domus congrue esse non potest: sed tertiam etiam communitatem, quæ est patris & filij, non dicemus esse de ratione domus quocunque modo sumptæ, sed erit de ratione eius, vt habet esse perfectum. Sicut enim videmus in vna persona singulari sic & in domo tota debemus aduertere. Nam semper multitudo ab vnitate procedit, propter quod ordine naturali quæ videmus in multitudine domestica, quodammodo in vna persona singulari reseruantur. Sic enim videmus in vno singulari homine, quod generari & saluari sunt de ratione hominis primi: sed producere sibi simile, est de ratione hominis iam perfecti. Cum enim primo homo est, oportet quod sit genitus: & natura statim est solicita de salute eius. non potest tamen sibi simile producere, nisi sit iam perfectus. Quare cum communitas patris ad filium sumat originem ex eo quod parentes sibi simile produxerunt: huiusmodi communitas non dicitur esse de ratione domus primæ, sed est de ratione domus perfectæ: vnde & Phil. 1. Poli. cũ prius dixisset communitatem viri & vxoris, domini & serui facere communitatem primam: postea in sequenti capitulo prædicti libri ait, quod ad domum perfectam requiritur communitas tertia, videlicet patris & filij. Quod aũt ad perfectionem domus requiratur hæc tertia communitas, triplici via venari possumus. Videmus enim quod potentia fructificare & agere, sunt perfectiora non potentibus. Rursus sunt perfectiora perpetua non perpetuis. Sic & feliciora sunt perfectiora infelicibus. Ergo quod ad perfectionem domus requiratur tertia communitas, quæ est patris & filij, primo possumus probare ex parte generationis & fructificationis naturalis. Secundo ex parte perpetuitatis. Et tertio ex ipsa felicitate. Prima via sic patet. Nam secundum Philosophum. Tunc vnumquodq; perfectum est, cum potest sibi simile producere. Ad hoc enim quod aliquid sit perfectum, non oportet quod sibi simile producat, sed quod possit sibi simile producere:

Polit. 1. cap. 3.

2. de Anima cap. 34.

per-

perfectio enim consideräda est ex natura & ex forma rei, per quam aliquid est in actu, & potest agere. quare si est impotens ad agendum, sequitur quod ei deficiat aliqua forma vel aliqua perfectio, quæ sit principium actionis. Impotens autem ad agendum dicitur aliquid, cum præsente proprio passiuo, non producat sibi simile. quare cum propriũ actiuum generationis sit masculus, & proprium susceptiuum sit fœmina: si in domo aliqua est cõiunctio maris & fœminæ; & tamen non est procreatio prolis, vel mas est imperfectum actiuum, vel fœmina est imperfectum susceptiuum. Sterilitas ergo filiorum in vita politica, vel est ex imperfectione maris, vel fœminæ, vel vtriusque. Sed cum mas & fœmina, vir & vxor sit prima pars domus & prima communitas, quæ requiritur in vita domestica: quia ex imperfectione partium, & maxime principalium resultat imperfectio totius, tota illa domus dicitur imperfecta, vbi non est pullulatio filiorum. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte naturalis perpetuitatis. Nam cum homines non possunt per seipsos perpetuari in vita, sed quodammodo perpetuatur humana vita per successionem filiorũ: domus vbi est carentia prolis, cito efficitur deserta secundum ordinem naturalem. Continua enim habitatio domus vno modo est naturalis, vt si per creationem filiorũ domus ista continue habitetur. Alio modo est quasi casualis, vt si prioribus habitatoribus defunctis, vel recedẽtibus, noua familia inhabitet domum illam. Naturalis ergo habitatio domestica naturaliter perpetuari non potest, nisi per generationem, quæ est opus naturæ, & nisi sit ibi excrescentia filiorum. Sed si perpetuum est perfectius non perpetuo: imperfecta est domus, vbi desunt filij, per quos habitationem domesticam naturaliter quodãmodo contingit perpetuari. Tertio autem declarari potest ex parte ipsius felicitatis. Nam filij, & ciuilis potentia, & cetera talia, licet non sint essentialia felicitati: faciunt tamen

men ad quandam claritatem felicitatis politicæ. vnde
Eth. 1. cap. 10. Philosophus 1. Ethic. ait, quod aliqui denudati quibusdã, coinquinant beatitudinem. Nam specie turpis, ignobilis, & solitarius, & sine filijs, omnino felix esse non potest. dicitur enim talis non esse omnino felix, quia non habet felicitatem politicam cum omni sua claritate. Patet ergo quod ad hoc quod domus habeat esse perfectum, oportet ibi esse tres communitates. vnam viri & vxoris, aliam domini & serui, tertiam patris & filij. Ex his autem patere potest, quod oportet in domo perfecta esse tria regimina. Nam nunquam est dare communitatem aliquam bene ordinatam, nisi aliquid sit ibi dirigẽs, & aliquid directum: vel nisi aliquid sit ibi principans, & aliquid obsequens. Quare cum in communitate maris & fœminæ, mas debet esse principans, & fœmina obsequẽs: in communitate vero patris & filij, pater debet esse imperans, & filius obtemperans; in communitate quidem domini & serui, dominus debet esse præcipiens, & seruus ministrans & seruiens, in domo perfecta (vt vult Philo-
Polit. 1. cap. 3. sophus 1. Politicorum) sunt tria regimina, vnum coniugale, secundum quod vir præest vxori: aliud paternale, secundum quòd pater præest filio: tertio dominatiuum & despoticum, secundum quòd dominus præest seruis. Viso, in domo perfecta esse communitates tres, & tria regimina: de leui patere potest, quod ibi oportet esse quatuor genera personarum. Videretur tamen forte alicui ibi debere esse sex genera personarum, ita quod prima persona sit ibi vir, secunda vxor, tertia pater, quarta filius, quinta dominus, sexta seruus. Sed vir, pater, & dominus vnam tantum personam nominant. Nam ille idem, qui est vir vxoris, est pater filiorum, & dominus seruorum. Patet ergo quot communitates sunt in domo perfecta, & quot regimina, & quot genera personarum. De leui ergo patere potest, quot partes habere debeat hic secundus Liber, in quo tractatur de regimine domus.

domus. Nam cum in domo perfecta sint tria regimina, oportet hunc librum tres habere partes. in quarum prima tractetur primo de regimine coniugali: in secunda de paternali: in tertia, de dominatiuo. Hæc autem tria regimina bene cognoscere maxime decet Reges & Principes; quia eis diligenter inspectis, magnum adminiculum habebunt, vt bene sciant regere regnum, & ciuitatem.

Quòd homo est naturaliter animal coniugale. & quod nolentes nubere, non viuunt vt homines, sed vel viuunt vt bestiæ, vel viuunt vt dij.
Cap. VII.

DIcebatur in præcedenti capitulo, tria esse determinanda in hoc secundo libro, in quo agitur de regimine domus, secundum quod in ipsa domo tria contingit esse regimina. videlicet, coniugale, paternale, & dominatiuum. Inter hæc autem regimina, primo agendũ est de regimine coniugali: quia secundum Philosophum 1. Politic. in communitate domestica, primum oportet congregare marem, & fœminam. Est autem hic ordo rationabilis. Nam primò aliquid generatur, secundò conseruatur in esse; tertiò perficitur, & potest sibi simile producere. Communitas ergo maris & fœminæ, quæ est propter generationem, est prima pars domus, & præcedit communitatem domini & serui, quæ est propter salutem & conseruationem; & etiam præcedit communitatem patris & filij, quæ non respicit domum primam, vel domum quocunque modo sumptam, sed domum habentem esse perfectum. Primo ergo dicendum est de regimine coniugali, quòd respicit communitatem viri & vxoris, quã de regimine dominatiuo, quòd

quòd respicit communitatem domini & serui; vel quam de regimine paternali, quod respicit cõmunitatem patris & filij. In determinando autem de regimine coniugali, hunc tenebimus ordinem: quia primo dicemus, quale sit ipsum coniugium, & quales vxores, ciues, & maxime Reges & Principes deceat sumere. Deinde ostendemus, qualiter viri suas vxores regere debeant & ad quas virtutes, & ad quæ opera eas debeant ordinare. In ostendẽdo quidem quale sit ipsum coniugium, primò declarandũ occurrit, coniugium esse aliquid secundum naturam, & quod homo naturaliter est animal coniugale. Sciendum ergo quod Philosophus 8. Ethic. volens ostendere qualis amicitia sit viri ad vxorem, probat amicitiam illam esse secundum naturam: adducens triplicem rationem quod homo sit naturaliter animal coniugale. Prima ratio sumitur ex parte societatis humanæ. Secunda ex parte procreationis prolis. Tertia ex parte operum. Probabatur enim in primo capitulo huius secundi libri, hominẽ esse naturaliter animal sociale & communicatiuum. Communitas autem in vita humana (vt supra tangebatur) ad quadruplex genus reducitur: quia quædam est cõmunitas domus, quædam vici, quædam ciuitatis, quædam regni. Omnes autem hæ communitates præsupponunt communitatem domesticam. Cum ergo domus sit prior vico, ciuitate, & regno: homo naturaliter magis est animal domesticum, quam ciuile: & communitas domus magis videtur esse naturalis ipsi homini, quam cõmunitas vici, ciuitatis, & regni. Nam si considerentur ea, ad quæ ordinatur communitas domestica, non videtur habere dubiũ, quin communitas domus magis sit naturalis homini, quã vici, ciuitatis, & regni. Ordinatur enim domus ad nutritionem, quæ maxime est necessaria indiuiduo, & quæ maxime expedit bono proprio: ordinatur etiam ad generationem, quæ maxime expedit conseruationi speciei, & bono communi. Vicus autem, ciuitas, & regnum nõ sic

Eth 8. cap. 10. & 11. Alex. li. 4. cap. 8. Gedier.

immediate ordinantur ad nutritionem propter bonum personæ propriæ, & ad generationem propter conseruationem speciei, sicut communitas domus. nam si prædictæ communitates ordinantur ad nutritionem, & ad generationem; hoc est, prout ex bonitate earum consurgit bonitas ipsius domus: ipsa enim domus est inde melior, sic est in bono vico, vel in bona ciuitate, aut in bono regno. Si ergo homo magis est naturaliter animal domesticum, quam politicum: cum prima communitas ipsius domus sit coniunctio viri & vxoris, sequitur ex parte ipsius communitatis humanæ, quod homo magis sit animal coniugale quod politicum; & quod magis sit communicatiuum communitate coniugali, quam communitate vici ciuitatis, & regni: quia domus, cuius regimen primum est coniugale, est prior vico, regno, & ciuitate. Hanc autem rationem tangit Philosophus 8. Ethic. dicens: Homo enim natura magis est coniugale animal quam politicum, quanto domus est prior & magis necessaria ciuitate. Secundo homo est naturaliter animal coniugale ex parte procreationis prolis. Nam illud maxime videtur naturale, ad quod homo habet naturalem impetũ: quare cum homo & omnia animalia naturaliter inclinentur, vt velint producere sibi simile, quia in hominibus hoc debite fit per coniugium, homo naturaliter est animal coniugale. Hanc autem rationem tangit Philosophus 1. Politicorum, & 8. Ethicorum, vbi probat coniugium competere homini secundum naturam, quia naturale est homini, & omnibus animalibus, habere naturalem impetũ ad producendũ sibi simile. Tertia ratio sumitur ex parte operum: quia (vt dicitur 8. Ethicorum) confestim enim diuisa sunt opera viri, & vxoris. opera enim viri uidentur esse in agendo, quæ sunt fienda extra domum: opera uero uxoris in conseruando suppellectilia, uel in operando aliqua intra domum. ponentes ergo propria ad commune, ut cum uxor propria sua ordinat in bonum uiri, uel

Eth. 8. cap. 12.

Polit. 1. & Eth. 8 cap. 1. cap 12.

Eth. 8.

in bonum totius domus: & vir propria sua ordinat in bonum domus,& in bonum vxoris: sufficiunt sibi in vita, vt dicitur 8. Ethic. Nam sic propria ordinare ad bonum commune, facit ad quandam sufficientiam vitæ. Quare si naturale est homini, habere impetum ad sufficientiam vitæ: naturale est ei,quod velit esse animal coniugale.sed si coniugium est quid naturale, sequitur quod fornicatio, quæ contrariatur coniugio, sit vniuersaliter à ciuibus vitanda, tanquam aliquid contrarium rei naturali: quam videlicet fornicationem, & vniuersaliter omnem venereorum vsum illicitum, tanto magis decet fugere Reges & Principes, quanto decet eos meliores & virtuosiores esse. His visis, quædam dubitatio videtur ex dictis oriri. Nam si coniugium est homini naturale, reprehensibilis est igitur quicunque non dat operam, vt coniugio copuletur. Sed hæc dubitatio, si considerentur iam dicta, de leui refellitur. Nam si naturale est homini esse animal coniugale, quicunque renuit coniugem ducere, non viuit vt homo. Sed non viuere vt homo, potest esse dupliciter. Vel non viuit vt homo,quia eligit vitam supra hominem, & vult continere vt vacet contemplationi veritatis & operibus diuinis. Vel non viuit vt homo, quia eligit vitam infra hominem, & viuit vt bestia. Quare sicut dicebamus de societate politica, videlicet quod eligens solitudinem,& nolens ciuiliter viuere,vel est bestia, uel est deus. sic & de coniugio dicere possumus. Nam nolens coniugaliter uiuere. uel hoc est, quia uult liberius fornicari. quare eligit sibi uitam infra hominem, & est quasi bestia. uel hoc est, quia uult se dare speculationi ueritatis, & diuinis operibus: quare eligit sibi uitam supra hominem, & est quasi Deus. Non nubentes ergo, si dent se potioribus bonis quam sint bona coniugij, licet non uiuant ut homines, non tamen propter hoc male agunt: quia sunt quasi dij, & sunt hominibus meliores.

Eth. 8. cap. 12.

Infra, Lib. 3. par. 1. cap. 3.

Quòd

Quòd omnes ciues & maxime Reges, & Principes debent suis coniugibus indiuisibiliter adhærere. Cap. VIII.

PRobant autem Philosophi, quod decet coniugia indiuisibilia esse. Ad quod ostendendum adducere possumus duas vias, quas philosophi tegigerunt. Prima via sumitur ex parte fidei, vel ex parte amicitiæ naturalis, quæ debet esse inter virum & vxorem. Secunda vero ex parte prolis. Prima via sic patet. nam cum nunquam aliquis fideliter amicetur alicui, si ab amicitia eius discedat: si inter virum & vxorem debitam fidem, vel fidelem amicitiam saluare volumus, ne sit ibi violatio fidei, oportet virum indiuisibiliter suæ adhærere vxori, & econuerso. cum enim inter virum & vxorem sit amicitia naturalis, vt probatur 8. Ethicorum, cum non sit naturalis amicitia inter aliquos nisi obseruent sibi debitam fidem; ad hoc quod coniugium sit secundum naturam, & ad hoc quod inter vxorem & virum sit amicitia naturalis, oportet quod sibi inuicem seruent fidem, ita quod ab inuicem non discedant. Hanc autem rationem videtur tangere Valerius Maximus in libro de factis memorabilibus, capitulo de institutis antiquis, vbi ait, Repudium inter vxorem & virum, à tempore, quo vrbs Romana fuit condita, vsque ad vigesimum & quingentesimum annum, nullum intercessit. Primus autem, qui dimisit vxorem sterilitatis causa, fuit Spurius Caruilius, qui quamquam tolerabili ratione motus videretur, reprehensione tamen non caruit: quia cuncti arbitrabantur cupiditatem liberorum coniugali fidei non debere præponi. Fides ergo, secundum Valerium Maximum, quam obseruari debet vir vxori, & econuerso, videtur esse vna causa, propter quam

Eth. 8. C. 12.

coniugium manere debet indiuisibile, & inrepudiatum. Decet ergo omnes ciues coniungi suis vxoribus indiuisibiliter absque repudiatione, tanto magis hoc decet reges & principes, quanto magis in eis relucere debet fidelitas, & ceteræ bonitates. Secunda via ad inuestigandũ hoc idem sumitur ex parte prolis. Nam licet coniugium, etiam si sit sterile, indissolubile manere debeat, quia cupiditas filiorum præponi non debet fidei coniugali: attamen si adsit ibi bonum prolis, quia proles est quoddam commune bonum in quo coniungitur vir & vxor, ratione ipsius prolis decet vxorem viro, & econuerso, indiuisibiliter adhærere. Videmus enim quod semper commune bonum (eo quod commune est) coniungit participantes bono illo. Sicut ergo ciuitas coniungit & continet ciues ipsos, ne à ciuilitate recedant, eo quod sit quoddam commune bonum ipsorum: sic filij coniungunt & continent ipsos parentes, ne ab inuicem recedant, eo quod sint quoddam commune bonum ipsorum: semper enim de ratione communis, est quod contineat, vniat, & coniungat, sicut de ratione proprij, est quod diuidat & distinguat. Hanc autem rationem tangit Philosophus 8. Ethic. dicens, quod quia commune continet & coniungit, filij eo quod sint commune bonum vtrorumque, coniugium videtur esse causa, quare sit ipsorum coniunctio. Vnde subdit, quod steriles citius dissoluuntur. Dicit autem steriles citius dissolui, non quia licita sit dissolutio coniugij, etiam si non adsit ibi fecunditas filiorum, vt superior ratio plenius ostendebat. attamen si in coniugio adsit ibi bonum prolis; non solum ex fide, quæ in coniugio est seruanda, inclinantur coniuges, vt sibi inuicem inseparabiliter adhæreant: sed etiam vt sic indiuisibiliter in amicitia permaneant, inclinantur ex ipsa prole, quæ est ipsorum commune bonum. immo eo ipso quod aliqui sunt amici vnius, habent quandam inclinationem vt sint amici inter se parentes, qui naturaliter diligunt suam prolem, ex dilectio-

Eth. 8. C. 12.

lectione naturali quam habent ad ipsam, augmẽtatur eorum amicitia naturalis. Sed cum omnis amor vim quãdam vnitiuam dicat, augmentato amore propter prolem genitam, augumentatur quoque eorum propositum, vt velint inseparabiliter permanere. Patet ergo, quod decet omnes ciues, non solum propter bonum fidei coniugalis, sed etiam propter ipsam prolẽ, ad quam ordinatur coniugium, inseparabiliter conuiuere suis vxoribus. Tantò tamen hoc magis decet Reges & Principes, quantò de prole suscepta præ omnibus alijs debent diligentiorem habere curam. Incuria enim regiæ prolis plus potest inferre nocumenti ipsi regno, quam incuria cuiuscunq; alterius. Quare si amor & diligentia circa prolem facit maiorem vnionem coniugum: quantò maior cura & diligentia adhibenda est circa prolem regiam quam circa alias, tantò magis decet Reges, & Principes, quam diu suæ vxores vixerint, eis inseparabiliter adhærere.

Quòd omnes ciues, & maxime Reges & Principes, vna sola vxore debent esse contenti. Cap. IX.

APud aliquas sectas non reputatur contra dictamen rationis, quod vnius & eiusdem viri simul plures existant vxores. Sed quod recta ratio dictat quoslibet ciues, & maxime Reges & Principes vnica coniuge debere esse contentos, triplici via venari possumus. Prima sumitur ex parte ipsius viri. Secunda ex parte ipsius vxoris. Tertia est ex parte prolis. Prima via sic patet. Nam sicut pluralitas ciborum prouocat ad nimiam repletionem, sic pluralitas mulierum prouocat ad nimiam concupiscentiam venereorum: Quare cum huiusmodi concupiscentiæ (si fortes sint) obnubilent mentem, & rationem percutiant; si indecens est omnibus ciuibus nimis vacare ve-

domus congrue esse non potest: sed tertiam etiam communitatem, quæ est patris & filij, non dicemus esse de ratione domus quocunque modo sumptæ, sed erit de ratione eius, vt habet esse perfectum. Sicut enim videmus in vna persona singulari sic & in domo tota debemus aduertere. Nam semper multitudo ab vnitate procedit, propter quod ordine naturali quæ videmus in multitudine domestica, quodammodo in vna persona singulari reseruantur. Sic enim videmus in vno singulari homine, quod generari & saluari sunt de ratione hominis primi: sed producere sibi simile, est de ratione hominis iam perfecti. Cum enim primo homo est, oportet quod sit genitus: & natura statim est solicita de salute eius. non potest tamen sibi simile producere, nisi sit iam perfectus. Quare cum communitas patris ad filium sumat originem ex eo quod parentes sibi simile produxerunt: huiusmodi communitas non dicitur esse de ratione domus primæ, sed est de ratione domus perfectæ. vnde & Phil. 1. Poli. cũ prius dixisset communitatem viri & vxoris, domini & serui facere communitatem primam: postea in sequenti capitulo prædicti libri ait, quod ad domum perfectam requiritur communitas tertia, videlicet patris & filij. Quod aũt ad perfectionem domus requiratur hæc tertia communitas, triplici via venari possumus. Videmus enim quod potentia fructificare & agere, sunt perfectiora non potentibus. Rursus sunt perfectiora perpetua non perpetuis. Sic & feliciora sunt perfectiora infelicibus. Ergo quod ad perfectionem domus requiratur tertia communitas, quæ est patris & filij, primo possumus probare ex parte generationis & fructificationis naturalis. Secundo ex parte perpetuitatis. Et tertio ex ipsa felicitate. Prima via sic patet. Nam secundum Philisophum. Tunc vnumquodq; perfectum est, cum potest sibi simile producere. Ad hoc enim quod aliquid sit perfectum, non oportet quod sibi simile producat, sed quod possit sibi simile producere:

Polit. 1. cap. 3.

2. de Anima cap. 34.

per-

perfectio enim considerāda est ex natura & ex forma rei, per quam aliquid est in actu, & potest agere. quare si est impotens ad agendum, sequitur quod ei deficiat aliqua forma vel aliqua perfectio, quæ sit principium actionis. Impotens autem ad agendum dicitur aliquid, cum præsente proprio passiuo, non producat sibi simile. quare cum propriū actiuum generationis sit masculus, & proprium susceptiuum sit fœmina: si in domo aliqua est cōiunctio maris & fœminæ; & tamen non est procreatio prolis, vel mas est imperfectum actiuum, vel fœmina est imperfectum susceptiuum. Sterilitas ergo filiorum in vita politica, vel est ex imperfectione maris, vel fœminæ, vel vtriusque. Sed cum mas & fœmina, vir & vxor sit prima pars domus & prima communitas, quæ requiritur in vita domestica: quia ex imperfectione partium, & maxime principalium resultat imperfectio totius, tota illa domus dicitur imperfecta, vbi non est pullulatio filiorum. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte naturalis perpetuitatis. Nam cum homines non possunt per seipsos perpetuari in vita, sed quodammodo perpetuatur humana vita per successionem filiorū: domus vbi est carentia prolis, cito efficitur deserta secundum ordinem naturalem. Continua enim habitatio domus vno modo est naturalis, vt si per creationem filiorū domus ista continue habitetur. Alio modo est quasi casualis, vt si prioribus habitatoribus defunctis, vel recedētibus, noua familia inhabitet domum illam. Naturalis ergo habitatio domestica naturaliter perpetuari non potest, nisi per generationem, quæ est opus naturæ, & nisi sit ibi excrescentia filiorum. Sed si perpetuum est perfectius non perpetuo: imperfecta est domus, vbi desunt filij, per quos habitationem domesticam naturaliter quodāmodo contingit perpetuari. Tertio autem declarari potest ex parte ipsius felicitatis. Nam filij, & ciuilis potentia, & cetera talia, licet non sint essentialia felicitati: faciunt tamen

men

men ad quandam claritatem felicitatis politicæ. vnde
Eth. 1. cap. 10. Philosophus 1. Ethic. ait, quod aliqui denudati quibusdā, coinquinant beatitudinem. Nam specie turpis, ignobilis, & solitarius, & sine filijs, omnino felix esse non potest. dicitur enim talis non esse omnino felix, quia non habet felicitatem politicam cum omni sua claritate. Patet ergo quod ad hoc quod domus habeat esse perfectum, oportet ibi esse tres communitates. vnam viri & vxoris, aliam domini & serui, tertiam patris & filij. Ex his autem patere potest, quod oportet in domo perfecta esse tria regimina. Nam nunquam est dare communitatem aliquam bene ordinatam, nisi aliquid sit ibi dirigēs, & aliquid directum: vel nisi aliquid sit ibi principans, & aliquid obsequens. Quare cum in communitate maris & fœminæ, mas debet esse principans, & fœmina obsequēs: in communitate vero patris & filij, pater debet esse imperans, & filius obtemperans; in communitate quidem domini & serui, dominus debet esse præcipiens, & seruus ministrans & seruiens, in domo perfecta (vt vult Philo-
Polit. 1. cap. 3. sophus 1. Politicorum) sunt tria regimina, vnum coniugale, secundum quod vir præest vxori: aliud paternale, secundum quòd pater præest filio: tertio dominatiuum & despoticum, secundum quòd dominus præest seruis. Viso, in domo perfecta esse communitates tres, & tria regimina: de leui patere potest, quod ibi oportet esse quatuor genera personarum. Videretur tamen forte alicui ibi debere esse sex genera personarum, ita quod prima persona sit ibi vir, secunda vxor, tertia pater, quarta filius, quinta dominus, sexta seruus. Sed vir, pater, & dominus vnam tantum personam nominant. Nam ille idem, qui est vir vxoris, est pater filiorum, & dominus seruorum. Patet ergo quot communitates sunt in domo perfecta, & quot regimina, & quot genera personarum. De leui ergo patere potest, quot partes habere debeat hic secundus Liber, in quo tractatur de regimine domus.

domus. Nam cum in domo perfecta sint tria regimina, oportet hunc librum tres habere partes. in quarum prima tractetur primo de regimine coniugali: in secunda de paternali: in tertia, de dominatiuo. Hæc autem tria regimina bene cognoscere maxime decet Reges & Principes; quia eis diligenter inspectis, magnum adminiculum habebunt, vt bene sciant regere regnum, & ciuitatem.

Quòd homo est naturaliter animal coniugale: & quod nolentes nubere, non viuunt vt homines, sed vel viuunt vt bestiæ, vel viuunt vt dij.

Cap. VII.

DIcebatur in præcedenti capitulo, tria esse determinanda in hoc secundo libro, in quo agitur de regimine domus, secundum quod in ipsa domo tria contingit esse regimina. videlicet, coniugale, paternale, & dominatiuum. Inter hæc autem regimina, primo agendũ est de regimine coniugali: quia secundum Philosophum 1. Politic. in communitate domestica, primum oportet congregare marem, & fœminam. Est autem hic ordo rationabilis. Nam primò aliquid generatur, secundò conseruatur in esse; tertiò perficitur, & potest sibi simile producere. Communitas ergo maris & fœminæ, quæ est propter generationem, est prima pars domus, & præcedit communitatem domini & serui, quæ est propter salutem & conseruationem; & etiam præcedit communitatem patris & filij, quæ non respicit domum primam, vel domum quocunque modo sumptam, sed domum habentem esse perfectum. Primo ergo dicendum est de regimine coniugali, quod respicit communitatem viri & vxoris, quã de regimine dominatiuo,

quòd

men ad quandam claritatem felicitatis politicæ. vnde Philosophus 1. Ethic. ait, quod aliqui denudati quibusdã, coinquinant beatitudinem. Nam specie turpis, ignobilis, & solitarius, & sine filijs, omnino felix esse non potest. dicitur enim talis non esse omnino felix, quia non habet felicitatem politicam cum omni sua claritate. Patet ergo quod ad hoc quod domus habeat esse perfectum, oportet ibi esse tres communitates. vnam viri & vxoris, aliam domini & serui, tertiam patris & filij. Ex his autem patere potest, quod oportet in domo perfecta esse tria regimina. Nam nunquam est dare communitatem aliquam bene ordinatam, nisi aliquid sit ibi dirigẽs, & aliquid directum: vel nisi aliquid sit ibi principans, & aliquid obsequens. Quare cum in communitate maris & fœminæ, mas debet esse principans, & fœmina obsequẽs: in communitate vero patris & filij, pater debet esse imperans, & filius obtemperans; in communitate quidem domini & serui, dominus debet esse præcipiens, & seruus ministrans & seruiens, in domo perfecta (vt vult Philosophus 1. Politicorum) sunt tria regimina, vnum coniugale, secundum quod vir præest vxori: aliud paternale, secundum quòd pater præest filio: tertio dominatiuum & despoticum, secundum quòd dominus præest seruis. Viso, in domo perfecta esse communitates tres, & tria regimina: de leui patere potest, quod ibi oportet esse quatuor genera personarum. Videretur tamen forte alicui ibi debere esse sex genera personarum, ita quod prima persona sit ibi vir, secunda vxor, tertia pater, quarta filius, quinta dominus, sexta seruus. Sed vir, pater, & dominus vnam tantum personam nominant. Nam ille idem, qui est vir vxoris, est pater filiorum, & dominus seruorum. Patet ergo quot communitates sunt in domo perfecta, & quot regimina, & quot genera personarum. De leui ergo patere potest, quot partes habere debeat hic secundus Liber, in quo tractatur de regimine domus.

Eth. 1. cap. 10.

Polit. 1. cap. 3.

domus. Nam cum in domo perfecta sint tria regimina, oportet hunc librum tres habere partes, in quarum prima tractetur primo de regimine coniugali: in secunda de paternali: in tertia, de dominatiuo. Hæc autem tria regimina bene cognoscere maxime decet Reges & Principes; quia eis diligenter inspectis, magnum adminiculum habebunt, vt bene sciant regere regnum, & ciuitatem.

Quòd homo est naturaliter animal coniugale: & quod nolentes nubere, non viuunt vt homines, sed vel viuunt vt bestiæ, vel viuunt vt dij.
Cap. VII.

DIcebatur in præcedenti capitulo, tria esse determinanda in hoc secundo libro, in quo agitur de regimine domus, secundum quod in ipsa domo tria contingit esse regimina. videlicet, coniugale, paternale, & dominatiuum. Inter hæc autem regimina, primo agendũ est de regimine coniugali: quia secundum Philosophum 1. Politic. in communitate domestica, primum oportet congregare marem, & fœminam. Est autem hic ordo rationabilis. Nam primò aliquid generatur, secundò conseruatur in esse; tertiò perficitur, & potest sibi simile producere. Communitas ergo maris & fœminæ, quæ est propter generationem, est prima pars domus, & præcedit communitatem domini & serui, quæ est propter salutem & conseruationem; & etiam præcedit communitatem patris & filij, quæ non respicit domum primam, vel domum quocunque modo sumptam, sed domum habentem esse perfectum. Primo ergo dicendum est de regimine coniugali, quod respicit communitatem viri & vxoris, quã de regimine dominatiuo,

quòd

quòd respicit communitatem domini & serui; vel quam de regimine paternali, quod respicit cōmunitatem patris & filij. In determinando autem de regimine coniugali, hunc tenebimus ordinem: quia primo dicemus, quale sit ipsum coniugium, & quales vxores, ciues, & maximè Reges & Principes deceat sumere. Deinde ostendemus, qualiter viri suas vxores regere debeant & ad quas virtutes, & ad quæ opera eas debeant ordinare. In ostendē do quidem quale sit ipsum coniugium, primò declarandū occurrit, coniugium esse aliquid secundum naturam, & quod homo naturaliter est animal coniugale. Sciendum ergo quod Philosophus 8. Ethic. volens ostendere qualis amicitia sit viri ad vxorem, probat amicitiam illam esse secundum naturam: adducens triplicem rationem quod homo sit naturaliter animal coniugale. Prima ratio sumitur ex parte societatis humanæ. Secunda ex parte procreationis prolis. Tertia ex parte operum. Probabatur enim in primo capitulo huius secundi libri, hominē esse naturaliter animal sociale & communicatiuum. Communitas autem in vita humana (vt supra tangebatur) ad quadruplex genus reducitur: quia quædam est cōmunitas domus, quædam vici, quædam ciuitatis, quædam regni. Omnes autem hæ communitates præsupponunt communitatem domesticam. Cum ergo domus sit prior vico, ciuitate, & regno: homo naturaliter magis est animal domesticum, quam ciuile: & communitas domus magis videtur esse naturalis ipsi homini, quam cōmunitas vici, ciuitatis, & regni. Nam si considerentur ea, ad quæ ordinatur communitas domestica, non videtur habere dubiū, quin communitas domus magis sit naturalis homini, quā vici, ciuitatis, & regni. Ordinatur enim domus ad nutritionem, quæ maxime est necessaria indiuiduo, & quæ maxime expedit bono proprio: ordinatur etiam ad generationem, quæ maxime expedit conseruationi speciei, & bono communi. Vicus autem, ciuitas, & regnum nō sic

Eth 8. cap. 10. & 11. Alex. li. 4. cap. 8. Gedier.

im-

immediate ordinantur ad nutritionem propter bonum personæ propriæ, & ad generationem propter conseruationem speciei, sicut communitas domus. nam si prædictæ communitates ordinantur ad nutritionem, & ad generationem; hoc est, prout ex bonitate earum consurgit bonitas ipsius domus: ipsa enim domus est inde melior, sic est in bono vico, vel in bona ciuitate, aut in bono regno. Si ergo homo magis est naturaliter animal domesticum, quam politicum: cum prima communitas ipsius domus sit coniunctio viri & vxoris, sequitur ex parte ipsius communitatis humanæ, quod homo magis sit animal coniugale quod politicum; & quod magis sit cōmunicatiuum communitate coniugali, quam communitate, vici ciuitatis, & regni: quia domus, cuius regimen primum est coniugale, est prior vico, regno, & ciuitate. Hanc autem rationem tangit Philosophus 8. Ethic. dicens: Homo enim natura magis est coniugale animal quam politicum, quanto domus est prior & magis necessaria ciuitate. Secundo homo est naturaliter animal coniugale ex parte procreationis prolis. Nam illud maxime videtur naturale, ad quod homo habet naturalem impetũ: quare cum homo & omnia animalia naturaliter inclinentur, vt velint producere sibi simile, quia in hominibus hoc debite fit per coniugium, homo naturaliter est animal coniugale. Hanc autem rationem tangit Philosophus 1. Politicorum, & 8. Ethicorum, vbi probat coniugium competere homini secundum naturam, quia naturale est homini, & omnibus animalibus, habere naturalem impetũ ad producendũ sibi simile. Tertia ratio sumitur ex parte operum: quia (vt dicitur 8. Ethicorum) confestim enim diuisa sunt opera viri, & vxoris. opera enim uiri uidentur esse in agendo, quæ sunt fienda extra domum: opera uero uxoris in conseruando suppellectilia, uel in operando aliqua intra domum. ponentes ergo propria ad commune, ut cum uxor propria sua ordinat in bonum uiri, uel in

Eth. 8. cap. 12.

Polit. 1. & Eth. 8 cap. 1. cap 12.

Eth. 8.

in bonum totius domus: & vir propria sua ordinat in bonum domus,& in bonum vxoris: sufficiunt sibi in vita, vt dicitur 8. Ethic. Nam sic propria ordinare ad bonum commune, facit ad quandam sufficientiam vitæ. Quare si naturale est homini, habere impetum ad sufficientiam vitæ: naturale est ei,quod velit esse animal coniugale. sed si coniugium est quid naturale, sequitur quod fornicatio, quæ contrariatur coniugio, sit vniuersaliter à ciuibus vitanda, tanquam aliquid contrarium rei naturali: quam videlicet fornicationem, & vniuersaliter omnem venereorum vsum illicitum, tanto magis decet fugere Reges & Principes, quanto decet eos meliores & virtuosiores esse. His visis, quædam dubitatio videtur ex dictis oriri. Nam si coniugium est homini naturale, reprehensibilis est igitur quicunque non dat operam, vt coniugio copuletur. Sed hæc dubitatio, si considerentur iam dicta, de leui refellitur. Nam si naturale est homini esse animal coniugale, quicunque renuit coniugem ducere, non viuit vt homo. Sed non viuere vt homo, potest esse dupliciter. Vel non viuit vt homo,quia eligit vitam supra hominem, & vult continere vt vacet contemplationi veritatis & operibus diuinis. Vel non viuit vt homo, quia eligit vitam infra hominem, & viuit vt bestia. Quare sicut dicebamus de societate politica, videlicet quod eligens solitudinem,& nolens ciuiliter viuere,vel est bestia, uel est deus. sic & de coniugio dicere possumus. Nam nolens coniugaliter uiuere. uel hoc est, quia uult liberius fornicari. quare eligit sibi uitam infra hominem, & est quasi bestia. uel hoc est, quia uult se dare speculationi ueritatis, & diuinis operibus: quare eligit sibi uitam supra hominem, & est quasi Deus. Non nubentes ergo, si dent se potioribus bonis quam sint bona coniugij, licet non uiuant ut homines, non tamen propter hoc male agunt: quia sunt quasi dij, & sunt hominibus meliores.

Eth. 8. cap. 12.

Infra, Lib. 3. par. 1. cap. 3.

Quòd

Quòd omnes ciues & maxime Reges, & Principes debent suis coniugibus indiuisibiliter adhærere. Cap. VIII.

PRobant autem Philosophi, quod decet coniugia indiuisibilia esse. Ad quod ostendendum adducere possumus duas vias, quas philosophi tetigerunt. Prima via sumitur ex parte fidei, vel ex parte amicitiæ naturalis, quæ debet esse inter virum & vxorem. Secunda vero ex parte prolis. Prima via sic patet. nam cum nunquam aliquis fideliter amicetur alicui, si ab amicitia eius discedat: si inter virum & vxorem debitam fidem, vel fidelem amicitiam saluare volumus, ne sit ibi violatio fidei, oportet virum indiuisibiliter suæ adhærere vxori, & econuerso. cum enim inter virum & vxorem sit amicitia naturalis, vt probatur 8. Ethicorum, cum non sit naturalis amicitia inter aliquos nisi obseruent sibi debitam fidem; ad hoc quod coniugium sit secundum naturam, & ad hoc quod inter vxorem & virum sit amicitia naturalis, oportet quod sibi inuicem seruent fidem, ita quod ab inuicem non discedant. Hanc autem rationem videtur tangere Valerius Maximus in libro de factis memorabilibus, capitulo de institutis antiquis, vbi ait, Repudium inter vxorem & virum, à tempore, quo vrbs Romana fuit condita, vsque ad vigesimum & quingentesimum annum, nullum intercessit. Primus autem, qui dimisit vxorem sterilitatis causa, fuit Spurius Caruilius, qui quamquam tolerabili ratione motus videretur, reprehensione tamen non caruit: quia cuncti arbitrabantur cupiditatem liberorum coniugali fidei non debere præponi. Fides ergo, secundum Valerium Maximum, quam obseruari debet vir vxori, & econuerso, videtur esse vna causa, propter quam

Eth. 8. C. 12.

coniugium manere debet indiuisibile, & inrepudiatum. Decet ergo omnes ciues coniungi suis vxoribus indiuisibiliter absque repudiatione, tanto magis hoc decet reges & principes, quanto magis in eis relucere debet fidelitas, & ceteræ bonitates. Secunda via ad inuestigandũ hoc idem sumitur ex parte prolis. Nam licet coniugium, etiam si sit sterile, indissolubile manere debeat, quia cupiditas filiorum præponi non debet fidei coniugali: attamen si adsit ibi bonum prolis, quia proles est quoddam commune bonum in quo coniungitur vir & vxor, ratione ipsius prolis decet vxorem viro, & econuerso, indiuisibiliter adhærere. Videmus enim quod semper commune bonum (eo quod commune est) coniungit participantes bono illo. Sicut ergo ciuitas coniungit & continet ciues ipsos, ne à ciuilitate recedant, eo quod sit quoddam commune bonum ipsorum: sic filij coniungunt & continent ipsos parentes, ne ab inuicem recedant, eo quod sint quoddam commune bonum ipsorum: semper enim de ratione communis, est quod contineat, vniat, & coniungat, sicut de ratione proprij, est quod diuidat & distinguat. Hanc autem rationem tangit Philosophus 8. Ethic. dicens, quod quia commune continet & coniungit, filij eo quod sint commune bonum vtrorumque, coniugium videtur esse causa, quare sit ipsorum coniunctio. Vnde subdit, quod steriles cuius dissoluuntur. Dicit autem steriles citius dissolui, non quia licita sit dissolutio coniugij, etiam si non adsit ibi fecunditas filiorum, vt superior ratio plenius ostendebat. attamen si in coniugio adsit ibi bonum prolis; non solum ex fide, quæ in coniugio est seruanda, inclinantur coniuges, vt sibi inuicem inseparabiliter adhæreant: sed etiam vt sic indiuisibiliter in amicitia permaneant, inclinantur ex ipsa prole, quæ est ipsorum commune bonum. immo eo ipso quod aliqui sunt amici vnius, habent quandam inclinationem vt sint amici inter se parentes, qui naturaliter diligunt suam prolem, ex dilectio-

Eth. 8. C. 12.

lectione naturali quam habent ad ipsam, augmẽtatur eorum amicitia naturalis. Sed cum omnis amor vim quãdam vnitiuam dicat, augmentato amore propter prolem genitam, augumentatur quoque eorum propositum, vt velint inseparabiliter permanere. Patet ergo, quod decet omnes ciues, non solum propter bonum fidei coniugalis, sed etiam propter ipsam prolẽ, ad quam ordinatur coniugium, inseparabiliter conuiuere suis vxoribus. Tantò tamen hoc magis decet Reges & Principes, quantò de prole suscepta præ omnibus alijs debent diligentiorem habere curam. Incuria enim regiæ prolis plus potest inferre nocumenti ipsi regno, quam incuria cuiuscunq; alterius. Quare si amor & diligentia circa prolem facit maiorem vnionem coniugum: quantò maior cura & diligentia adhibenda est circa prolem regiam quam circa alias, tantò magis decet Reges, & Principes, quam diu suæ vxores vixerint, eis inseparabiliter adhærere.

Quòd omnes ciues, & maxime Reges & Principes, vna sola vxore debent esse contenti. Cap. IX.

APud aliquas sectas non reputatur contra dictamen rationis, quod vnius & eiusdem viri simul plures existant vxores. Sed quod recta ratio dictat quoslibet ciues, & maxime Reges & Principes vnica coniuge debere esse contentos, triplici via venari possumus. Prima sumitur ex parte ipsius viri. Secunda ex parte ipsius vxoris. Tertia est ex parte prolis. Prima via sic patet. Nam sicut pluralitas ciborum prouocat ad nimiam repletionem, sic pluralitas mulierum prouocat ad nimiam concupiscentiam venereorum: Quare cum huiusmodi concupiscentiæ (si fortes sint) obnubilent mentem, & rationem percutiant; si indecens est omnibus ciuibus nimis vacare ve-

domus congrue esse non potest: sed tertiam etiam communitatem, quæ est patris & filij, non dicemus esse de ratione domus quocunque modo sumptæ, sed erit de ratione eius, vt habet esse perfectum. Sicut enim videmus in vna persona singulari sic & in domo tota debemus aduertere. Nam semper multitudo ab vnitate procedit, propter quod ordine naturali quæ videmus in multitudine domestica, quodammodo in vna persona singulari reseruantur. Sic enim videmus in vno singulari homine, quod generari & saluari sunt de ratione hominis primi: sed producere sibi simile, est de ratione hominis iam perfecti. Cum enim primo homo est, oportet quod sit genitus: & natura statim est solicita de salute eius. non potest tamen sibi simile producere, nisi sit iam perfectus. Quare cum communitas patris ad filium sumat originem ex eo quod parentes sibi simile produxerunt: huiusmodi communitas non dicitur esse de ratione domus primæ, sed est

Polit. 1. cap. 3. de ratione domus perfectæ. vnde & Phil. 1. Poli. cũ prius dixisset communitatem viri & vxoris, domini & serui facere communitatem primam: postea in sequenti capitulo prædicti libri ait, quod ad domum perfectam requiritur communitas tertia, videlicet patris & filij. Quod aũt ad perfectionem domus requiratur hæc tertia communitas, triplici via venari possumus. Videmus enim quod potentia fructificare & agere, sunt perfectiora non potentibus. Rursus sunt perfectiora perpetua non perpetuis. Sic & feliciora sunt perfectiora infelicibus. Ergo quod ad perfectionem domus requiratur tertia communitas, quæ est patris & filij, primo possumus probare ex parte generationis & fructificationis naturalis. Secundo ex parte perpetuitatis. Et tertio ex ipsa felicitate. Prima via sic

2. de Anima cap. 34. patet. Nam secundum Philisophum. Tunc vnumquodq; perfectum est, cum potest sibi simile producere: Ad hoc enim quod aliquid sit perfectum, non oportet quod sibi simile producat, sed quod possit sibi simile producere:

per-

perfectio enim considerāda est ex natura & ex forma rei, per quam aliquid est in actu, & potest agere. quare si est impotens ad agendum, sequitur quod ei deficiat aliqua forma vel aliqua perfectio, quæ sit principium actionis. Impotens autem ad agendum dicitur aliquid, cum præsente proprio passiuo, non producat sibi simile. quare cum propriũ actiuum generationis sit masculus, & proprium susceptiuum sit fœmina: si in domo aliqua est cõiunctio maris & fœminæ; & tamen non est procreatio prolis, vel mas est imperfectum actiuum, vel fœmina est imperfectum susceptiuum. Sterilitas ergo filiorum in vita politica, vel est ex imperfectione maris, vel fœminæ, vel vtriusque. Sed cum mas & fœmina, vir & vxor sit prima pars domus & prima communitas, quæ requiritur in vita domestica: quia ex imperfectione partium, & maxime principalium resultat imperfectio totius, tota illa domus dicitur imperfecta, vbi non est pullulatio filiorum. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte naturalis perpetuitatis. Nam cum homines non possunt per seipsos perpetuari in vita, sed quodammodo perpetuatur humana vita per successionem filiorũ: domus vbi est carentia prolis, cito efficitur deserta secundum ordinem naturalem. Continua enim habitatio domus vno modo est naturalis, vt si per creationem filiorũ domus ista continue habitetur. Alio modo est quasi casualis, vt si prioribus habitatoribus defunctis, vel recedẽtibus, noua familia inhabitet domum illam. Naturalis ergo habitatio domestica naturaliter perpetuari non potest, nisi per generationem, quæ est opus naturæ, & nisi sit ibi excrescentia filiorum. Sed si perpetuum est perfectius non perpetuo: imperfecta est domus, vbi desunt filij, per quos habitationem domesticam naturaliter quodãmodo contingit perpetuari. Tertio autem declarari potest ex parte ipsius felicitatis. Nam filij, & ciuilis potentia, & cetera talia, licet non sint essentialia felicitati: faciunt tamen

men

men ad quandam claritatem felicitatis politicæ. vnde Philosophus 1. Ethic. ait, quod aliqui denudati quibusdã, coinquinant beatitudinem. Nam specie turpis, ignobilis, & solitarius, & sine filijs, omnino felix esse non potest. dicitur enim talis non esse omnino felix, quia non habet felicitatem politicam cum omni sua claritate. Patet ergo quod ad hoc quod domus habeat esse perfectum, oportet ibi esse tres communitates. vnam viri & vxoris, aliam domini & serui, tertiam patris & filij. Ex his autem patere potest, quod oportet in domo perfecta esse tria regimina. Nam nunquam est dare communitatem aliquam bene ordinatam, nisi aliquid sit ibi dirigẽs, & aliquid directum: vel nisi aliquid sit ibi principans, & aliquid obsequens. Quare cum in communitate maris & fœminæ, mas debet esse principans, & fœmina obsequẽs: in communitate vero patris & filij, pater debet esse imperans, & filius obtemperans; in communitate quidem domini & serui, dominus debet esse præcipiens, & seruus ministrans & seruiens, in domo perfecta (vt vult Philosophus 1. Politicorum) sunt tria regimina, vnum coniugale, secundum quod vir præest vxori: aliud paternale, secundum quòd pater præest filio: tertio dominatiuum & despoticum, secundum quòd dominus præest seruis. Viso, in domo perfecta esse communitates tres, & tria regimina: de leui patere potest, quod ibi oportet esse quatuor genera personarum. Videretur tamen forte alicui ibi debere esse sex genera personarum, ita quod prima persona sit ibi vir, secunda vxor, tertia pater, quarta filius, quinta dominus, sexta seruus. Sed vir, pater, & dominus vnam tantum personam nominant. Nam ille idem, qui est vir vxoris, est pater filiorum, & dominus seruorum. Patet ergo quot communitates sunt in domo perfecta, & quot regimina, & quot genera personarum. De leui ergo patere potest, quot partes habere debeat hic secundus Liber, in quo tractatur de regimine domus.

Eth. 1. cap. 10.

Polit. 1. cap. 3.

domus. Nam cum in domo perfecta sint tria regimina, oportet hunc librum tres habere partes. in quarum prima tractetur primo de regimine coniugali: in secunda de paternali: in tertia, de dominatiuo. Hæc autem tria regimina bene cognoscere maxime decet Reges & Principes; quia eis diligenter inspectis, magnum adminiculum habebunt, vt bene sciant regere regnum, & ciuitatem.

Quòd homo est naturaliter animal coniugale: & quod nolentes nubere, non viuunt vt homines, sed vel viuunt vt bestiæ, vel viuunt vt dij. Cap. VII.

DIcebatur in præcedenti capitulo, tria esse determinanda in hoc secundo libro, in quo agitur de regimine domus, secundum quod in ipsa domo tria contingit esse regimina. videlicet, coniugale, paternale, & dominatiuum. Inter hæc autem regimina, primo agendũ est de regimine coniugali: quia secundum Philosophum 1. Politic. in communitate domestica, primum oportet congregare marem, & fœminam. Est autem hic ordo rationabilis. Nam primò aliquid generatur, secundò conseruatur in esse; tertiò perficitur, & potest sibi simile producere. Communitas ergo maris & fœminæ, quæ est propter generationem, est prima pars domus, & præcedit communitatem domini & serui, quæ est propter salutem & conseruationem; & etiam præcedit communitatem patris & filij, quæ non respicit domum primam, vel domum quocunque modo sumptam, sed domum habentem esse perfectum. Primo ergo dicendum est de regimine coniugali, quòd respicit communitatem viri & vxoris, quã de regimine dominatiuo,

quòd

quòd respicit communitatem domini & serui; vel quam de regimine paternali, quod respicit cõmunitatem patris & filij. In determinando autem de regimine coniugali, hunc tenebimus ordinem: quia primo dicemus, quale sit ipsum coniugium, & quales vxores, ciues, & maximè Reges & Principes deceat sumere. Deinde ostendemus, qualiter viri suas vxores regere debeant & ad quas virtutes, & ad quæ opera eas debeant ordinare. In ostendẽdo quidem quale sit ipsum coniugium, primò declarandũ occurrit, coniugium esse aliquid secundum naturam, & quod homo naturaliter est animal coniugale. Sciendum ergo quod Philosophus 8. Ethic. volens ostendere qualis amicitia sit viri ad vxorem, probat amicitiam illam esse secundum naturam: adducens triplicem rationem quod homo sit naturaliter animal coniugale. Prima ratio sumitur ex parte societatis humanæ. Secunda ex parte procreationis prolis. Tertia ex parte operum. Probabatur enim in primo capitulo huius secundi libri, hominẽ esse naturaliter animal sociale & communicatiuum. Communitas autem in vita humana (vt supra tangebatur) ad quadruplex genus reducitur: quia quædam est communitas domus, quædam vici, quædam ciuitatis, quædam regni. Omnes autem hæ communitates præsupponunt communitatem domesticam. Cum ergo domus sit prior vico, ciuitate, & regno: homo naturaliter magis est animal domesticum, quam ciuile: & communitas domus magis videtur esse naturalis ipsi homini, quam cõmunitas vici, ciuitatis, & regni. Nam si considerentur ea, ad quæ ordinatur communitas domestica, non videtur habere dubiũ, quin communitas domus magis sit naturalis homini, quã vici, ciuitatis, & regni. Ordinatur enim domus ad nutritionem, quæ maxime est necessaria indiuiduo, & quæ maxime expedit bono proprio: ordinatur etiam ad generationem, quæ maxime expedit conseruationi speciei, & bono communi. Vicus autem, ciuitas, & regnum nõ sic im-

Eth 8. cap. 10. & 11. Alex. li. 4. cap. 8. Gedier.

immediate ordinantur ad nutritionem propter bonum
personæ propriæ, & ad generationem propter conserua-
tionem speciei, sicut communitas domus. nam si prædi-
ctæ communitates ordinantur ad nutritionem, & ad ge-
nerationem; hoc est, prout ex bonitate earum consurgit
bonitas ipsius domus: ipsa enim domus est inde melior,
sic est in bono vico, vel in bona ciuitate, aut in bono re-
gno. Si ergo homo magis est naturaliter animal dome-
sticum, quam politicum: cum prima communitas ip-
sius domus sit coniunctio viri & vxoris, sequitur ex parte
ipsius communitatis humanæ, quod homo magis sit ani-
mal coniugale quod politicum; & quod magis sit cōmu-
nicatiuum communitate coniugali, quam communitate,
vici ciuitatis, & regni: quia domus, cuius regimen pri-
mum est coniugale, est prior vico, regno, & ciuitate. Hanc
autem rationem tangit Philosophus 8. Ethic. dicens: Ho- *Eth. 8.*
mo enim natura magis est coniugale animal quam poli- *cap. 14.*
ticum, quanto domus est prior & magis necessaria ciui-
tate. Secundo homo est naturaliter animal coniugale ex
parte procreationis prolis. Nam illud maxime videtur
naturale, ad quod homo habet naturalem impetū: quare
cum homo & omnia animalia naturaliter inclinentur, vt
velint producere sibi simile, quia in hominibus hoc de-
bite fit per coniugium, homo naturaliter est animal con-
iugale. Hanc autem rationem tangit Philosophus 1 Po- *Polit. 1.*
liticorum, & 8. Ethicorum, vbi probat coniugium com- *& Eth. 8*
petere homini secundum naturam, quia naturale est ho- *cap. 1.*
mini, & omnibus animalibus, habere naturalem impetū *cap 12.*
ad producendū sibi simile. Tertia ratio sumitur ex parte
operum: quia (vt dicitur 8. Ethicorum) confestim enim *Eth. 8.*
diuisa sunt opera viri, & vxoris. opera enim uiri uiden-
tur esse in agendo, quæ sunt fienda extra domum: opera
uero uxoris in conseruando suppellectilia, uel in operan-
do aliqua intra domum. ponentes ergo propria ad com-
mune, ut cum uxor propria sua ordinat in bonum uiri, uel

in bonum totius domus: & vir propria sua ordinat in bonum domus, & in bonum vxoris: sufficiunt sibi in vita, vt dicitur 8. Ethic. Nam sic propria ordinare ad bonum commune, facit ad quandam sufficientiam vitæ. Quare si naturale est homini, habere impetum ad sufficientiam vitæ: naturale est ei, quod velit esse animal coniugale. sed si coniugium est quid naturale, sequitur quod fornicatio, quæ contrariatur coniugio, sit vniuersaliter à ciuibus vitanda, tanquam aliquid contrarium rei naturali: quam videlicet fornicationem, & vniuersaliter omnem venereorum vsum illicitum, tanto magis decet fugere Reges & Principes, quanto decet eos meliores & virtuosiores esse. His visis, quædam dubitatio videtur ex dictis oriri. Nam si coniugium est homini naturale, reprehensibilis est igitur quicunque non dat operam, vt coniugio copuletur. Sed hæc dubitatio, si considerentur iam dicta, de leui refellitur. Nam si naturale est homini esse animal coniugale, quicunque renuit coniugem ducere, non viuit vt homo. Sed non viuere vt homo, potest esse dupliciter. Vel non viuit vt homo, quia eligit vitam supra hominem, & vult continere vt vacet contemplationi veritatis & operibus diuinis. Vel non viuit vt homo, quia eligit vitam infra hominem, & viuit vt bestia. Quare sicut dicebamus de societate politica, videlicet quod eligens solitudinem, & nolens ciuiliter viuere, vel est bestia, uel est deus. sic & de coniugio dicere possumus. Nam nolens coniugaliter uiuere. uel hoc est, quia uult liberius fornicari. quare eligit sibi uitam infra hominem, & est quasi bestia. uel hoc est, quia uult se dare speculationi ueritatis, & diuinis operibus: quare eligit sibi uitam supra hominem, & est quasi Deus. Non nubentes ergo, si dent se potioribus bonis quam sint bona coniugij, licet non uiuant ut homines, non tamen propter hoc male agunt: quia sunt quasi dij, & sunt hominibus meliores.

Eth. 8. cap. 12.

Infra, Lib. 3. par. 1. cap. 3.

Quòd

Quòd omnes ciues & maxime Reges, & Principes debent suis coniugibus indiuisibiliter adhærere. Cap. VIII.

PRobant autem Philosophi, quòd decet coniugia indiuisibilia esse. Ad quod ostendendum adducere possumus duas vias, quas philosophi tetigerunt. Prima via sumitur ex parte fidei, vel ex parte amicitiæ naturalis, quæ debet esse inter virum & vxorem. Secunda vero ex parte prolis. Prima via sic patet. nam cum nunquam aliquis fideliter amicetur alicui, si ab amicitia eius discedat: si inter virum & vxorem debitam fidem, vel fidelem amicitiam saluare volumus, ne sit ibi violatio fidei, oportet virum indiuisibiliter suæ adhærere vxori, & econuerso. cum enim inter virum & vxorem sit amicitia naturalis, vt probatur 8. Ethicorum, cum non sit naturalis amicitia inter aliquos nisi obseruent sibi debitam fidem; ad hoc quod coniugium sit secundum naturam, & ad hoc quod inter vxorem & virum sit amicitia naturalis, oportet quod sibi inuicem seruent fidem, ita quod ab inuicem non discedant. Hanc autem rationem videtur tangere Valerius Maximus in libro de factis memorabilibus, capitulo de institutis antiquis, vbi ait, Repudium inter vxorem & virum, à tempore, quo vrbs Romana fuit condita, vsque ad vigesimum & quingentesimum annum, nullum intercessit. Primus autem, qui dimisit vxorem sterilitatis causa, fuit Spurius Caruilius, qui quamquam tolerabili ratione motus videretur, reprehensione tamen non caruit: quia cuncti arbitrabantur cupiditatem liberorum coniugali fidei non debere præponi. Fides ergo, secundum Valerium Maximum, quam obseruari debet vir vxori, & econuerso, videtur esse vna causa, propter quam

Eth. 8. C. 12.

coniugium manere debet indiuisibile, & inrepudiatum. Decet ergo omnes ciues coniungi suis vxoribus indiuisibiliter absque repudiatione, tanto magis hoc decet reges & principes, quanto magis in eis relucere debet fidelitas, & ceteræ bonitates. Secunda via ad inuestigandũ hoc idem sumitur ex parte prolis. Nam licet coniugium, etiam si sit sterile, indissolubile manere debeat, quia cupiditas filiorum præponi non debet fidei coniugali: attamen si adsit ibi bonum prolis, quia proles est quoddam commune bonum in quo coniungitur vir & vxor, ratione ipsius prolis decet vxorem viro, & econuerso, indiuisibiliter adhærere. Videmus enim quod semper commune bonum (eo quod commune est) coniungit participantes bono illo. Sicut ergo ciuitas coniungit & continet ciues ipsos, ne à ciuilitate recedant, eo quod sit quoddam commune bonum ipsorum: sic filij coniungunt & continent ipsos parentes, ne ab inuicem recedant, eo quod sint quoddam commune bonum ipsorum: semper enim de ratione communis, est quod contineat, vniat, & coniungat, sicut de ratione proprij, est quod diuidat & distinguat. Hanc autem rationem tangit Philosophus 8. Ethic. dicens, quod quia commune continet & coniungit, filij eo quod sint commune bonum vtrorumque, coniugium videtur esse causa, quare sit ipsorum coniunctio. Vnde subdit, quod steriles citius dissoluuntur. Dicit autem steriles citius dissolui, non quia licita sit dissolutio coniugij, etiam si non adsit ibi fecunditas filiorum, vt superior ratio plenius ostendebat. attamen si in coniugio adsit ibi bonum prolis; non solum ex fide, quæ in coniugio est seruanda, inclinantur coniuges, vt sibi inuicem inseparabiliter adhæreant: sed etiam vt sic indiuisibiliter in amicitia permaneant, inclinantur ex ipsa prole, quæ est ipsorum commune bonum. immo eo ipso quod aliqui sunt amici vnius, habent quandam inclinationem vt sint amici inter se parentes, qui naturaliter diligunt suam prolem, ex dilectio-

Eth. 8. C. 12.

lectione naturali quam habent ad ipsam, augmẽtatur eorum amicitia naturalis. Sed cum omnis amor vim quãdam vnitiuam dicat, augmentato amore propter prolem genitam, augumentatur quoque eorum propositum, vt velint inseparabiliter permanere. Patet ergo, quod decet omnes ciues, non solum propter bonum fidei coniugalis, sed etiam propter ipsam prolẽ, ad quam ordinatur coniugium, inseparabiliter conuiuere suis vxoribus. Tantò tamen hoc magis decet Reges & Principes, quantò de prole suscepta præ omnibus alijs debent diligentiorem habere curam. Incuria enim regiæ prolis plus potest inferre nocumenti ipsi regno, quam incuria cuiuscunq; alterius. Quare si amor & diligentia circa prolem facit maiorem vnionem coniugum: quantò maior cura & diligentia adhibenda est circa prolem regiam quam circa alias, tantò magis decet Reges, & Principes, quam diu suæ vxores vixerint, eis inseparabiliter adhærere.

Quòd omnes ciues, & maxime Reges & Principes, vna sola vxore debent esse contenti. Cap. IX.

APud aliquas sectas non reputatur contra dictamen rationis, quod vnius & eiusdem viri simul plures existant vxores. Sed quod recta ratio dictat quoslibet ciues, & maxime Reges & Principes vnica coniuge debere esse contentos, triplici via venari possumus. Prima sumitur ex parte ipsius viri. Secunda ex parte ipsius vxoris. Tertia est ex parte prolis. Prima via sic patet. Nam sicut pluralitas ciborum prouocat ad nimiam repletionem, sic pluralitas mulierum prouocat ad nimiam concupiscentiam venereorum: Quare cum huiusmodi concupiscentiæ (si fortes sint) obnubilent mentem, & rationem percutiant; si indecens est omnibus ciuibus nimis vacare ve-

nereis, & retrahere se ab actibus prudentiæ, & ab operibus ciuilibus, indecens est eos plures habere coniuges. Tamen tantò hoc indecens est magis Regibus, & Principibus, quanto plus in eis vigere debet prudentia & intellectus, & quantò plus vacare debent & magis esse soliciti circa opera ciuilia, & circa salutem regni, quam aliqui aliorum. Ne ergo per nimiam operam venereorum nimis retrahantur ab huiusmodi cura, indecens est eos plures habere vxores. Secunda via sumitur ex parte ipsius vxoris. Nam sicut ex parte viri indecens est vxorum pluralitas, ne propter nimiam operam venereorum vir à cura debita retrahatur: si hoc indecens est parte vxoris, ne vxor à suo coniuge non debite diligatur. Nam inter vxorem & virum debet esse amor magnus, quia inter eos

Eth. 8. cap. 7. (vt probatur 8. Ethicorum) est amicitia excellens & naturalis. Sed cum excellens amor non possit esse ad plures, vt vult Philosophus 9. Ethicor. indecens est quoscunque ciues plures habere vxores: quia eas non tanta amicitia diligerent, quanta inter coniuges esse debet. maxime tamen hoc indecens est Regibus, & Principibus; quia, ne indebite vtantur venereis, inter eos & suas coniuges maxime reseruari debet amor debitus coniugalis. Tertia via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex nutritione filiorum. Nam cum coniugium sit quid naturale: quomodo debito modo fieri debeat maxime inuestigari potest per ea quæ in alijs animalibus conspicimus. Videmus autem (vt communiter alij doctores tradunt) quod in aliquibus animalibus sola foemella sufficit ad nutritionem filiorum, vt patet in canibus, in gallinis, & in pluribus alijs animalibus. Quare cum coniunctio maris, & foeminæ in omnibus animalibus ordinetur ad bonum prolis, in illis animalibus, in quibus sola foemina sufficit ad nutritionem filiorum, non refert vtrum vnus masculus pluribus coniungatur foemellis; nec etiam refert, verû durante partu masculus conuiuat foeminæ. Sed in illis,

Eth. 9. cap. 5.

in

in quibus sola foemina non sufficit ad præstandum filijs debitum nutrimentum, vnus masculus non adhæret nisi vni foeminæ: & quam diu durat tempus partus, propter nutritionem filiorum (vt patet in columbis & in alijs pluribus generibus auium, quæ alternatim oua fouent) & onerum filiorum partem portat foemella, & partem masculus. Cum igitur ad supportandum onera coniugij in hominibus non sufficiat sola foemina, naturale est hominibus vt vnus vir vni mulieri nubat. Ea enim naturalia indicare debemus quæ sunt vt in pluribus, vt naturale est homini quod sit dexter, licet contingat aliquos esse sinistros. Sic quia vt in pluribus sola foemina non potest portare onera matrimonij, nec sufficit ad præstandum filijs omnia necessaria & debitum nutrimentum: licet ergo forte aliquæ mulieres, quia facultatibus abundant sufficerẽt ad præstandum filijs debitum nutrimentum, quia tamen naturale non est iudicandum illud quod est in paucioribus, sed quod est vt in pluribus: reliquum est vt in hominibus iudicetur quid naturale, vt tam mas quam foemina supportent onera filiorum. Sed cum in alijs animalibus, in quibus tam mas quam foemina supportant onera filiorum, quam diu filij indigent parentibus, naturale sit vt vnus masculus vni adhæreat foeminæ, sequitur in hominibus esse quid naturale, vt quam diu filij indigent parentibus, tā diu vnus masculus vni foeminæ per coniugiũ copuletur. Sed filij quā diu viuunt indigent ope parentũ, decens est vt semper per coniugiũ humanũ vnus masculus vni soli foeminæ copuletur. Non enim sic est de hominibus sicut de animalibus alijs, quia eis natura sufficienter parat victum, vt supra in 1. capit. huius secundi libri plenius dicebatur. Postquā ergo pulli auiũ apposuerunt debitas pennas, & peruenerunt ad debitum incrementum: per seipsos possunt sibi debitũ cibũ quærere, & nõ vlterius egent ope parentũ; quia in talibus sufficit, ꝙ durante tẽpore partus masculus conuiuat foeminæ, & vnus vni adhæ-

reat. Sed cum homines toto tempore vitæ suæ egeant opibus & facultatibus parentum, quia eis cibus congruus non sufficienter à natura paratur, sic se debent habere mas & fœmina per coniugium in hominibus, sicut in auibus alternatim supportantibus onera filiorum se habent masculus & fœmina tempore partus. Sed cum dictum sit, quod toto tempore partus in huiusmodi auibus masculus simul conuiuat fœminæ, & vnus vni adhæret; sequitur quod in hominibus per totam vitam coniuges simul conuiuant, & vnus vni adhæreat. Quare si nolentes adhærere coniugio, decens est eos adhærere secundum modum, & ordinem naturalem, decet omnes ciues vna sola vxore esse contentos. Et tantò magis hoc decet Reges & Principes, quanto decet eos meliores esse alijs, & magis sequi ordinem naturalem. Patet ergo quod non solum ex parte viri & vxoris, sed etiam ex parte prolis, vir non nisi vni fœminæ debet per coniugium copulari.

Quòd coniuges omnium ciuium, & maxime Regum, & Principum vno viro debent esse contentæ. Cap. X.

QVamuis apud aliquas sectas, vt apud Sarracenos, & apud forte aliquas alias barbaras nationes non reputetur in congruum vnum virum etiam simul habere plures vxores; apud nullas tamen gentes secũdum quascunq; leges viuentes nunquam hoc fuisse indultum, vt simul vna mulier pluribus viris per coniugium copuletur; magis enim repugnat apparentibus, & ijs ad quæ coniugium ordinatur, vnam fœminam simul pluribus nubere viris, quam vnum virum pluribus fœminis. Immo, & in lege diuina, vt in veteri Testamento, ex aliqua diuina dispensatione, vel propter aliquam figuram & signationem legimus, vnius viri plures fuisse vxores: tamen quod

repe-

reperitur in paucis, vel quod reperitur in aliquo casu, vel ex aliqua rationabili causa permissum, communem legẽ turbare non debet: secundum enim commune dictamen rationis detestabile est vnum virum simul plures habere vxores: detestabilius tamen esset, si vna fœmina per coniugium simul pluribus copularetur viris. Coniugium enim ad quatuor comparari potest, ex quibus sumi possunt quatuor rationes, per quas inuestigare possumus, omnino detestabile esse vnam fœminam nuptam esse pluribus viris. In coniugio enim primo reseruatur ordo naturalis: nam naturale est fœminam esse subiectam viro, eo quod vir prudentia & intellectu sit præstantior ipsa. Secundo, ex coniugio consurgit pax & amicitia: multas enim guerras, & multas discordias sedari videmus, eo quod inter partes contrahuntur coniugia. Tertio, ex coniugio oritur ipsa proles: ordinatur enim coniugium non solum ad conseruationem ordinis naturalis, & ad debitã pacem, sed etiam ordinatur ad procreationem filiorum. Quarto, sicut ordinatur coniugium ad filiorum procreationem: sic ordinatur ad eorum debitam nutritionem. Inconueniens est ergo vnam fœminam, coniugem esse plurium virorum, quia per hoc omnia prædicta quatuor impediuntur. Tolletur enim ex hoc naturalis ordo; non resultabit inde pax & concordia, sed magis dissensio & inimicitia; non erit debita ibi procreatio filiorum, non tribuetur filijs debitum nutrimentum. Quòd autem ex hoc tollatur naturalis ordo, videre non est difficile. Nam secundum ordinem naturalem (vt patet per Philosophum in Polit.) semper vir debet esse præeminens, mulier vero debet esse subiecta. Rursus secũdum ordinem naturalem in eisdem operibus nullus æque per se duobus vel pluribus potest esse subiectus: si enim aliqua persona duobus subijcitur, hoc non est æque per se, sed hoc est, quia vnus ad alium ordinatur. vt si quis subijcitur Proposito & Regi, oportet Propositum illum ad Regem ordinari, & esse

1. 1. aco. cap. 1.

ſub ipſo repugnat ergo ordini naturali eundem duobus eſſe ſubiectum. Quare ſi mulier debet eſſe ſubiecta viro; ex quo totã ſui corporis poteſtatẽ vni viro tribuit, contra ordinem naturalẽ eſt, vt viro alteri ſit ſubiecta. Nam etſi idẽ poteſt dominari pluribus vt plures ſunt, eundẽ tamen obedire pluribus principãtibus vt plures ſunt, ſecundum naturalẽ ordinem eſſe non poteſt. Quare & ſi deteſtabile eſt plures foeminas coniuges eſſe vnius viri, vnam tamen nubere ſimul viris pluribus deteſtabilius eſſe debet. Decet ergo coniuges omnium ciuium vno viro eſſe contentas: multo magis tamẽ hoc decet coniuges Regũ & Principum, quia in eorũ coniugio magis quam in alio decet naturalem ordinem conſeruare. Secundo hoc idẽ inueſtigari poteſt ex ipſa pace & concordia, ad quam coniugiũ ordinatur. Nã cum quilibet moleſte ferat, ſi in vſu ſuæ rei delectabilis impeditur; abſque diſſenſione & diſcordia eſſe non poſſet, ſi vna foemina per cõiugium pluribus copularetur viris. Dum enim vnus illorũ in uſu rei delectabilis alterũ impediret, inter eos guerra & inimicitia orireturimmo quilibet illorũ uirorũ contra parentes & cõſanguineos uxoris ad inimicitiã moueretur, eo quod ſuã coniugẽ alteri uiro per coniugiũ ſubiecerũt. Ex coniugio igitur, quod ordinatur ad pacem & ad amicitiã, lis & diſcordia oriretur. Quare decet coniuges omniũ ciuiũ uno uiro eſſe contentas: tantò tamen hoc magis decet coniuges Regum & Principum, quantò lis & diſcordia principantium eſt periculoſior, & magis cauenda quã omnium aliorum. Tertio hoc idẽ patet ex generatione prolis, ad quam coniugiũ ordinatur. Impeditur enim ipſa foecunditas filiorũ, ſi una foemina pluribus coniungatur uiris. unde & meretrices conſpicimus eſſe magis ſteriles, quã alias mulieres. Igitur ex parte procreationis filiorum omnino indecens eſt unam foeminam plures habere uiros. Nam etſi unus maſculus poteſt plures foecundare foeminas: una tamen foemina non ſic foecundari poteſt à pluribus

ribus

ribus viris, immo impeditur foecunditas eius ex pluralitate virorum. Quare si coniugium principaliter ordinatur ad bonum prolis, decet coniuges omnium ciuium, ne impediatur earum foecunditas, vno viro esse contentas. tantò tamen hoc magis decet Regum, & Principum coniuges, quantò in tali coniugio periculosior est sterilitas filiorum. Diligenter ergo aduertere debent singulæ mulieres, quæ suis viris per coniugium copulantur, quanta diligentia debeant ad suam pudicitiam obseruare, & quanto conatu fidem suis viris obseruent: quia si esse non potest, & detestabile est etiam per coniugium foemina (viuente viro suo) viro alio copulari, magis detestabile est alicui viro fornicariè commiscere. Quarto hoc inuestigare possumus ex filiorum debito nutrimento. Nam ex hoc parentes solicitantur circa pueros, quia firmiter credũt eos esse eorum filios: quicquid ergo impedit certitudinem filiorum, impedit ne patres diligenter eis prouideant in hæreditate & in debito nutrimento. Sed si vna foemina pluribus nubat viris, patres de suis filijs certi esse non poterunt, quare non adhibebunt illam diligentiam quam debent vt suis filijs debite in nutrimento & in hæreditate prouideant. Detestabile est ergo vnum virum plures habere vxores: sed detestabilius est vnam vxorem plures habere viros, quia per hoc magis impeditur certitudo filiorum. Quare si decet omnes ciues certos esse de suis filijs, vt eis diligenter prouideant in hæreditate & in nutrimento: decet coniuges omnium ciuium vno viro esse contentas. tantò tamen hoc magis decet coniuges Regum, & Principum, in quantum incuria circa eorum filios periculosior est, quam incuria aliorum.

Quòd

Quòd decet omnes ciues, & maxime omnes Reges & Principes non ducere coniuges sibi nimia consanguineitate coniunctas. *Cap. XI.*

CRederet forte aliquis (dum tamen vna fœmina per coniugium vni copuletur viro) licitum esse illud coniugium, cuiuscunque generis, vel cuiuscunque consanguinitatis esse habeant vir & vxor. Sed quod hoc sit contra rationis dictamen:& quod cum parentibus & consanguineis nimia consanguineitate coniunctis nō sit ineundū coniugium, triplici via venari possumus. Prima sumitur ex debita reuerentia, quæ est parentibus & consanguineis exhibenda. Secunda, ex bono quod ex coniugio consurgit. Tertia, ex malo quod inde vitatur. Prima via sic patet. Nam cum ex naturali ordine debeamus parentibus debitam subiectionem, & consanguineis debitam reuerentiam, cum huiusmodi reuerentia debita non reseruetur inter virum & vxorem propter ea quæ inter eos mutuo sunt agenda, dicta naturalis ratio, quod nimis propinqua ex suo genere non est per coniugium sociāda. immo adeò videtur hoc naturali rationi consentaneū, ꝙ vix sint aliquæ gentes non exceptuantes personas aliquas à coniugio contrahendo. Vnde & Philosophus 2. Polit. sola ratione naturali ductus exceptuat personas aliquas à contractione connubij: nunquam enim fuit licitū alicui, & apud nullas gentes permissum inuenimus, vt quis cum matre contraheret. Nam cum vxor debeat esse subiecta viro, inconueniens esset sic matrem filio esse subiectam. Non licet ergo filijs contrahere cū parentibus propter mutuam reuerentiam, quā sibi inuicem debent. Sic etiam non licet eis contrahere cum consanguineis alijs, si sint eis nimia consanguineitate coniuncti, nisi in dispensatio-

Pol. 2. cap 2.

ne

ne & in casu. Nam propter aliquod magnum bonum, quod inde posset consurgere, conceditur aliquando alicui in aliquo casu, quod communiter alijs denegatur. Ratione ergo reuerentiæ debitæ consanguineis, quæ in agendis inter coniuges congrue reseruari non possunt (nisi ex dispensatione & in casu) inter personas nimia consanguineitate coniunctas non sunt connubia contrahenda. Decet ergo omnes ciues non contrahere coniugia cum quibuscunq; personis. tantò tamen hoc magis decet Reges, & Principes, quantò magis eos obseruare decet ordinem naturalem. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex quodam bono quod in matrimonio consurgit. Dicebatur enim in præcedenti capitulo, quod ex contractione coniugij inter ipsos contrahentes oritur pax, & concordia. Sed cum inter consanguineos ex ipsa proximitate carnis sufficiens amicitia esse videatur, dictat naturalis ratio coniugia contrahenda esse inter illos qui non sunt nimia consanguineitate coniuncti: vt quos carnis coniunctio per dilectionem & amicitiam non coniungit, coniungat contractio copulæ coniugalis. Decet ergo omnes ciues non contrahere cum personis nimia consanguineitate coniunctis: magis tamen hoc decet Reges, & Principes, quia quantò sunt in maiori statu & in altiori gradu, tantò magis egent affinitate & amicitia aliorum. Nã secundum Philosophum in Ethicis, quãto arbor est altior, tantò magis indiget sustentamentis, ne quatiatur à vento. Reges ergo & Principes quanto in altiori gradu existũt, tanto indigent habere maiores, & plures tam affines quã consanguineos & amicos. Tertia via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex malo quod per coniugium vitatur. Per coniugium enim non solũ producitur bonum prolis, sed etiam vitatur intemperantiæ malum: qui enim castitatem seruare non possunt, ne sint nimis intemperati, quibuslibet fœminis se miscendo; expedit eis inire connubia, vt una uxore contenti ab intemperantia retrahantur.

tur. Cum enim concupiscentiæ carnis, si nimiæ sint, rationem percutiant, vt supra pluries diximus; expedit quibuslibet volentibus vigere ratione & intellectu, non nimiam operam dare venereis. Cum ergo ad personas nimia affinitate coniunctas habeatur naturalis amor, si supra amorem illum superaddatur amicitia coniugalis, inter coniuges sic se habentes tanta multiplicaretur dilectio, quod oporteret eos nimium vacare venereis. Decet ergo omnes ciues non inire connubia cum personis nimia consanguinitate coniunctis; ne dando nimis operam venereis, per cutiatur eorum ratio, & retrahantur à curis debitis & à ciuilibus operibus. Tanto hoc ergo magis decet Reges, & Principes, quanto ipsi plus vigere debent prudentia & intellectu: & quanto maius periculum potest regno consurgere, si Reges, & Principes circa salutem regni & circa ciuilia opera nondiligenter intendant. In nimis ergo propinquo gradu consanguineitatis non est matrimonium contrahendum. Tertius tamen & quartus gradus, qui à propinquitate deuiare incipiunt, si dispensatio adsit, propter bonũ aliquod prosequendum, vel magnum malum vitandum, cõtrahi poterit copula coniugalis.

Quo-

Quomodo Reges & Principes, & vniuersaliter omnes ciues decet vxores accipere ornatas exterioribus bonis. Cap. XII.

BOnorum autem quædam sunt bona animæ, vt virtutes, & boni mores: quædam vero sunt bona corporis, vt pulchritudo, mansuetudo, & agilitas, & cetera talia: quædam autem dicuntur exteriora bona, quæ (quantum ad præsens spectat) in triplici genere habent esse. Nam honorabilitas generis, pluralitas amicorum, multitudo diuitiarum inter bona exteriora computantur, vt patet per Philosophum primo Rhetoricorum. Cum ergo Reges, & Principes volunt alicui per coniugium copulari, attendere debent vt persona illa, quam sibi in coniugem optant, sit omnibus his bonis ornata. Non tamen æque principaliter intendere debent ad tria prædicta bona. Sed ad nobilitatem generis, & ad multitudinem amicorum inter exteriora bona debent intendere quasi primo & per se: sed pluralitas diuitiarum est intendenda quasi ex consequenti. Decet enim eos talem vxorem acceptare, quæ sit nobilis genere, & per quam acquirant multos amicos nobiles & potentes: sed quod per vxorem illam acquiratur diuitiarum copia, intendendum est quasi ex consequenti. Magis autem attendendum est in coniuge (vt in prosequendo patebit) honorabilitas generis, & plnralitas amicorum, quam multitudo diuitiarum. Omnia tamen hæc tria aliquo modo sunt attẽdenda. Ordinantur enim coniugium (vt patet ex dictis) ad debitam societatem, ad pacificum esse, & ad

Rhet. 1. cap. 1.

ad sufficieutiam vitæ. Prout ergo coniugium ordinatur ad debitam societatem, apud Reges, & Principes in suis coniugibus quærenda est nobilitas generis: sed prout ordinatur ad esse pacificum, quærenda est multitudo amicorum: prout vero ordinatur ad sufficientiam vitæ, quærenda est pluralitas diuitiarum. Probabatur enim supra, coniugium esse secundum naturam, eo quod homo naturaliter esse animal sociale: prima autem naturalis societas (vt patet per Philosophum in Polit.) est maris & fœminæ, viri, & vxoris. hoc asit non esset, nisi coniugium ordinaretur in quandam societatem debitam & naturalẽ. Cum ergo debite & congrue nobili societur: Reges & Principes, quos constat esse nobiles genere, prout coniugiũ ordinatur in societatem dignam & congruam, debent sibi vxores quærere quæ sint ex nobili genere. Secundo propter esse pacificum quærenda est amicorum multitudo. Nam pax inter homines se habet quasi sanitas respectu humorum. Sicut enim videmus in vno & eodem corpore, quod propter inæqualitatem humorum consurgit infirmitas & pugna; sic & inter homines psopter iniurias, & inæqualitates quas inter se exercent, consurgũt dissensiones & bella. quare sicut ad esse sanum requiritur, quod quis habeat naturam fortem, vt possit nociua expellere, sic ad esse pacificum requiritur abundantia ciuilis potentiæ & pluralitas amicorum. Nam secundũ Philosophum in Rhetoricis, homines libenter iniuistificant, cum possunt. Qui ergo caret ciuili potentia & non est munitus amicis, de leui iniuriam patitur, & non sinitur viuere in esse pacifico. Coniugiũ igitur prout ordinatur ad esse pacificũ, quærenda est ex eo amicorũ pluralitas. Hoc autem (vt patet ex habitis) tanto magis egent Reges, & Principes, quanto eorum status, quia altior magis indiget sustentamentis, & pluribus potest concuti infortunijs. Patet ergo quomodo in coniuge regum, & nobilium quærenda est nobilitas generis, & quomodo ex tali coniugio quærenda

Pol. 1. cap. 1.

est

est pluralitas amicorum. Restat ostẽdere quomodo ex eo quæri debeat diuitiarum multitudo. Quæruntur enim ex coniuge dotes & diuitiæ ad supportandum onera matrimonij siue coniugij, & propter sufficientiam vitæ. Verum quia Reges, & Principes semper intendunt diuitijs & possessionibus abundare, quæ deseruiunt ad sufficientiam vitæ; decet eos in suis coniugibus principalius quærere, quod sint nobiles genere, & quod per eas abundent in ciuili potentia, & quod acquirant multitudinem amicorũ, quam ex tali coniugio acquiratur multitudo numismatis. Viso quomodo Reges, & Principes in suis coniugibus debent quærere exteriora bona: de leui patet quales coniuges singuli ciues accipere debeant. Nam si Reges, & Principes decet accipere nobiles coniuges, vt inter eos sit pax & digna societas; in omni coniugio nimia imparitas videtur esse vitanda. Nam imparitas in excessu, siue sit secundum nobilitatem, siue secundum ætatem, vt plurimum est causa litigij, vel est causa vt sibi coniuges fidem non seruent. Vt si nobilis nubat ignobili, non erit inter eos digna societas, sed vnus alteri, vltra quam leges coniugij requirant, dominari conabitur. Sic etiam si nimis senes iuuenculæ nubat, quia iuuenes societate senum non gaudẽt, tanta imparitas ætatis erit quoddam incitamentũ, vt sibi coniuges fidem non seruent. Quærenda sunt ergo in coniuge tria prædicta bona exteriora, videlicet, honorabilitas generis, multitudo amicorũ, & pluralitas diuitiarum, sed hoc secundum modum et proportionalitatem nubentis, ita quod inter coniuges aliqua proportio reseruetur tã animæ quã corporis.

Quòd

Quòd decet omnes Ciues, & maxime Reges, & Principes quærere in suis coniugibus non solum quod sint ornatæ exterioribus bonis, sed etiam interioribus. Cap. XIII.

Ostendebatur supra, quale debet esse coniugium, quia est quid naturale, & est quid indiuisibile, & est vnius ad vnam. Ostendimus etiam inter quas personas debet esse coniugium, quia non inter nimia propinquitate coniunctos. Vlterius autem declarauimus, qualia bona exteriora sunt quærenda in coniuge. Reliquum est vt dicamus, quomodo coniuges ipsorum virorum bonis tam corporis quam animæ debent esse ornatæ. Sciendum igitur quod Philosophus 1. Rhetoricorum, enumerando bona foeminarum, ait, quod bona corporis fœminarum sunt pulchritudo, & magnitudo: bona vero animæ, temperantia, & amor operositatis siue seruilitatis. Quantum ergo ad bona corporis, quærenda est in vxore pulchritudo, & magnitudo: sed quantum ad bona animæ, maxime videtur esse quærendum in foemina quod sit temperata, & quod non amet esse ociosa, sed diligat facere opera non seruilia. Quæ autem sunt opera non seruilia quæ quærenda sunt in coniugibus, multa in prosequẽdo patebit. Quòd autem hæc bona corporis, magnitudo videlicet, & pulchritudo quærenda sint in vxore, sic potest ostendi. Nam licet coniugium, vt in præcedenti capitulo dicebatur, ordinetur ad societatem debitam, & ad esse pacificum, & ad sufficientiam vitæ: ordinatur etiam nihilominus ad debitam prolis productionem, & ad fornicationẽ vitandam. immo principalius videtur ordinari coniugium ad hæc duo bona, quam ad tria prædicta. Nã bonum fidei (vt ꝙ coniuges sibi fidẽ seruent, quam seruando fornicationẽ

Rhet. 1. cap. 5.

vitant) & bonum prolis magis directe pertinere: videntur ad coniugium, quam ea quæ in præcedenti capitulo diximus. omnia ergo illa, quæ videntur facere ad fornicationem vitandam, ad fidem coniugum conseruandam, & ad prolem debite producendam, in coniuge quæri debent. Videmus autem quod magnitudo corporis facit ad bonum prolis. Nam filij in quantitate corporis vt plurimum matrizant, quia totam corpulentam substantiam quodammodo habent à matre. Sicut ergo in alijs animalibus, vt plurimum ex magno genere magna procedunt: sic & in hominibus, si parentes magni existant, filij vt plurimum magni nascuntur. Decet omnes ciues propter bonum prolis, vt filij polleant magnitudine corporali, quærere in suis vxoribus magnitudinem corporis: tantò tamen magis hoc decet Reges & Principes, quantò ipsi circa proprios filios, eo quod ex eis dependeat bonum commune & salus regni, plus solicitari debent, quam alij. Secundo inter bona corporis quærenda est in vxore formositas & pulchritudo: nam & hoc facit ad bonum prolis. Nam sicut vt plurimum ex magnis nascuntur magni: sic & ex pulchris nascuntur pulchri. quare si decet omnes ciues, & maxime Reges & Principes solicitari, vt polleant filijs pulchris & magnis; decet eos in suis vxoribus quærere magnitudinem, & pulchritudinē corporalem: videtur enim pulchritudo coniugis non solum facere ad bonitatem prolis, sed etiam ad fornicationem vitandā, ad quam vitandam est ipsum cōiugium ordinatum. Viso, quomodo quantum ad bona corporis quęrenda sit in coniuge magnitudo, & pulchritudo. Restat videre quomodo quantum ad bona animæ quærēda sunt in ea temperantia, & amor operositatis. illud enim bonum maxime videtur esse quærendum in fœmina, ad cuius oppositum maxime incitatur. Dicebatur autem supra, quod agere secundum rationem, & insequi passiones, modo opposito se habent, ita quod quanto magis

insequitur passiones, minus agit secundum rationem, & econuerso. Illi ergo in quibus minus viget ratio (secundum quod huiusmodi sunt) magis inclinantur, vt sint passionum insecutores: pueri & mulieres (quantum est de se) magis videntur esse insecutores passionum, quam viri, quia vir est præstantior ratione. sed cum temperantia (vt supra in primo libro diffusius diximus) ipsas passiones moderet, ad quas mulieres maxime incitantur; licet singulis virtutibus secundum modum eis congruū fœminas pollere deceat, tamen cum tradenda est aliqua nuptui, potissime inquirendum est, vtrum polleat temperantia, eo quod ad intemperantiam fœminæ maxime incitentur. Decet ergo omnes ciues hoc in suis coniugibus quærere: tanto tamen hoc decet Reges & Principes, quanto intemperantia coniugum ipsorum plus nocumenti inferre potest, quam intemperantia coniugum aliorum. decet ergo coniuges temperatas esse.

2. part. lib. 1. cap. 15.

Decet eas etiam amare operositatem: quia cum aliqua persona ociosa existat, leuius inclinatur ad ea quæ ratio vetat. Nam mens humana (vt innuit Philosophus 7. Politicorum) nescit ociosa esse. statim ergo cum aliquis non dat se bonis & licitis exercitijs, eius mens vagatur circa alia & occupatur cogitationibus turpibus. Patet ergo ex iam dictis, quale debet esse coniugium, & qualiter omnes ciues, & maxime Reges & Principes se habere debent in ducendis vxoribus. Nam priusquam eas ducant, diligenter debent primo inquirere, qualiter sint ornatæ exterioribus bonis: vt quomodo sint nobiles genere, & quomodo per tale coniugium consequi possint ciuilem potentiam, & multitudinem amicorum. Secundo inuestigare debent, quomodo polleant corporalibus bonis: vt quòd sint magnæ statura, & quod habeant formositatem & pulchritudinem corporalem. Tertia, quia non sufficit affluere bonis exterioribus, & pollere corporalibus bonis, nisi adsint ibi bona mentis & animæ,

Polit. 7.

debent

debent inquirere, quomodo vxores ducendæ sint temperatæ, & quomodo sint operosæ circa exercitia licita & honesta.

Quòd omnes ciues, & maxime Reges & Principes non decet suas vxores regere eodem regimine, quo regendi sunt filij. Cap. XIIII.

QVia non sufficit scire quale coniugium, & qualiter quis se habere debeat in vxore ducenda, nisi circa eam iam ductam sciat debite se habere. Ideo præmissis capitulis rationabiliter hoc annectitur, vt sciamus quomodo regimen nuptiale, quo regendæ sunt coniuges, ab alijs regiminibus est distinctum. Possumus autem dupliciter via inuestigare, quod alio regimine regendæ sunt coniuges, & alio filij. Prima via sumitur ex parte modi regendi. Secunda vero ex parte operum fiendorum. Prima via sic patet. Nam (secundum Philosophos) modus regiminis vniuersi reseruatur in vno homine: vnde & ab eis homo appellatur minor mundus. Nam sicut totum vniuersum dirigitur vno Principe, vt vno Deo, qui est intellectus separatus & purus: sic omnia, quæ sunt in homine, si debite regi debent, regenda sunt intellectu & ratione: immo adeò modus vniuersi reseruatur in quolibet homine, quod Plato totum ordinem cælorum saluauit in qualibet anima rationali. Si ergo regimen totius vniuersi assimilatur regimini quod debet esse in vno homine: cùm ciuitas sit pars vniuersi, regimen totius ciuitatis multo magis reseruabitur in vna domo. Nam si domus est plus quam vnus homo singularis, & ciuitas est minus quã vniuersum: si totum vniuersum per quandam similitudinem reseruatur in vno homine, multo magis regimina

quæ sunt in ciuitate per quandam similitudinem reseruantur in domo. Vnde & Philosophus primo Politicorum, regimina vnius domus assimilat regiminibus ciuitatis. Ciuitas autem (quantum ad præsens spectat) dupli-ci regimine regi potest, politico scilicet & regali. Dicitur autem quis præesse regali dominio, cum præest secundum arbitrium & secundum leges, quas ipse instituit. Sed tunc præest regimine politico, quando non præest secundum arbitrium, nec secundũ leges quas ipse instituit; sed secundum eas quas ciues instituerunt. Cum enim principans in ciuitate ipse secundum seipsum principatur, & ipse leges instituit: regimen illud ab illo regnante nomen sumit, & dicitur regale. Sed cũ leges non instituuntur à principante sed à ciuibus, illud regimen nõ est denominandum ab ipso regnante & principante, sed magis ab ipsa politia & ab ipsis ciuibus. dicitur ergo tale regimen politicum vel ciuile. His autem duobus regiminibus in ciuitate secundum Philosophũ in Polit. assimilantur duo regimina domus, paternale, & coniugale. Nam regimen paternale assimilatur regali: coniugale vero, politico. Debet enim vir præesse vxori regimine politico, quia debet ei præesse secundum certas leges, & secundum leges matrimonij, & secundum conuentiones & pacta. Sed pater debet præesse filijs secundum arbitrium, & secundum regimen regale. Inter patrem enim & filium non interueniunt conuentiones & pacta, quomodo eum regere debeat: sed pater secundum suum arbitrium prout melius viderit filio expedire, ipsum gubernat & regit; sicut & Rex gentem sibi subiectam regere debet secundum suum arbitrium, prout melius viderit illi genti expedire. quare tale regimen recte dicitur regale. Sed inter virum & vxorem semper interueniunt quædam conuentiones & pacta, & sermones quidã, quomodo vir habere se debeat circa ipsam. Dicitur ergo tale regimen politicum, quia assimilatur illi regimini,

Polit. 1. cap. 3.

quo

quo ciues vocantes dominum, ostendunt ei pacta & conuentiones quasdam in suo regimine obseruare. Ex ipso ergo modo regendi, quia vnum est politicum, aliud regale, differt regimen coniugale à regimine paternali. Videmus enim quod regimen regale est magis totale & naturale: regimen vero politicum est magis paternale & ex electione. Nam præesse regaliter est præesse totaliter & secundum arbitrium: præesse vero politice est præesse non totaliter nec simpliciter, sed secundum quasdam conuentiones & pacta. Rursus, licet omne regimen (si sit rectum) sit naturale, attamen regimen politicum quantumcunque sit rectum, non est adeò naturale, sicut regale. immo illud regimen est quodammodo ex electione, cum in tali regimine ciues sibi dominum eligant. Ex hoc autem maxime patet differentia inter regimine nuptiale, & paternale: quia pater magis præest filijs simpliciter & totaliter, quam vxori. Rursus, dominium paternale magis est secundum naturam, quam coniugale: aliquo enim modo vxor iudicatur ad paria cum viro, & eligit sibi virum. Filij autem non sic iudicantur ad paria eum patre, nec eligunt sibi patrem, sed naturaliter producuntur ab ipso. Dicitur dominium paternale esse plus secundum naturam, quam coniugale: quia licet sit naturaliter animal coniugale, tamen quod habeat hanc coniugem vel illam est secundum placitum & ex electione: sicut homo naturaliter est aptus ad loquendum, tamen quod loquatur hoc idiomate vel illo, hoc est secundum placitum & ex electione. coniugale ergo regimen non est sic naturale, vt paternum: quia filij nullo modo eligunt sibi patrem. Viso, quomodo differt regimen coniugale à paternali ex modo regendi, quia vnum est magis simpliciter & naturale; aliud vero est quasi particulariter & ex electione: de leui videri potest, quomodo differt hoc regimẽ ab illo ex parte operum fiendorum. Nam pater sic debet præesse filijs,

vt ordinet eos ad alia opera, quam vxorem. Nam filij instruendi sunt ad opera militaria, vel ciuilia, quibus vacare debeant cum sint adulti: ad quæ non sunt instruendæ vxores, quia talibus vacare non debent. Patet ergo, quomodo decet omnes ciues alio regimine præesse vxoribus, & alio filijs. tantò tamen hoc magis decet Reges & Principes, quantò ipsi plus obseruare debent quæ dictat ordo & ratio naturalis.

Quòd omnes ciues, & maxime Reges & Principes non decet suas coniuges regere eodem regimine, quo regendi sunt serui. Cap. XV.

DIcebatur superius in domo esse tria distincta regimina. nuptiale, quo vir præest vxori. paternale, quo pater præest filijs. & dominatiuum, quo præest seruis. Postquam ergo distinximus regimen coniugale à paternali, quia paternale est magis totaliter & simpliciter, illud vero magis particulariter: & quia paternale est magis secundum naturam, illud vero est quodammodo ex electione: rursus, quia ad alia opera est hoc quam illud. Restat ostendere, quomodo coniugale regimen differt à seruili. Quòd autem non debeat vti sua coniuge tanquam serua, triplici via venari possumus. Prima sumitur ex ipso ordine naturali. Secunda ex perfectione domus. Tertia ex parilitate coniugum. Prima via sic patet. Nam tota natura mouetur & regitur a Deo, & à substantijs separatis: vnde & Philosophus in libro De bona fortuna ait, Impetus naturales quos habemus in anima esse in nobis à Deo tanquam à mouente naturam totam. Sicut ergo in artificio facto à sapienti artifice non inueniretur aliquid superfluum, nec aliquid diminutum: sic natura, nisi impediatur, eo quod mouetur & dirigitur a sapientissimos

tissimos artifice vt à Deo, nihil agit superfluum, nec deficit in necessarijs. quicquid ergo natura agit, & quicquid natura præparatur, oportet ordinatissimum esse: quia ille naturam dirigit, à quo est omnis ordo. Cum ergo tunc fit aliquid ordinatum maxime, quando vnum ordinatur ad vnum officium: cum vxor naturaliter sit ordinata ad generandum, non erit ordinata ad seruiendum. Ideo dicitur 1. Politicorum, quod naturaliter distinguuntur fœmina & seruus. Nam (vt Philosophus ait ibidem) nihil tale natura facit, sicut faciebant fabri formantes Delphicum gladium. Apud Delphos enim sic fiebant gladij propter pauperes, ita quod vnus gladius deseruiebat pluribus officijs. vtputa pauperes non valentes plura habere instrumenta, faciebant aliquod instrumentum fabricari, quo possent ad plura vti officia. natura autem non sic agit, sed vt melius fiant res naturales, semper ad vnum officium principaliter ordinat vnum aliquid. vnde & idē Philosophus ait, quod vnumquodque organorum optime perficiet suum opus, si non multis operibus sit seruiens, sed vni. Quare cum natura ordinauerit coniugem ad generationem, indecens est quod ordinetur ad seruiendū. Non est ergo naturalis ordo, virum præesse vxori eo regimine quo præest dominus seruis. Licet ergo sic sit secundum ordinem naturalem, tamen apud aliquas gentes sicut apud Barbaros, idem sunt fœmina & seruus, vt recitat Philosophus 1. Politicorum dicens, quod inter Barbaros fœmina & seruus eundem habent ordinem. vtebantur enim illi coniugibus tanquam seruis. Sed hoc ideo contingebat (vt recitatur ibidem) quia inter Barbaros nullus est naturaliter principans, sed idem est esse naturaliter barbarum & seruum. esse enim barbarum ab aliquo, hoc est, esse extraneum ab eo, & non intelligi ab illo. potest ergo quis esse barbarus huic vel illi, quia non intelligitur ab hoc vel ab illo. Sicut Theutonici sunt barbari Italicis, & Italici Anglicis. Ille tamen est barbarus

Pol. 1. cap. 1.

Polit. 1. cap. 1.

Polit. 1.

Aeg. in epist. ad Roman. lect. 3.

simpliciter, qui seipso est extraneus, & seipsum non intelligit: quod esse non potest, nisi careat vsu rationis & intellectus. Sed cum carens rationis vsu sit naturaliter seruus, quia nescit seipsum dirigere, & expedit ei quod ab aliquo alio dirigatur, idem est esse natura barbarum & seruum. Quare si apud Barbaros eundem habent ordinem vxor & seruus, hoc est propter rationis defectum, quia nesciunt distinguere inter regimen coniugale, & seruile. Quare si decet ciues esse industres, & cognoscere modum & ordinem naturalem; indecens est eos vti vxoribus tanquam seruis. Tantò tamen hoc magis indecens est apud Reges & Principes, quantò detestabilius est eos esse Barbaros, & carere ratione & intellectu. Ex parte igitur ordinis naturalis patet aliud esse regimen coniugale quam seruile: & non esse vtendum vxoribus tanquã seruis. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte perfectionis domus. Videtur enim domus esse imperfecta, & habere penuriam rerum, & non sufficere sibi in vita, si vxor & seruus habeant eundem ordinem.
Polit. 6. cap. 1. Vnde dicitur 6. Politicorum, quod pauperes, quia non habent copiam seruitorum, nec abundant in ijs quæ requiruntur ad perfectionem domus, vtuntur vxoribus & filijs tanquam seruis. Tertia via sumitur ex parilitatæ, quæ esse debet inter virum & vxorem. Nam licet vir debeat præesse vxori, eo quod ratione præstantior: non tamen debet esse tanta imparitas inter virum & vxorem, quod ea vti debeat tanquam serua, sed magis tanquam socia. Non enim est tanta imparitas inter vxorem & uirum, quanta inter dominum & seruum: immo uir & uxor quantum ad aliquid ad paria iudicantur.

Quòd

Quòd detestabile est in omnibus ciuibus, & maxime in Regibus & Principibus in ætate nimis iuuenili vti copula coniugali. Cap. XVI.

SErmones, vniuersales (vt in primo libro diximus) circa morale negocium minus proficiunt. determinare ergo de coniugio, quia regimen coniugale est aliud à paternali & seruili: & ostendere quod aliter debet se habere vir tam erga vxorem, quam erga filios, & seruos, est valde in vniuersali notitiam tradere, quale sit ipsum coniugium, & quomodo vtendum sit eo. Oportet ergo magis in particulari descendere, qualiter omnes ciues & maxime Reges & Principes debent vti copula coniugali. Sermones enim vniuersales circa mores despiciendi non sunt: quia ignorantia vniuersalium sæpe facit particularia ignorare: ipsis tamen vniuersalibus sermonibus sunt particularia addenda, quia cum negocium morale circa particularia consistat (secundum doctrinam Philosophi 2. Ethicorum) in talibus particulares sermones plus proficiunt. Determinandum est ergo particulariter, in qua ætate sit vtendum coniugio. Tangit enim Philosophus 7. Polit. quatuor rationes probantes quod in ætate nimis iuuenili non est vtendum coniugio. Prima ratio sumitur ex electione filiorum. Secunda, ex intemperantia mulierum. Tertia, ex periculo earum. Quarto, ex malo virorum. Prima via sic patet. Nam si in ætate nimis iuuenili contingantur vir & vxor (vt probat Philosophus in Polit.) læduntur inde filij quantum ad corpus, quia vt plurimum sunt nimis debiles corpore & imperfecti: & etiam læduntur quantum ad animam, quia sic nascentes vt plurimum deficiunt ratione & intellectu. Sic enim videmus in alijs rebus naturalibus, quod

Eth. 2. cap. 2.

Polit. 7. cap. 16.

quando

quando ad productionem alicuius effectus requiritur aliquid, si illud sit imperfectum oportet effectum imperfectum esse. vt si ad calefactionem requiritur calidum, si illud sit imperfecte calidum, sequitur quod imperfecte calefaciat. Sic etiam quia ad hoc quod aliquid calefaciat, requiritur quod sit dispositum ad susceptionem caloris; si aliquid sit imperfecte dispositum ad huiusmodi susceptionem, sequitur quod imperfecte calorem suscipiat. Quare si coniunctio vxoris & viri requiritur ad productionem prolis, si vir vel vxor sit in ætate nimis iuuenili, quia corpora eorum imperfecta sunt & non peruenerunt ad debitum complementum, si ex tali coniunctione nascantur pueri, sequitur quod producantur imperfecti & debiles corpore. quare quantum ad corpora ex coniunctione nimis iuuenili, consurgit læsio filiorum: sic ex tali coniunctione læduntur filij non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam: quia cum anima sequatur complexiones corporis (nam cum aliquis non est bene proportionatus in corpore, non est bonæ complexionis) impeditur anima ne possit bene speculari, & ne possit libere exequi actiones suas. nascentes ergo ex tali coniugio non solum sunt imperfecti corpore, sed etiã mente. Decet ergo omnes ciues non vti coniugio in ætate nimis iuuenili; hoc tamen tanto magis decet Reges & Principes, quanto ipsi plus debent esse soliciti, vt eorum filij sint formosi & elegantes corpore, & industres mente. Dato ergo quod contingat eos vxorem ducere in ætate nimis iuuenili, non tamen debent vti coniugio nisi in ætate debita. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex intemperantia mulierum. Nam si in ætate valde iuuenili vxores suis viris copulentur, non solum filij inde læduntur, sed etiam ipsæ vxores efficiuntur intemperatæ & lasciuæ: quia quælibet persona nimis desiderat aliquid, & nimio ardore concupiscit ipsum, si ex nimia iuuentute sit assueta ad illud. Vnde & 7. Politic. dici-

Polit. 7. cap. 16.

dicitur, quod intemperatiores videntur esse mulieres illæ, quæ nimis iuuenculæ fuerunt vsæ coniugio. Tertia via sumitur ex periculo mulierum. Nam vt dicitur in Polit. in partu iuuenculæ magis dolent & periclitantur plures. Vnde & antiquitus (vt Philosophus recitat) fuit consuetudo apud gentiles speciale oraculum facere pro partu iuuencularum, in signum, quod iuuenculæ plus periclitantur in partu, quam aliæ. Quarta via sumitur ex malo ipsorum virorum: quia ipsi viri læduntur, si in nimia iuuentute vtantur coniugio. Vnde in Politicis, dicitur quod masculorum corpora læduntur, si tempore augmenti & crescente corpore vtantur venereis. Quare si hæc mala, quæ ex nimia iuuentute coniugum accidere possunt tam coniugibus quam eorum filijs, magis vitanda sunt in Principibus & Regibus quam in alijs, potissime non decet eos vti coniugio in nimia iuuentute. Sed si quæratur quantum tempus requiratur in ipsis coniugibus. Videtur velle Philosophus, huiusmodi tempus in coniuge debere esse decem & octo annorum. In viro verò plus temporis requiritur. Nam si per totum tempus augmenti nociuum est masculis vti coniugio, cum ad tempus augmenti communiter in hominibus requirantur tria septennia, post tertium septennium in viris videtur esse debitum tempus dare operam copulæ coniugali. verum quia vis generatiua est nimis corrupta, huiusmodi tempus anticipari poterit, si videbitur expedire.

Træzeny populi.

Quòd

Quòd tempore frigido, quo flant venti boreales, magis est danda opera procreationi filiorum, quàm tempore calido, quo flant australes.
Cap. XVII.

Polit.7. cap.16. PHilosophus 7. Polit. postquam probauit per rationes plurimas, non esse dandam operam coniugio in ætate nimis iuuenili: inquirit quo tempore magis insistendum est procreationi filiorum, & ait, quod tam à naturalibus, quam à medicis conceditur, quod tempore frigido, quo flant venti boreales, melius est dare operam coniugio, quam calido tempore quo flant australes. Possumus autem hoc triplici via venari. Prima sumitur ex parte mulierum. Secunda ex læsione virorum. Tertia ex dispositione aeris. Prima via sic assignatur à quibusdam. Nam tempore calido aperiuntur pori corporis, exalat inde humidum: quare remanent corpora sicca. Rursus, apertis poris exalat naturalis calor, quo exalante corpora intrinsecus remanent frigida. Vnde quilibet in seipso experitur, quod tempore frigido flante borea melius digerit, quia calor eius interius propter frigus circunstans non exalat, sed magis roboratur & vigoratur. quare si ventres mulierum tempore hyemali sunt calidiores, quia nō exalat inde calor; & humidiores, quia non euaporat inde humidum, magis sunt apti ad generationem, & forte tali tempore magis procreantur masculi. Vnde & Philosophus videtur velle, quod oues, flantibus borealibus ventis, magis concipiunt masculos: flantibus vero australibus, magis fœminas. Omnino enim flantibus borealibus ventis propter roborationem caloris materni vteri, magis possunt conseruare suos fœtus, & eos perfectiores faciunt. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumi-

tur

tur ex læsione filiorum. Nam viri magis læduntur, si vtantur coniugali copula tempore calido flante austro, quam frigido flante borea. tempore enim boreali & frigido quia calor naturalis magis reseruatur interius, plus possumus conuertere de alimento. quare vsus coniugalis copulæ in tali tempore non sic lædit corpora virorum, nec sic attenuat ea, eo quod maior fit ibi conuersio alimenti. Tertia via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex aeris dispositione. Nam boreas reddit aerem purum: auster vero reddit ipsum turbulentum. Nam secundum Philosophum in Meteoris, Auster pluuiarum multitudinis adductiuus. Aere autem existente puro melioratur complexio existentium in eo, & fiunt meliores generationes. Quare tali tempore magis est danda opera coniugali copulæ. Decet ergo omnes ciues vti magis coniugio tempore, quo fit melior procreatio filiorum: tanto tamen hoc magis decet Reges & Principes, quanto decet eos elegantiores habere filios.

2. Met. cap 4. & Et. 4. de gen. animalium cap. 2.

Quòd in mulieribus quædam sunt laudabilia, quædam vero vituperabilia.
Cap. XVIII.

MVlierum autem mores vt plurimum quasi mores iuuenum sunt & puerorum: quodammodo enim sic se videntur habere fœminæ ad mares, sicut se habent pueri existentes in ætate imperfecta ad homines existentes in ætate perfecta. Nam secundum eundem Philosophum in Polit. mares plus vigent ratione quam fœminæ: est enim fœmina quasi masculus occasionatus, & quasi vir incompletus. Sic etiam & pueri non sic ratione vigent vt adulti; nam puer est quasi homo incompletus. Quia ergo, respectu perfectionis, & quantum ad rationis vsum, fœmina & puer quodammodo rationem eandem habent, sequitur mores fœmineos esse

Polit. 1. cap. 8. Auerr. 1. Phys. com. 81

esse quodammodo pueriles. In primo ergo libro vbi vniuersaliter tractabamus de moribus, non curauimus speciale capitulum facere de moribus mulierum: sed supposuimus coniecturandum esse de huiusmodi moribus ex moribus puerorum. Verumtamen quia in hoc secundo libro de regimine coniugum specialem requirit tractatum, vt sciamus quo regimine regendæ sint coniuges, narrandum est sub compendio & succincte, quæ sunt laudabilia, & quæ vituperabilia in ipsis fœminis. Est autem primo laudabile in eis, quia vt plurimum contingit fœminas verecundas esse. quòd duplici de causa contingit. Primo, ex appetitu laudis. Secundo, ex timiditate cordis. Mulieres enim valde sunt appetitiuæ laudis. Nã in omnibus quæ sunt imperfecte tales, plus appetunt laudari, quam perfectè possidentes illud. Clerici enim imperfecti, & habentes imperfectam scientiam, plus desiderant, vt vocentur scientes, & vt habeant nomen quod sint excellentes clerici, quam verè scientes. Nam qui vere sciunt, in seipsis inueniunt vnde gaudeant: ideo non tantum curant de apparentia. Sed qui imperfecte cognoscunt, quia non uident in seipsis scientiam unde gaudere possint; quòd non habent in rei ueritate, uolunt habere in hominum opinione. Quod ergo dictum est de scientia perfecta & imperfecta, intelligendum est de bonitate cõpleta & incompleta: nam qui sunt perfecte boni, non sic appetunt laudari & reputari boni, sicut alij. Habentes enim perfectionem bonitatis, in seipsis inueniunt unde gaudere possint: propter quod non multum curant gaudere de hominum opinione. Quare cum mulieres communiter non tanta bonitate polleant sicut uiri; si aliqualem bonitatem habeant, utputa si polleant aliquo bono corporali, ut si sint pulchræ & elegantes, uel si aliqua alia bonitate participent; ualde cupiunt laudari & commendari in ea. quòd totũ contingit eis ex imperfectione bonitatis. Nam bona corporis, ut elegantia, pulchritudo,

& ca-

& cætera talia, imperfecta bona sunt. Mulieres ergo ut plurimum uel participant bona imperfecta, ut aliqua bona corporis: uel si participant bona perfecta, ut bona mentis, participant ea imperfecto modo: propter quod communiter ualde deficiunt à perfectione uirorũ. Quare cum ad augmentum perfectionis bonitatis minuatur cupiditas laudis & desiderium reputationis, tanto plus appetunt laudari (communiter loquendo) mulieres quam uiri, quanto in bonitate sunt imperfectiores illis. propter quòd, cum uerecundia sit timor de inglorificatione & de amissione laudis, mulieres communiter sunt uerecundæ; quia timent inglorificari & amittere laudem quam nimia affectione desiderant. ex ipsa igitur cupiditate laudis probatur mulieres uerecundas esse. Rursus hoc idem probari potest ex timiditate cordis. Nam cum mulieres sint naturaliter adeò timidæ, quod quasi omnia expauescunt; sequitur eas uerecundas esse: quia uerecundia est quidam timor, ut superius dicebatur. Ex diuersis ergo causis probare possumus mulieres uerecundas esse. quicquid tamen sit de eius causis, laudabile est in ipsis esse uerecundas: quia propter uerecundiam multa turpia dimittunt quæ non dimitterent, nisi eas uerecundiæ cathena constringeret. Secundo est laudabile in mulieribus, quia communiter sunt piæ & misericordes. Pueri enim & senes & fœminæ ut plurimum sunt misericordes. Nõ tamen ex eadem causa hoc uidetur contingere: quia pueri (ut superius dicebatur) sunt miseratiui, quia sua innocentia alios mensurantes credunt omnes innocentes esse, & putant eos indigne pati. quare super eis de facili miserentur. Senes uero miseratiui existunt: quia cum ipsi in corpore & in uita deficiant, uolunt alijs misereri & compati ipsis. quare cum de facili quis inclinetur ad faciendum alijs, quod ab eis uult fieri sibi; senes de facili super alijs miserentur. Mulieres quidem miseratiuæ sunt ex mollitie cordis. Nam habentes cor molle, non

pos-

possunt aliquid sustinere: ideo statim miserentur, cum vident aliquos dura pati. Tertio considerandum est in mulieribus, quia communiter nimis excedunt. vnde cũ sunt piæ, sunt valde piæ: & cum sunt crudeles, sunt valde crudeles: & cum sunt inuerecundæ, sunt nimis inuerecundæ. Postquam enim mulieres audaciam capiunt, tãta turpia perpetrant, quod vix inuenirentur viri adeò inuerecundi vt possint tanta turpia operari. Hoc autem tertiũ & si in bonis potest esse laudabile, in malis vero est vituperabile. Viso, quæ sunt laudabilia in fœminis: restat narrare quæ sunt vituperabilia in eis. Possumus autem narrare tria in mulieribus vituperabilia. Primo, quia vt plurimum sunt intemperatæ, & passionum insecutrices. Secundo, quia sunt garrulæ & litigiosæ. Tertio, quia sunt mobiles & instabiles. Primo ergo fœminæ, cum possunt, vt plurimum sunt intemperatæ, & passionum insecutrices. Nam quia in eis ratio deficit, non sic habent vt retrahantur à concupiscentijs: sicut vir, qui est ratione præstantior. Secundo sunt garrulæ & litigiosæ: quod ex eadem causa contingit. Nam frænum mulierum vt plurimum non est ratio, quia communiter a ratione deficiunt: sed magis est passio vt verecundia: si enim se cõtinent vt non garriant & non litigent, magis hoc faciunt ex verecundia quam ex ratione. quare cum motæ sunt, nesciunt se moderare, sed sine fræno garriunt & litigant. Videmus enim fœminas plus perseuerare in litigando & garriendo, quam viri; eo quod magis à ratione deficiant quam ipsi. Tertio contingit mulieres mobiles & instabiles: quod & forte accidit ex debilitate complexionis. Nam cum anima (vt superius dicebatur) vt plurimum sequatur complexiones corporis: sicut mulieres habent corpus molle & instabile, sic voluntate & desiderio sunt instabiles & mobiles.

Quo regimine omnes ciues, & maxime Reges, & Principes debeant suas coniuges regere. Cap. XIX.

DIcebatur in præcedentibus non eodem regimine regendas esse coniuges quo regendi sunt serui: aliud enim est regimen coniugales à paternali, & etiam à seruili. Sed quia non sufficit sic in vniuersali tractare de regimine coniugali, dicendo ipsum esse differens à paternanali & seruili, nisi in speciali tractetur, quo regimine regendæ sunt coniuges: ideo oportet in speciali dicere aliqua de regimine coniugum. Sciendum ergo vnam esse communem regulã ad omne regimen. Nam quicunque vult aliquid bene regere, oportet ipsum speciales habere cautelas ad ea, circa quæ videt ipsum magis deficere. Nã sicut est in locutionibus, sic suo modo est in ipsis operibus. Videmus enim aliquos habere linguas disertas, aliquos vero balbutientes esse: & qui balbutiunt, non eodẽ modo balbutiunt: sed aliqui difficilius proferunt vnũ verbum, aliqui vero difficilius aliud. Qui ergo balbutientes vellet in loquela dirigere, oporteret eos instruere, vt specialẽ pugnam & specialem conatum acciperent circa ea verba quæ deterius proferre possent. Vnde & aliquos Philosophos legimus sic fecisse, qui cum essent impeditæ linguæ, accipientes specialem conatum circa illas literas quas deterius proferebant, facti sunt eloquentes. Hoc ergo modo & circa opera se habet. cum enim quis se vel alium videt circa aliqua deficere, si se vel alium vult recte regere, specialem conatum assumere debet circa ea in quibus esse contingit facilior casus. Quare cum mulieres (vt in præcedenti capitulo dicebatur) cõmuniter sint intemperatæ, garrulæ, & instabiles; regendæ sunt tali regimine, vt inducantur ad temperantiam, & ad taci-

De Demosthe. narrat. Quint. lib. 1. cap. 19.

turnitatem, & ad stabilitatem. Partes autem temperantiæ (vt dicebatur in primo libro) sunt quatuor. videlicet, castitas pudicitia siue honestas, abstinentia, & sobrietas. Tunc ergo mulieres sunt temperatæ, quando sunt castæ, honestæ, abstinentes, & sobriæ. Decet enim coniuges esse castas non solum propter fidem seruādam suis viris, sed etiam propter procreandam prolem. Nam si coniux castitatem non seruat, de facili filius proprius ipsius viri non succedit in hæreditatem patris. Decet ergo coniuges omniū ciuiū esse castas: & tanto magis hoc decet coniuges Regum & Principum, quantò ex earum illegitima prole potest maior lis & discordia, vel dissensio oriri. Secundo decet eas esse pudicas & honestas. Nam non sufficit coniuges esse castas, & cauere sibi ab operibus illicitis: sed oportet eas esse pudicas & honestas, vt sibi caueāt à signis & à verbis, quæ videntur inhonestatem protendere: non enim sufficit vt alius filius non succedat in hæreditatem, sed requiritur vt pater sit certus de sua prole. Cum ergo signa inhonesta, & impudica quandam suspitionem adgenerent de incontinentia coniugis; vt pater sit certus de sua prole, expedit coniuges pudicas esse. Tertio oportet eas esse abstinentes, vt caueant sibi à superfluitate cibi. Nam cibi superfluitas ad incontinentiam inclinat. Quarto decet eas esse sobrias, vt caueant sibi à superfluitate potus. Nam tam immoderantia cibi quam potus venerea prouocat. Vnde & antiquitus apud Romanas mulieres (vt recitat Valerius Maximus libro II. capitulo de Institutis antiquis) quodammodo nefas erat bibere vinum. Vnde ait, Vini vsus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit. Sic igitur regendæ sunt fœminæ, vt sint castæ, honestæ, abstinentes, & sobriæ. Modus autem; quo inducendæ sunt ad hæc omnia, diuersificatur secundum diuersitatem nobilitatis diuitiarum ipsorum virorum.

1. par. 1. lib. cap. 15.

Ge. lib. 10. c. 23

Pli. lib. 14. c. 13

rorum. Nam ciues in nobilitate & diuitijs deficientes, debent per seipsos suas instruere coniuges, & debitas cautelas adhibere, vt polleant banitatibus supradictis. Abundantes vero nobilitate, & diuitijs, & ciuili potentia, decet inquirere matronas aliquas boni testimonij per diuturna tempora, prudentia & bonis moribus approbatas, instruẽtes coniugem, & inducentes eam per monitiones debitas ad bonitates præhabitas. Viso, coniugem sic regendam esse, vt sit debite temperata: restat ostendere, quomodo regenda sit, vt debite sit taciturna. Nam, vt scribitur 1. Polit. ornamentum mulieris est taciturnitas. Si enim mulieres debite se habeant, & congrue silentium seruent, ex hoc magis ornatæ apparent, & ad maiorem amorem viros inducunt, decet ergo eas esse taciturnas. Sic etiam decet esse stabiles: quia quanto vxor est magis constans, & firma, tanto maior credulitas adgeneratur viro, vt ei debitam fidem seruet. Tali ergo regimine regendæ sunt coniuges, vt polleant prædictis sex bonitatibus. videlicet, vt sint castæ, honestæ, abstinentes, sobriæ, taciturnæ, & stabiles. Ad hæc autem viri eas inducere poterunt vel per seipsos, vel per matronas boni testimonij, vel per cautelas alias adhibendo. Quare decet omnes ciues sic suas coniuges regere: & tanto magis hoc decet Reges, & Principes, quanto ex eorum indebito regimine potest circa regnum maius periculum imminere.

Polit. 1. Circa finem Cap. 8.

Qualiter omnes ciues, & maxime Reges & Principes ad suas coniuges debeant debite se habere. Cap. XX.

NOn sufficit scire, quomodo Reges & Principes, & vniuersaliter omnes ciues debeant suas cõiuges regere, & ad quas bonitates debeant eas inducere: nisi sciatur, quomodo circa eas debeant se habere. Sunt autem tria (quantum ad præsens spectat) diligenter conside-

randa, in quibus viros circa proprias coniuges decet debite se habere. Nam primo debent eis moderatè & discretè vti. Secundo debent eas honorificè tractare. Tertio debent cum eis debitè conuersari. Decet enim eos suis coniugibus moderatè & discrete vti nã immoderatus vsus venereorum primo corpora destruit, secundo mentem deprimit, tertio immoderat appetitũ, & reddit coniuges intemperatas. Destruitur enim & debilitatur corpus ipsius viri, si nimis det operam copulæ coniugali, quia vis generatiua est nimis corrupta, & (vt vult Philos. 3. Ethic.) insatiabilis est concupiscentiæ appetitus. quare vt plurimum, homo plus appetit, quam natura requirat. Si ergo sine fræno quis sequeretur appetitum, & non moderaret desiderium copulæ coniugalis, ageret vltra quam natura requirat, & vltra quam sufficiat ad restaurandum, quod sine debilitatione proprij corporis esse non poterit. Vnde cerebrum, & visus, & alia membra nobilia debilitantur ex superflua copula. Secundo superfluus vsus non solum corpus debilitat, sed etiam mentem reprimit. Nã corpus est quasi instrumentum animæ: sicut ergo quia martellus est instrumentum fabri, debilitato martello debilitantur actiones fabriles: sic debilitato cerebro & alijs membris nobilibus impeditur anima à rationis vsu, vt non possit sufficienter considerare. vnde & supra per auctoritatem Philosophi probabatur, quod talia, si vehementia sint rationem percutiunt. Tertio huiusmodi vsus nimis maculat appetitum, & reddit coniuges intemperatas. Nam quanto plus datur opera venereis actibus, tanto plus incitatur appetitus vt sit intemperatus, & vt venerea operetur, vult Philosophus 7. Ethicorum. Propter quod eliditur quorundam brutalis cogitatio dicentium, Satisfaciam nunc concupiscentiæ, & postea de cætero abstinebo. Nam quilibet vsus carnalis copulæ incitat ad vlteriorem vsum: & quanto quis plus ea vtitur, tanto magis incitatur ad vtendum, & semper intemperantior

Eth. 3.

Eth. 7. cap 2.

tior

tior redditur. Decet ergo omnes ciues vti moderate coniugali copula, & tanto magis hoc decet Reges, & Principes, quanto indecentius est eos propter huiusmodi actus habere corpus debilitatum, mentem depressam, & intemperatum appetitum. Nec sufficit eos tali copula vti temperatè, nisi vtantur ea discrete. Nam in omnibus operibus discretio est adhibenda, vt fiant tempore debito, loco conuenienti, & modo congruo. Sunt enim aliqua tempora incongrua prædictis operibus. Nam temporibus, quibus est orationibus vacandum, decet à talibus abstinere: sic etiam temporibus, quibus posset insurgere nocumentum proli, decet abstinere à tali copula. est ergo obseruandum tempus debitum. Sic etiam obseruãdus est locus congruus & modus conueniens, vt sit inter coniuges non solum amicitia delectabilis, sed honesta. Viso, quomodo decet viros suis vxoribus moderate vti & discrete: restat videre, quomodo eas debeant honorifice pertractare. Quemlibet enim virum secundum possibilem facultatẽ decet suam vxorem honorifice retinere in debito apparatu, ei necessaria debita tribuendo. Nam cum vxor sit persona valde coniuncta, honor, qui vxori exhibetur, redundat in persona ipsius viri. immo cum ostensum sit supra vxorem non se habere ad virum quasi seruam, sed quasi sociam, decet quamlibet secundum suũ statum vxorem propriam honorifice pertractare. Ostẽso, quomodo decet viros suis vxoribus moderate & discrete vti, & quomodo debent eas honorifice retinere: restat ostendere, qualiter cum eis debeant conuersari. Tunc autem viri ad vxorem est conuersatio congrua, si ei ostendat debita signa amicitiæ, & si eas per debitas monitiones instruat. Declarare autem quæ sunt signa amicitiæ debita, & quæ sunt monitiones congruæ, fieri non potest nisi inspecta diuersitate statuum, & consideratis cõditionibus personarum: debent enim viri diligenter aduertere, vtrum vxores sint superbæ, vel humiles, vtrum sint prudentes aut fatuæ,

nam sic conuersandum est cum vxoribus, quod plura signa amicitiæ ostendenda sunt eis, si sint humiles, quam si sint superbæ: superbæ enim adeò fiunt elatæ, si eis multa amicitia ostendatur, vt velint etiam viris proprijs dominari. Rursus sic conuersandum est cum eis, quod aliter instruendæ sunt prudentes, aliter fatuæ. Nam prudentibus ad correptionem leuia verba, & blanda sufficiunt: fatuis vero est asperior increpatio adhibenda. Decet ergo quoslibet viros, considerato proprio statu, & inspectis conditionibus personarum, suis vxoribus ostendere debita amicitiæ signa, & eas (vt expedit) per debitas monitiones instruere.

Quomodo fœminæ coniugatæ circa ornamentum corporis debeant se habere.
Cap. XXI.

DEcet Reges, & Principes, & vniuersaliter omnes ciues scire, quomodo circa ornatum corporis deceat suas coniuges debite se habere. Nam cum vir suam vxorem regere debeat, eam dirigendo ad actiones honestas, & ad opera virtuosa: expedit quoslibet viros in ijs, in quibus vt plurimum delinquunt fœminæ, diligenter aduertere quæ sunt ibi licita, & quæ illicita. Cum ergo mulieres vt plurimum appetant videri pulchræ, potissime delinquunt circa ornatum corporis. quare decet viros cognoscere quis mulierum ornatus sit licitus, & quis illicitus. Nam nunquam vxores virtuosæ existunt, nisi appetant illicita fugere. Quantum autem malum incurrat ciuitati & regno ex fœminis non virtuosis, nec appetentibus licita sed illicita, ostendit Philosophus 1. Rhet. qui loquens de Lacedæmonijs, ait, eos esse infelices secundum dimidium, eo quod vxoribus suis illicita permittebant. Ne ergo domus principis vel cuiuscunq. ciuis secundum

Rhet. 1. Cap. 5. Et 2. Po. c. 7.

cundum medium sit infelix, quantum ad ornatum & etiá quantum ad omnia alia, circa quæ fœminæ consueuerunt delinquere debent eas debite admonere. Sciendum ergo ornatum fœmineum in duobus consistere, quorũ vnus potest dici fictitius, alius non fictitius. Fictitius autem ornatus dicitur fucatio, vt appositio coloris albi vel rubei: quibus per quædam figmenta ostendunt se fœminæ rubicundiores, vel albiores, vel alio modo pulchriores, quam sint. Talia autem quæ sunt fictitia & sophistica sunt illicita & prohibenda. Alius autem est ornatus non fictitius, qui consistit in debitis indumentis, & in alijs ornamentis, quæ si considerato proprio statu & conditionibus personarum debite & ordinate fiant, sunt licita & honesta. Decet enim viros secundum suum statum, suis vxoribus, in debitis vestimentis, & in alijs ornamentis, debite prouidere. Vnde & Valerius Maximus ciues Romanos commendat, qui suis vxoribus in pulchris indumentis & in alijs ornamentis debite prouidebant. sic ergo censendum est de ornatu. Sed vt vxores ipsas magis specialiter instruamus qualiter circa indumenta & circa alia corporis ornamenta debeant se habere, aduertendum quod circa ornamentum vestimentorum contingit dupliciter peccare. Primo ex superabundantia. Secundo ex defectu. Superabundantia vero (vt videtur) oportet ibi triplicem virtutem concurrere, quam tangit Andromicus Peripateticus in libello quem fecit de virtute. huiusmodi triplex virtus, est humilitas, moderantia, & simplicitas. Tũc enim mulieres circa ornatum corporis sunt humiles, quando non propter vanam gloriam se ornant, sed agunt vt suis viris placentes, eos à fornicatione retrahant. Tunc vero sunt moderatæ, quando considerato suo statu non superflua vestimenta quærunt. Decet enim vxorem militis magis esse ornatam vestibus, quam vxorem ciuis simplicis. Adhuc etiam vxorem Principis, vel etiam Regis decet magis ornatam esse. Dato igitur quod vxor alicu-

Andr. Perip.

ius viri esset humilis non ornans se propter vanam gloriam, posset delinquere in ornatũ, si non esset moderata, & vltra quam suus status requireret, appeteret ornamenta. Tertio decet fœminas circa ornatũ corporis esse simplices, vt non nimia solicitudine ornamenta requirant. Nam & si fœmina non propter vanam gloriam se ornaret, nec vltra suũ statum ornamenta appeteret: posset delinquere, si nimis esset solicita circa ipsa. His ergo tribus modis cõtingit delinquere circa superfluitatem ornamentorum. Sed duobus modis (vt communiter ponitur) contingit delinquere circa defectum. Primo si hoc fiat ex pigritia & negligentia. Nã aliquæ adeò sunt pigræ, quod ex sola negligentia omittunt solicitari circa debita indumenta. Secundo in talibus delinquitur, si ex ipso defectu quæratur laus & gloria. Contingit enim aliquando aliquem efferri & superbiri ex ipsa miseria, quam sustinet. Nam sicut in ipsis claudis, & in infirmis existentibus apud ianuas ecclesiarũ, vt in plurimum accidit quod infirmior magis gloriatur, quia credit quod in eũ plures aspiciant, & sperat se plures eleemosynas accepturũ: sic aliquando qui vilior est in habitu, magis superbus efficitur, si credat ex hoc ab hominibus cõmendari. Delinquunt igitur mulieres, si ex vilitate habitus, & ex defectu vestium gloriam quærant. vnde Philos. 4. Ethicor. vituperat Laconios, qui infra suũ statum vestimenta quærentes ex hoc in elationem & iactantiam mouebantur. Hoc ergo modo regendæ sunt coniuges quantum ad ornatũ corporis, vt circa illa sex quæ tetigimus, diligenter instruantur & moueantur. Primo ergo mouendæ sunt, ne sint sophisticæ, quærentes fucum & figmentũ. Secundo, vt sint humiles, ne propter vanam gloriam nimium se ornent. Tertio, vt sint moderatæ, ne vltra eorum statum vestimenta requirant. Quarto, vt sint simplices, ne circa ornamenta nimia solicitudine vexentur. Quinto, ne sint negligentes, ne totaliter infra eorum statum propter pigritiam deficiant erga ornamentũ corporis.

Eth. 4. Ca. 7. Talib. scõma. vtebatur Diogenes.

poris. Sexto, ne ex vilitate habitus sint superstitiosæ, vt ex ipso defectu vestium laudem & gloriam cupiant.

Quòd non decet Reges, & Principes, & vniuersaliter omnes ciues erga suas coniuges nimis esse zelotypos. Cap. XXII.

MVlti virorum in hoc videntur delinquere, quia circa vxores proprias sunt nimis zelotypi. Sed quod nimis zelus non sit laudabilis, triplici via ostendere possumus. Nam cum quis erga suam coniugem est nimis zelotypus, ex nimio zelo quem erga illam gerit, omnia suspicatur in peius. Multotiens quidem vxores bene viuentes, & debite se gerentes increpantur à viris, si contingat eos nimis esse zelotypos: eo quod ipsi zelotypi etiam bene acta suspicantur in peius. Ex suspitione autem ipsius zelotypi, si nimis sit eius zelus, tria mala consurgunt; ex quibus tres rationes sumi possunt, ostendentes nimis zelotypos non esse laudandos. Primum est, quia viri in seipsis nimia turbatione vexantur. Secundum, quia ex hoc ipsæ vxores incitantur ad malum. Tertium vero, quia vt plurimũ ex tali zelo consurgit in domo litigium & perturbatio. Prima via sic patet. Nam si viri in nimio zelo mouentur circa vxores proprias, quasi semper sunt in suspitione, & per consequens semper sunt in anxietate cordis: quare cum vna cura impediat aliam, oportet sic zelantes retrahi à debitis curis, & à ciuilibus operibus. Decet ergo omnes ciues non esse nimis zelotipos de suis coniugibus: & tanto magis hoc decet Reges & Principes, quanto maius præiudicium potest insurgere regno, si Reges sint in anxietate cordis, & retrahantur à debita cura regni. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex eo quod vxores incitantur ad malum, si contingat suos viros esse nimis zelotypos. Cõmune est .n. quod semper prohibitio

auget

Rhet. 2. C. 13. auget concupiscentiam. Nam, ut dicitur 2. Rhetoricorum concupiscentia est eius quod abest. Ideo probatur ibi, quod senes magis desiderant uiuere ultima die, quam præcedentibus diebus, eo quod tunc magis deficit eis uita. Semper ergo magis concupiscitur quod abest, & quod uidemus nobis deficere. Sed cum res prohibita, eo ipso quod prohibetur & uidetur abesse & deficere, ex hoc ipso magis desideratur & concupiscitur, sequitur uxores zelotypiorum magis incitari ad malum, quia augetur in eis concupiscentia ex inordinato zelo uirorum, & ex ipsorum inordinata prohibitione. Tertia uia ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex lite & iurgio, quod in domo consurgit. Nam cum uidetur uxoribus quod sine causa calumnientur, & quod earum uiri sine culpa suspicentur de ipsis mala, quod faciunt uiri zelotypi; non possunt patienter sufferre. propter quod in domo illa ut plurimum oriuntur lites & iurgia. Non ergo decet uiros de suis coniugibus esse nimis zelotypos. Nec etiam decet eos circa suas coniuges nullam habere custodiam & nullum habere zelum, sed consideratis conditionibus personarum, & inspectis consuetudinibus patriæ quilibet circa propriam coniugem debet debitam curam, & debitam diligentiam adhibere. Sic enim decet uirum quemlibet erga suam coniugem ornatum habere zelum, ut sit inter eos amicitia naturalis delectabilis, & honesta.

Quale

Quale sit consilium mulierum: & quod earum consilio non est vtendum simpliciter sed in casu. Cap. XXIII.

Consilium mulierum, vt dicitur 1. Politicorum est inualidum: nam sicut puer habet consilium imperfectum, quia deficit à perfectione viri: sic etiam foemina habet inualidum consilium, quia habet complexionem inualidam, & deficit à valitudine viri. Quòd autem foeminæ non sint robustæ corpore, non est ex bonitate complexionis, sed ex malitia. mollicies enim carnis in ipsis magis arguit abundantiam flegmatis, quam bonitatem complexionis. quia ergo sic est, oportet foeminas deficere à ratione, & habere consilium inualidum. Nam quantum corpus est melius complexionatum, tanto est magis proportionatum animæ: propter quod magis obsequitur ei: & anima existens in tali corpore, liberius vtitur operibus proprijs, & expeditus habet rationis vsū. Primum igitur, quod est attendendum in consilio mulierum, est, quia est inualidum. Secundum vero, quod est attendendum, est, quia est velox & citum. Nam, vt vult Philosophus in de Animalibus, omnia minora & debiliora citius veniunt ad suum complementum. Consilium ergo mulieres, quia est debilius & inualidus quam consilium virile, citius venit ad suum complementum. Ceteris ergo paribus si quis statim operari deberet, nec posset ad illud negocium sufficientem deliberationem habere; elegibilius esset consilium muliebre quam virile. Natura enim cum moueatur ab intelligentijs, & à Deo, in quo est suprema prudentia; oportet quod agat ordinate & prudenter. Prudentis est enim citò se expedire, & modicum tempus apponere in rebus vilioribus de quibus est minus curandum. vnde & prouerbialiter dicitur, quod mala herba

Pol. 1. cap. 8.

herba cito crescit. quia natura de ea modicum curans, cito perducit ipsam ad suum augmentum. Sic & mulier quātum ad corpus cuius habet esse perfectum quam vir. quare cum anima sequatur complexionem corporis, sicut ipsum corpus muliebre eo quod sit vilius, & natura minus de ipso curet, citius venit ad suum complementū, quam virile. Sic cōsilium muliebre citius est in perfectione & complemento, quam virile. Simpliciter ergo melius est consilium virorum quam mulierum, eo quod vir sit ratione præstantior, & mulier habeat consilium inualidum. In casu tamen potest esse muliebre consilium melius quam virile: vt quia illud est citius in suo complemento, sic oporteret repentino operari, forte elegibilius esset huiusmodi consilium.

Quomodo decet Reges, & Principes, & vniuersaliter omnes ciues proprijs coniugibus sua aperire consilia. Cap. XXIV.

TRiplici via inuestigare possumus, quod mulieres cōmuniter, & vt plurimum secreta retinere non possunt. Prima via sumitur ex defectu rationis. Secunda ex mollicie cordis. Tertia ex appetitu laudis. Prima via sic patet: quia (vt in præcedentibus dicebatur) eo ipso quod aliquid est prohibitū, augetur concupiscentia nostra, vt operemur illud. quare cū ponere aliquid in præcepto, sit prohibere, ne dicatur illud: ex ipsa prohibitione incitatur cōcupiscentia magis ad dicendū secreta, quā alia. nisi ergo à ratione huiusmodi concupiscentia refrænetur, nō congrue possūt retinere secreta. Mulieres igitur eo ꝙ ab vsu rationis deficiunt, nec possunt sic refrænare concupiscentias, sunt magis propalatiuæ secretorū, quam sint viri. Nam si prohibitio auget concupiscentiā: tanto sunt proniores mulieres ad faciendū prohibita quam masculi, quanto ab vsu ratio-

rationis deficientes, minus possunt refrænare incitamenta concupiscentiarum quam viri. Secunda via ad inuestigandum hoc idē, sumitur ex molicie cordis. Nā quia mulieres vt plurimum sunt molles & ductibiles, statim cū aliqua persona eis applaudet, & ridet in facie earū, credunt ipsam esse amicam, & reuelant ei omnia secreta cordis. Tertia via ad hoc probandū, sumitur ex appetitu laudis. Dicebatur enim in præcedentibus, quod mulieres nimis appetunt laudem & gloriam. Inde est igitur quod communiter & vt plurimum mulieres alijs mulieribus, quas credunt amicas esse, reuelant secreta virorum. Credunt enim ex hoc esse in quadam excellentia, & laudari apud eas, si sciant referre virorum secreta. Nam quia videntur à suis viris diligi; si sciant secreta ipsorum; cum conglorientur, si possint se laudari quod à suis maritis diligantur, appetentes quandam inanem gloriam, & quandam laudem, de facili reuelant secreta virorum. Ex hoc autem de facili apparet, qualiter viri suis coniugibus debeant reuelare secreta. Nam cum dicimus hos esse mores iuuenum, hos mulierum, hos senum. non est intelligendum talia necessitatem imponere, sed solummodo vt in pluribus, & secuudum quandam pronitatem, & inclinationem. Possunt tamen tam fœminæ quam viri per rationis vsum (si velint) esse coustantes, & vincere huiusmodi impetus & inclinationes. Nam licet sit difficile superare incitamenta concupiscentiarum, & sit hoc magis difficile in fœminis quam in viris, eo quod magis deficiant à rationis vsu. non tamen est impossibile: possunt enim tam viri quam mulieres huiusmodi impetus vincere. quare licet communiter mulieres sint propalatiuæ secretorum, non est tamen inconueniens aliquas mulieres esse debita secreta tenentes. Viri igitur non debent suis coniugibus secreta aperire, nisi per diuturna tempora sint experti, eas esse discretas, prudentes, & stabiles, & non esse secretorum propalatiuas. His visis,

cum

cum ostensum sit, quomodo communitas viri & vxoris sit naturalis, & quomodo se habeant ad alias communitates domus: cum etiam declaratum sit, quomodo Reges & Principes, & vniuersaliter omnes ciues se habere debeant ad suas coniuges, & quomodo cum eis debeant conuersari, imponatur finis primæ parti hujus secundi Libri, in qua agitur de regimine coniugali. Videretur tamē forte alicui non sufficienter esse traditam notitiam regiminis nuptialis, eo quod non ostensum sit, ad quæ opera sint coniuges ordinandæ: si enim indecés est eas esse ociosas, vt superius dicebatur, describenda sunt opera, quæ decet ipsas coniuges exercere. Sed quia de eis infra dicetur, volumus ea hic silentio præterire.

Primæ partis secundi libri de Regimine Principum finis. in qua traditum fuit, quo regimine Reges & Principes debeant suas coniuges regere.

SECVNDA PARS Secundi Libri de regimine Principum: in qua tractatur quomodo parentes circa proprios filios curam de eis habeant.

Quòd decet omnes parentes circa proprios filios esse solicitos. Cap. I.

EXPEDITA prima parte huius Libri secundi, in qua determinatum est de regimine nuptiali. Restat exequi de secunda, in qua agetur de regimine paternali: non enim sufficit patrifamilias, scire coniugem regere, nisi nouerit filios debite gubernare. Sciendum igitur, quod cum communitas viri & vxoris, & domini & serui pertineant ad domum primam: communitas vero patris, & filij pertineat ad domum iam in esse perfectam; quia domus prima præcedit domum iam in esse perfectã, ideo forte videretur alicui statim post determinationem de regimine nuptiali, determinandum esse de regimine seruorum. Verum quia, vt dicitur primo Politicorum, *Pol. 1.* oeconomiæ amplior est solicitudo circa homines quam circa passionem inanimatorum, & circa liberos quam circa seruos, ideo decreuimus prius determinare de regimine

mine filiali quam de regimine seruili, tanquam de eo circa quod esse debet amplior cura. In determinando quidẽ de regimine filiorum, primo ostendere uolumus, quod decet omnes patres circa proprios filios esse solicitos. Nã cognita solicitudine, quæ est circa filios habenda, magis incitabũtur parentes vt suos filios bene regant. Possumus autem triplici via venari, quod decet huiusmodi solicitudinẽ habere parentes. Prima via sumitur ex eo quod patres sunt causa filiorum, & filij habent ab eis esse. Secũda, ex eo quod sunt superiores & præstantiores illis. Tertia vero, ex eo quod inter eos debet esse amicitia naturalis. Prima via sic patet. nam sicut in naturalibus rebus aspicimus quod nunquã natura dat esse alicui, nisi sit solicita circa ea per quæ illud valet cõseruari in esse, vt si natura dat esse igni, statim est solicita dare ei leuitatem quandã, per quam feratur sursum, eo quod in loco superiori magis habet in esse conseruari quam in inferiori: sic etiam si natura dat animalibus esse, quia animal sine cibo conseruari non potest, natura est solicita dare animalibus ora & alia organa, per quæ possunt sumere cibum & nutrimentum. Quare si patres sunt causa filiorum, & filij naturaliter à patribus esse habent, decet patres habere curam filiorum, & solicitari erga eos, vt inueniant eis illa, per quæ possint bene viuere, & per quæ valeant conseruari in esse. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex eo quod patres sunt præstantiores filijs, & debent præesse eis. Naturaliter enim semper superiora in inferiora influunt, & ea regulant & conseruãt: videmus enim super cælestia corpora influere in hæc inferiora, & ea regere, & conseruare. Quare si naturale est, vt superiora & præeminentia in inferiora influant, & ea regulent & conseruent: decet quemlibet dominantem, & præeminentem solicitari, quomodo per debita auxilia influat, & subueniat suis subiectis, & quomodo eos regulet & conseruet. Vnde & ipse

Deus,

Deus, qui singulis rebus præest, habet solicitudinem, & prouidentiam totius Vniuersi. Patres ergo eo ipso quod naturaliter præsunt filijs, debent circa eorum regimen esse soliciti. Tertia via sumitur ex parte amicitiæ naturalis, quæ est inter parentes, & filios. De ratione enim amoris, est vt solicitet amantem circa rem amatam, quilibet enim solicitatur circa dilectum: quare cum inter patrem & filium sit amor naturalis, vt probatur 8. Ethicorum, decet patres ex ipso amore naturali, quem habent ad filios, solicitari circa eos.

Phil. in 8. Polit. Eth. 8. cap. 12.

Quod maxime decet Reges & Principes solicitari circa regimen filiorum. Cap. II.

Licet omnes patres deceat solicitari circa proprios filios, vt patet per rationes superius assignatas: maxime tamen decet Reges, & Principes talem solicitudinem gerere. Quod triplici via venari possumus. Prima via sumitur, ex eorum intelligentia. Secunda, ex bonitate filiorum. Tertia vero, ex vtilitate regni. Prima via sic patet. Nam secundum Philosophum in de Animalibus, quod est ex animalibus intelligentius, magis habet solicitudinem circa filios: naturale est enim quemlibet diligere sua opera, vt Philosophus in Ethicorum vnde & patres naturaliter diligunt filios, & poetæ sua poemata tamquam proprium opus. Quando ergo aliquis est intelligentior, & magis cognoscit proprium opus, tanto maiori solicitudine & dilectione mouetur circa illud. Patres ergo tanto magis debent solicitari circa filios, quanto prudentiores sunt, & quanto maiori intelligentia vigent. Sed cum habitum sit quod Reges, & Principes & vniuersaliter omnes dominantes, si debeant naturaliter dominari, oportet quod polleant prudentia & intellectu: tanto

Eth. 9. cap. 7.

decet Reges & Principes magis solicitari circa proprios filios quam ceteri, quanto in eis magis vigere debet mẽtis industria & prudentia regitiua. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex bonitate filiorum. Decet enim filios Regum & Principum maiori bonitate pollere quam alios: quia secundum Philosophum in Politic. secundum quod aliqui sunt in maiori statu & in altiori dignitate, sic debent meliores esse, & esse magis perfecti scientia & virtutibus. Congruum enim est qui alios regere cupit, vt si adeò prudens & bonus, vt ceteri ex ipso possint sumere viuendi exemplum. Filij ergo regum licet non omnes sint reges, tamen quia singuli constituuntur in aliquo principatu & in aliquo dominio, in quo oportet eos alios gubernare; maxime decet eos esse prudentes & bonos. Et cum filij perueniunt ad maiorem bonitatem & prudentiam, si patres circa eos sint soliciti, quam circa ipsos se habeant negligenter, tanto decet Reges & Principes magis solicitari circa proprios filios, quanto filij eorum pollere debent maiori prudentia & ampliori bonitate. Tertia via ad hoc ostendendum sumitur ex vtilitate regni. Bonitas enim regni dependet ex bonitate eorum qui sunt in regno, & maxime dependet ex bonitate principantium in ipso. Nam sicut sanitas corporis naturalis dependet ex sanitate omnium membrorum, & maxime ex sanitate cordis & membrorum principalium, eo quod cor & principalia membra habent influere in alia, & rectificare ipsa; sic bonitas regni dependet ex bonitate omnium ciuium, maxime tamen dependet ex ijs qui principantur & dominantur in regno. Vtile est ergo toti regno habere bonos ciues, sed vtilius est habere bonos principantes, eo quod principantis sit alios regere & gubernare; tanto ergo magis decet Reges & Principes solicitari circa proprios filios, vt polleant prudentia & bonitate; quanto maior vtilitas consurgit ipsi regno ex bonitate

Phil. in Polit. lib. 3. cap. 3.

Eth. 9. cap. 7.

filiorum Regum, qui debent habere principatum & dominium in regno; quam ex bonitate & prudentia aliorum.

Quòd regimen paternale sumit originem ex amore; & quod non eodem regimine regendi sunt filij, quo regendi sunt serui. Cap. III.

QVia post tractatum de regimine coniugis, determinandum est de regimine paternali: videndum est, vnde sumit originem regimen paternum, & quo regimine regendi sunt filij. Sciendum ergo triplex esse regimé. Nam omnis regens alios, vel regit eos secundum certas leges, & secundum certa pacta: & tale regimen (vt superius dicebatur) nominatur politicum vel ciuile. Vel regit eos secundum arbitrium: & hoc potest esse dupliciter: quia vel sic regens intendit bonum proprium, & sic dicitur regimen despoticum vel dominatiuum: vel intendit bonum subditorum, & tale regimen dicitur regale. His autem tribus regiminibus, secundum quod videmus aliquos regnare in ciuitatibus & castris, assimilantur tria regimina reperta in vna domo. Nam regnum coniugale assimilatur regimini politico: quia vxori (vt in præhabitis tangebatur) non quis debet præesse simpliciter ex arbitrio, sed ei præesse debet vt requirunt leges matrimonij, & vt potius per pacta debita & honesta, quæ interueniunt inter virum & vxorem. Regimen vero paternale assimilatur regimini regali. Nam filijs præest pater ex arbitrio, non secundum conuentiones & pacta. Nam pacta & conuentiones non interueniunt inter subditum & præeminentem, nisi sit in potestate subiecti eligere sibi rectorem: non est autem in potestate filiorum

eligere sibi patrem, si ex naturali origine filij procederent à parentibus. Non enim sic filij eligunt sibi patres, vt vxores viros. Quare cum regimen filiorum sit ex arbitrio, & sit propter bonum ipsorum filiorum; huiusmodi regimen non assimilatur regimini politico, sed regali. Vnde & Philosophus 1. Politicorum ait, virum præesse mulieri, & natis tanquam liberis. non tamen eodem modo principandi: sed mulieri quidem politicè, natis autem regaliter. Tertium autem regimen quod est in domo, vel regimen quo regitur familia cætera, assimilatur regimini dominatiuo. His ergo sic ostensis, manifestè apparent vera esse quæ in principio capituli proponebantur. Nam si pater debet præesse filijs regaliter & propter bonum ipsorum: cum amare aliquod, idem sit quod velle ei bonum, pater debet præesse filijs propter profectus ipsorum, & quia vult eorum bonum: constat ergo quod huiusmodi regimē sumit originem ex amore. Ex hoc ergo manifeste ostenditur, quod non eodem regimine debent regi filij, quo regendi sunt serui. Nam dominus præest seruis propter bonum proprium, non propter bonum seruorum. hoc est enim secundum Philosophum præesse aliquibus dominatiue, non intendere bonum ipsorum, sed proprium: pater tamen debet præesse filijs propter bonum ipsorum filiorum. Ex ipsa ergo distinctione regiminum: patet, paternale regimen non esse idem quod dominatiuum, sed sumit originem ex amore tamen, vt manifestius appareat quod dicitur, possumus duplici via venari, paternale regimen trahere originem ex amore. Prima via sumitur ex ordine naturali. Secunda ex ipsa perfectione patris. Prima via sic patet. Nam secundum Philosophum ideo natura dedit vim generatiuam rebus, vt quæ non possunt perpetuari in seipsis, perpetuantur in suo simili. Quare si regimen paternum ex hoc sumit originem, quia filius naturaliter est quædam similitudo procedens à patre: cum secundum naturam ad huiusmodi similia sit dilectio, ex

Pol. 1. cap. 1.

2. de Generat. tex. 13. 2. de Anima te. 34.

ipso ordine naturali arguere possumus, paternum regimen in amore fundari, & ex amore oriri. Sicut enim est in hominibus naturalis impetus ad producendum sibi simile, & ad filios procreandum: sic est in eis naturalis impetus ad eos diligendum, & per consequens ad eos gubernandum & regendum, & ad habendum solicitudinem circa ipsos. Est ergo hic naturalis ordo, quod regnum, & solicitudo paterna sumat originem ex amore. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex ipsa perfectione patris. Nam vnumquodq; perfectum est secundum Philosophum, quando potest sibi simile generare. quare cum quilibet suam perfectionem diligat, naturaliter pater diligit filium, cum proprie filius sit quidam testis perfectionis eius. Quia ergo pater naturalem amorem habet ad filium, ex huiusmodi amore solicitatur, vt ipsum regat & gubernet: quod non esset, nisi paternum regimen ex amore nasceretur. Viso, quod paternum regimen ex amore nascitur, patet quod filijs debet præesse pater propter bonum filiorum. Non ergo regendi sunt filij eodem regimine, quo serui: quia seruis (secundum quod huiusmodi) quis præest propter bonum proprium. Si ergo contingat aliquem vti filijs, tanquam seruis, hoc est ex imperfectione domus. vt quia forte sic pauper est, quod seruorum copiam habere non potest. Vnde & Philosophus 6. Polit. ait, quod egenis necesse est vti mulieribus & filijs, tanquam seruis.

Phil. 5. Me. ca. 16.

Quòd amor, qui debet esse inter Patrem & filium, sufficienter inducat patres debere filios regere, & filios debere patribus obedire. Cap. IIII.

Dicebatur in præcedenti capitulo, paternale regimen sumere originem ex amore. Videndum est igitur quantus sit amor patrum ad filios, & filiorum ad patres, vt nobis innotescat, quomodo patres debeant regere filios, & filij patribus obedire. Sciendum ergo per Philosophum 8. Ethic. triplici ratione probare, parentes plus diligere filios quam econtra. Prima via sumitur ex diuturnitate temporis. Secunda, ex certitudine prolis. Tertia, ex vnione parentum ad filios. Prima via sic patet. Nam quanto amor magis durat, tanto vehementior efficitur: amor autem parentum ad filios diuturnior est, quam filiorum ad parentes. Nam statim cum filij nascuntur, parentes diligunt eos: non tamen filij statim incipiunt amare parentes, quia statim non sunt tantæ cognitionis vt possint discernere quod sit diligendum. immo quia pueri mox nati nesciunt discernere parẽtes ab alijs, non statim per amorem efficiuntur ad illos; sed per processum temporis, quando possunt discernere parentes ab alijs, incipiunt eos diligere. Diuturnior est ergo amor parentum ad filios, quam econuerso: quare fortior & vehementior. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex certitudine prolis. Nam parentes magis sunt certi de sua prole quam proles de suis parentibus: proles enim certificari non potest qui fuerint parentes eius, nisi ex quibusdam signis, vt quia puer videt personas aliquas magis affici ad eum quam alias, arguit illas parentes eius. vel auditu, quia hoc audit ab alijs, ideo sic esse

Eth.8. C. 12.

putat. In principio tamen natiuitatis eius non est illius cognitionis vt possit cognoscere à qua matre procedit, vel à quo patre. Parentes tamen statim cognitionem habent de ipsa prole: ideo magis possunt certificari de ea, quam econuerso. propter quod & vehementius diligunt ipsam, quam econuerso. nam si inter parentes & filios est amor naturalis, tanto huiusmodi amor est validior, quanto apud parentes est maior certitudo de prole. Ex hac auté ratione ostendi potest, ꝙ & matres plus diligunt filios, quam patres: quia de illis certiores existunt. Tertia via probans hoc idem, sumitur ex vnione parentum ad filios. Nam filij sunt magis propinqui & magis vniti parentibus, quam econuerso. quare cum amor quandam vnionem importet, filij tanquam magis vniti & magis propinqui parentibus, magis diliguntur ab ipsis, quam econuerso. Sic enim imaginatur Philosophus, quod filij sunt quasi quædam pars parentum: Nam filij est quædam pars à parentibus abscisa. Pars autem magis vnitur toti, quia apprehenditur ab ipso; quam totum vniatur parti, quod ab ea comprehendi non potest. In toto enim est assignare aliquid, quod multum distat à parte: sed nihil est in parte, quod multum distet à toto. quare si pars moueretur ad amoré totius, non adeò feruenter diligeret ipsum, quia videret in ipso toto aliqua quæ multum distarent ab ipsa. Sed si totum moueretur ad amorem partis; vehementius amaret eam; quia nihil aspiceret in parte, quod non esset in toto. Filius ergo, qui est quædam gleba à parentibus descendens, & quia est quædam pars ipsorum; nihil est in filio, quod non sit aliquo modo propinquum parentibus, & quod secũdum aliquem modum non pertineat ad illos. Filij tamen non sic vehementer mouentur ad dilectionem parentum: quia quod est parentum, non sic pertinet ad filios, & per consequens non est sic vnitum eis: sed quod est filiorum, pertinet ad parentes. Ex his autem vijs Philosophi (vt videtur) sufficiéter

Eth. 8. C. 12.

cum ostensum sit, quomodo communitas viri & vxoris sit naturalis, & quomodo se habeant ad alias communitates domus: cum etiam declaratum sit, quomodo Reges & Principes, & vniuersaliter omnes ciues se habere debeant ad suas coniuges, & quomodo cum ejs debeant conuersari, imponatur finis primæ parti hujus secundi Libri, in qua agitur de regimine coniugali. Videretur tamẽ forte alicui non sufficienter esse traditam notitiam regiminis nuptialis, eo quod non ostensum sit, ad quæ opera sint coniuges ordinandæ: si enim indecẽs est eas esse ociosas, vt superius dicebatnr, describenda sunt opera, quæ decet ipsas coniuges exercere. Sed quia de ejs infra dicetur, volumus ea hic silentio præterire.

Primæ partis secundi libri de Regimine Principum finis. in qua traditum fuit, quo regimine Reges & Principes debeant suas coniuges regere.

SECVNDA PARS Secundi Libri de regimine Principum: in qua tractatur quomodo parentes circa proprios filios curam de eis habeant.

Quòd decet omnes parentes circa proprios filios esse solicitos. Cap. I.

EXPEDITA prima parte huius Libri secundi, in qua determinatum est de regimine nuptiali. Restat exequi de secunda, in qua agetur de regimine paternali: non enim sufficit patrifamilias, scire coniugem regere, nisi nouerit filios debite gubernare. Sciendum igitur, quod cum communitas viri & vxoris, & domini & serui pertineant ad domum primam: communitas vero patris, & filij pertineat ad domum iam in esse perfectam; quia domus prima præcedit domum iam in esse perfectã, ideo forte videretur alicui statim post determinationem de regimine nuptiali, determinandum esse de regimine seruorum. Verum quia, vt dicitur primo Politicorum, *Pol.* 1. oeconomiæ amplior est solicitudo circa homines quam circa passionem inanimatorum, & circa liberos quam circa seruos, ideo decreuimus prius determinare de regimine

mine filiali quam de regimine seruili, tanquam de eo circa quod esse debet amplior cura. In determinando quidē de regimine filiorum, primo ostendere uolumus, quod decet omnes patres circa proprios filios esse solicitos. Nā cognita solicitudine, quæ est circa filios habenda, magis incitabūtur parentes vt suos filios bene regant. Possumus autem triplici via venari, quod decet huiusmodi solicitudinē habere parentes. Prima via sumitur ex eo quod patres sunt causa filiorum, & filij habent ab eis esse. Secūda, ex eo quod sunt superiores & præstantiores illis. Tertia vero, ex eo quod inter eos debet esse amicitia naturalis. Prima via sic patet. nam sicut in naturalibus rebus aspicimus quod nunquā natura dat esse alicui, nisi sit solicita circa ea per quæ illud valet cōseruari in esse, vt si natura dat esse igni, statim est solicita dare ei leuitatem quandā, per quam feratur sursum, eo quod in loco superiori magis habet in esse conseruari quam in inferiori: sic etiam si natura dat animalibus esse, quia animal sine cibo conseruari non potest, natura est solicita dare animalibus ora & alia organa, per quæ possunt sumere cibum & nutrimentum. Quare si patres sunt causa filiorum, & filij naturaliter à patribus esse habent, decet patres habere curam filiorum, & solicitari erga eos, vt inueniant eis illa, per quæ possint bene viuere, & per quæ valeant conseruari in esse. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex eo quod patres sunt præstantiores filijs, & debent præesse eis. Naturaliter enim semper superiora in inferiora influunt, & ea regulant & conseruāt: videmus enim super cælestia corpora influere in hæc inferiora, & ea regere, & conseruare. Quare si naturale est, vt superiora & præeminentia in inferiora influant, & ea regulent & conseruent: decet quemlibet dominantem, & præeminentem solicitari, quomodo per debita auxilia influat, & subueniat suis subiectis, & quomodo eos regulet & conseruet. Vnde & ipse

Deus,

Deus, qui singulis rebus præest, habet solicitudinem, & prouidentiam totius Vniuersi. Patres ergo eo ipso quod naturaliter præsunt filijs, debent circa eorum regimen esse soliciti. Tertia via sumitur ex parte amicitiæ naturalis, quæ est inter parentes, & filios. De ratione enim amoris, est vt solicitet amantem circa rem amatam, quilibet enim solicitatur circa dilectum: quare cum inter patrem & filium sit amor naturalis, vt probatur 8. Ethicorum, decet patres ex ipso amore naturali, quem habent ad filios, solicitari circa eos. *Phil. in Pol.* *Eth. 8. cap. 7.*

Quòd maxime decet Reges & Principes solicitari circa regimen filiorum. Cap. 11.

Licet omnes patres deceat solicitari circa proprios filios, vt patet per rationes superius assignatas: maxime tamen decet Reges, & Principes talem solicitudinem gerere. Quod triplici via venari possumus. Prima via sumitur, ex eorum intelligentia. Secunda, ex bonitate filiorum. Tertia vero, ex vtilitate regni. Prima via sic patet. Nam secundum Philosophum in de Animalibus, quod est ex animalibus intelligentius, magis habet solicitudinem circa filios: naturale est enim quemlibet diligere sua opera, vt Philosophus in Ethicorum, vnde & patres naturaliter diligunt filios, & poetæ sua poemata tanquam proprium opus. *Eth. 9. cap. 7.* Quando ergo aliquis est intelligentior, & magis cognoscit proprium opus, tanto maiori solicitudine & dilectione mouetur circa illud. Patres ergo tanto magis debent solicitari circa filios, quanto prudentiores sunt, & quanto maiori intelligentia vigent. Sed cum habitum sit quod Reges, & Principes & vniuersaliter omnes dominantes, si debeant naturaliter dominari, oporteat quod polleant prudentia & intellectu: tanto

decet Reges & Principes magis solicitari circa proprios filios quam ceteri, quanto in eis magis vigere debet mentis industria & prudentia regitiua. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex bonitate filiorum. Decet enim filios Regum & Principum maiori bonitate pollere quam alios: quia secundum Philosophum in Politic. secundum quod aliqui sunt in maiori statu & in altiori dignitate, sic debent meliores esse, & esse magis perfecti scientia & virtutibus. Congruum enim est qui alios regere cupit, vt si adeò prudens & bonus, vt ceteri ex ipso possint sumere viuendi exemplum. Filij ergo regum licet non omnes sint reges, tamen quia singuli constituuntur in aliquo principatu & in aliquo dominio, in quo oportet eos alios gubernare; maxime decet eos esse prudentes & bonos. Et cum filij perueniunt ad maiorem bonitatem & prudentiam, si patres circa eos sint soliciti, quam circa ipsos se habeant negligenter, tanto decet Reges & Principes magis solicitari circa proprios filios; quanto filij eorum pollere debent maiori prudentia & ampliori bonitate. Tertia via ad hoc ostendendum sumitur ex vtilitate regni. Bonitas enim regni dependet ex bonitate eorum qui sunt in regno, & maxime dependet ex bonitate principantium in ipso. Nam sicut sanitas corporis naturalis dependet ex sanitate omnium membrorum, & maxime ex sanitate cordis & membrorum principalium, eo quod cor & principalia membra habent influere in alia, & rectificare ipsa; sic bonitas regni dependet ex bonitate omnium ciuium; maxime tamen dependet ex ijs qui principantur & dominantur in regno. Vtile est ergo toti regno habere bonos ciues, sed vtilius est habere bonos principantes, eo quod principantis sit alios regere & gubernare: tanto ergo magis decet Reges & Principes solicitari circa proprios filios, vt polleant prudentia & bonitate; quanto maior vtilitas consurgit ipsi regno ex bonitate filio-

Phil. in Polit. lib. 3. cap. 3.

filiorum Regum, qui debent habere principatum & dominium in regno; quam ex bonitate & prudentia aliorum.

Quòd regimen paternale sumit originem ex amore; & quod non eodem regimine regendi sunt filij, quo regendi sunt serui. Cap. III.

QVia post tractatum de regimine coniugis, determinandum est de regimine paternali: videndum est, vnde sumit originem regimen paternum, & quo regimine regendi sunt filij. Sciendum ergo triplex esse regimé. Nam omnis regens alios, vel regit eos secundum certas leges, & secundum certa pacta: & tale regimen (vt superius dicebatur) nominatur politicum vel ciuile. Vel regit eos secundum arbitrium: & hoc potest esse dupliciter: quia vel sic regens intendit bonum proprium, & sic dicitur regimen despoticum vel dominatiuum: vel intendit bonum subditorum, & tale regimen dicitur regale. His autem tribus regiminibus, secundum quod videmus aliquos regnare in ciuitatibus & castris, assimilantur tria regimina reperta in vna domo. Nam regnum coniugale assimilatur regimini politico: quia vxori (vt in præhabitis tangebatur) non quis debet præesse simpliciter ex arbitrio, sed ei præesse debet vt requirunt leges matrimonij, & vt potius per pacta debita & honesta, quæ interueniunt inter virum & vxorem. Regimen vero paternale assimilatur regimini regali. Nam filijs præest pater ex arbitrio, non secundum conuentiones & pacta. Nam pacta & conuentiones non interueniunt inter subditum & præeminentem, nisi sit in potestate subiecti eligere sibi rectorem: non est autem in potestate filiorum

eligere sibi patrem, si ex naturali origine filij procederent à parentibus. Non enim sic filij eligunt sibi patres, vt vxores viros. Quare cum regimen filiorum sit ex arbitrio, & sit propter bonum ipsorum filiorum; huiusmodi regimen non assimilatur regimini politico, sed regali. Vnde & Philosophus 1. Politicorum ait, virum præesse mulieri, & natis tanquam liberis. non tamen eodem modo principandi: sed mulieri quidem politicè, natis autem regaliter. Tertium autem regimen quod est in domo, vel regimen quo regitur familia cætera, assimilatur regimini dominatiuo. His ergo sic ostensis, manifestè apparent vera esse quæ in principio capituli proponebantur. Nam si pater debet præesse filijs regaliter & propter bonum ipsorum: cum amare aliquod, idem sit quod velle ei bonum, pater debet præesse filijs propter profectus ipsorum, & quia vult eorum bonum: constat ergo quod huiusmodi regimē sumit originem ex amore. Ex hoc ergo manifeste ostenditur, quod non eodem regimine debent regi filij, quo regendi sunt serui. Nam dominus præest seruis propter bonum proprium; non propter bonum seruorum. hoc est enim secundum Philosophum præesse aliquibus dominatiue, non intendere bonum ipsorum, sed proprium: pater tamen debet præesse filijs propter bonum ipsorum filiorum. Ex ipsa ergo distinctione regiminum: patet, paternale regimen non esse idem quod dominatiuum, sed sumit originem ex amore tamen, vt manifestius appareat quod dicitur, possumus duplici via venari, paternale regimen trahere originem ex amore. Prima via sumitur ex ordine naturali. Secunda ex ipsa perfectione patris. Prima via sic patet. Nam secundum Philosophum ideo natura dedit vim generatiuam rebus, vt quæ non possunt perpetuari in seipsis, perpetuantur in suo simili. Quare si regimen paternum ex hoc sumit originem, quia filius naturaliter est quædam similitudo procedens à patre: cum secundum naturam ad huiusmodi similia sit dilectio, ex ipso

Pol. 1. cap. 1.

2. de Gener. tex. 13. 2. de Anima tt. 34.

ipso ordine naturali arguere possumus, paternum regimen in amore fundari, & ex amore oriri. Sicut enim est in hominibus naturalis impetus ad producendum sibi simile, & ad filios procreandum: sic est in eis naturalis impetus ad eos diligendum, & per consequens ad eos gubernandum & regendum, & ad habendum solicitudinem circa ipsos. Est ergo hic naturalis ordo, quod regnum, & solicitudo paterna sumat originem ex amore. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex ipsa perfectione patris. Nam vnumquodq; perfectum est secundum Philosophum, quando potest sibi simile generare: quare cum quilibet suam perfectionem diligat, naturaliter pater diligit filium, cum proprie filius sit quidam testis perfectionis eius. Quia ergo pater naturalem amorem habet ad filium, ex huiusmodi amore solicitatur, vt ipsum regat & gubernet: quod non esset, nisi paternum regimen ex amore nasceretur. Viso, quod paternum regimen ex amore nascitur, patet quod filijs debet præesse pater propter bonum filiorum. Non ergo regendi sunt filij eodem regimine, quo serui: quia seruis (secundum quod huiusmodi) quis præest propter bonum proprium. Si ergo contingat aliquem vti filijs tanquam seruis, hoc est ex imperfectione domus. vt quia forte sic pauper est, quod seruorum copiam habere non potest. Vnde & Philosophus 6. Polit. ait, quod egenis necesse est vti mulieribus & filijs, tanquam seruis.

Phil. 5. Me. ca. 16.

Quòd amor, qui debet esse inter Patrem & filium, sufficienter inducat patres debere filios regere, & filios debere patribus obedire.
Cap. IIII.

DIcebatur in præcedenti capitulo, paternale regimen sumere originem ex amore. Videndum est igitur quantus sit amor patrum ad filios, & filiorum ad patres, vt nobis innotescat, quomodo patres debeant regere filios, & filij patribus obedire. Sciendum ergo per Philosophum 8. Ethic. triplici ratione probare, parentes plus diligere filios quam econtra. Prima via sumitur ex diuturnitate temporis. Secunda, ex certitudine prolis. Tertia, ex vnione parentum ad filios. Prima via sic patet. Nam quanto amor magis durat, tantò vehementior efficitur: amor autem parentum ad filios diuturnior est, quàm filiorum ad parentes. Nam statim cum filij nascuntur, parentes diligunt eos: non tamen filij statim incipiunt amare parentes, quia statim non sunt tantæ cognitionis vt possint discernere quod sit diligendum. immo quia pueri mox nati nesciunt discernere parẽtes ab alijs, non statim per amorem efficiuntur ad illos; sed per processum temporis, quando possunt discernere parentes ab alijs, incipiunt eos diligere. Diuturnior est ergo amor parentum ad filios, quam econuerso: quare fortior & vehementior. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex certitudine prolis. Nam parentes magis sunt certi de sua prole quam proles de suis parentibus: proles enim certificari non potest qui fuerint parentes eius, nisi ex quibusdam signis, vt quia puer videt personas aliquas magis affici ad eum quam alias, arguit illas parentes eius. vel auditu, quia hoc audit ab alijs, ideo sic esse putat.

Lib. 8. C. 12.

putat. In principio tamen natiuitatis eius non est illius cognitionis vt possit cognoscere à qua matre procedit, vel à quo patre. Parentes tamen statim cognitionem habent de ipsa prole: ideo magis possunt certificari de ea, quam econuerso. propter quod & vehementius diligunt ipsam, quam econuerso. nam si inter parentes & filios est amor naturalis, tanto huiusmodi amor est validior, quanto apud parentes est maior certitudo de prole. Ex hac auté ratione ostendi potest, q & matres plus diligunt filios, quam patres: quia de illis certiores existunt. Tertia via probans hoc idem, sumitur ex vnione parentum ad filios. Nam filij sunt magis propinqui & magis vniti parentibus, quam econuerso. quare cum amor quandam vnionem importet, filij tanquam magis vniti & magis propinqui parentibus, magis diliguntur ab ipsis, quam econuerso. Sic enim imaginatur Philosophus, quod filij sunt quasi quædam pars parentum: Nam filij est quædam pars à parentibus abscisa. Pars autem magis vnitur toti, quia apprehenditur ab ipso; quam totum vniatur parti, quod ab ea comprehendi non potest. In toto enim est assignare aliquid, quod multum distat à parte: sed nihil est in parte, quod multum distet à toto. quare si pars moueretur ad amorē totius, non adeò feruenter diligeret ipsum, quia videret in ipso toto aliqua quæ multum distarent ab ipsa. Sed si totum moueretur ad amorem partis; vehementius amaret eam; quia nihil aspiceret in parte, quod non esset in toto. Filius ergo, qui est quædam gleba à parentibus descendens, & quia est quædam pars ipsorum; nihil est in filio, quod non sit aliquo modo propinquum parentibus, & quod secūdum aliquem modum non pertineat ad illos. Filij tamen non sic vehementer mouentur ad dilectionem parentum: quia quod est parentum, non sic pertinet ad filios, & per consequens non est sic vnitum eis: sed quod est filiorum, pertinet ad parentes. Ex his autem vijs Philosophi (vt videtur) sufficiēter

Eth. 8. C. 12.

arguere possumus, quod ad parentes spectat solicitari circa regimen filiorum, quia quilibet solicitus esse debet circa ea quæ vehementi amore diligit. Ad filios vero pertinet obedire parentibus: quia quilibet illis obedire debet, quos scit eum vehementer diligere, & non intendere nisi ipsius bonum. Sic ergo ex vijs Philosophi probare possumus, quæ in principio capituli dicebantur. Tamen vt magis specialiter appareat intentum, sciendum quod licet parentes magis afficiantur circa filios, & magis intense velint bonum filiorum quam econuerso: non est tamen inconueniens quātum ad aliquod bonum filios magis diligere quam econuerso. Nam vt dicitur 8. Ethicorum parentes diligunt filios vt existentes aliquid ipsorum: filij autem diligunt parentes, quia sunt ab illis. Amor ergo parentum circa filios procedit à causa ad effectum, & à superiori ad inferius: sed amor filiorum ad eos procedit ab effectu ad causam, & ab inferiori ad superius. Naturale est autem quod superiora influant in inferiora, & conseruent ea: non autem econuerso. Ideo parentes naturaliter afficiuntur ad filios, vt influant in eos, & vt congregent eis bona, vt possessiones & numismata, per quæ sufficiant sibi ad vitam, & conseruentur in esse. Parentes ergo congregant pro filijs, non autem econuerso, immo filij, cum possunt, furantur, & rapiunt bona parentum. Inferiora vero reuerentur, & sunt subiecta superioribus, non econuerso. Ideo filij naturaliter magis honorant, & reuerentur parentes, quàm econuerso. Si ergo quæratur, vtrum parentes magis diligant quam econuerso; cum diligere aliquem, idem sit quod velle ei bonum, distinguendum est de ipso bono. Nam si loqueris de bono vtili, vt de numismate & de alijs quæ ordinantur ad sufficientiam vitæ: sic parentes magis diligunt filios, quam econuerso; quia congregant pro eis, non ipsi pro illis. Sed si loqueris de bono, quod est honor & reuerentia: sic filij magis diligunt parentes, quam econuerso. Nam potius parentes

Eth. 8. cap. 12.

rětes sustinent vituperia & contumelias filiorũ,quã econuerso. Naturale est.n. quod etiam vsque ad auditũ contumelias parentum sustinere non possint. Nam sic indignantur parentes de contumelia filiorum, quam econuerso. Viso, qualis est amor inter patrem & filium, quia parentes afficiuntur ad filios vt congregant eis bona:& congregare alijs bona,& solicitari circa eorum vitam,sit eos regere & gubernare, ex amore quem habent patres ad filios debent eos regere & gubernare. Sed cum filij afficiantur ad parentes, tanquam ad eos, quos volunt esse in honore & reuerentia: cum honorari & reuereri alium sit quodammodo subijci illi; sicut ex amore quem habent patres ad filios debent eos regere & gubernare, sic ex dilectione quam filij habent ad patres,debent eis obedire & esse subiecti. Patet igitur quod quantum ad bonum quod est vtile, patres magis diligunt filios, quam filij ipsos. Sed quantum ad bonum, quod est honor & reuerentia, filij plus diligunt patres, quam econuerso. Simpliciter tamen parentes plus dicuntur diligere filios, quam filij ipsos: quia plus solicitantur,& magis assidue cogitant de vtilitate filiorum, quam filij de honore & reuerentia ipsorum.

Quòd decet omnes ciues, & maximè Reges & Principes sic solicitari circa regimen filiorum, vt ab ipsa infantia instruantur in fide. Cap. V.

VIdentur autem tria ipsi fidei conuenire, per quæ triplici via venari possumus, quod omnes ciues, & maximè Reges & Principes circa regimen filiorum sic solicitari debent, vt ab ipsa infantia instruantur in fide. Fides enim primo supra rationem est: & ea, quæ sunt fidei, ratione comprehendi non possunt. Secundo ea, quæ sunt fidei, simpliciter sunt credenda. Tertio eis est firmiter adhærendum. Prima autem via sic patet. Nam sic fides supra rationem est, & ea quæ sunt fidei ratione comprehendi non possunt: vtile est vt in illa ætate proponātur ea quæ sunt fidei, in qua ratio non quæritur dictorū, sed simpliciter acquiescitur dictis. Huiusmodi autem est ætas infantiæ. Infantes enim, cum eis à matre vel à patre proponuntur aliqua credenda, non quærunt rationem dictorum, qui vsum rationis non habent, sed simpliciter acquiescunt dictis. Secunda via ad inuestigandum hoc idem sic ostendi potest. Nam ea quæ sunt fidei quia supra rationem sunt, ideo eis simpliciter est credendum. Acquiescendum est autem ijs quæ sunt fidei ex auctoritate diuina, & ex simplici credulitate, non ex perspicacia rationis. non tamen hoc inconuenienter fit, quia nulli dubium esse debet diuinam prudentiam & eius auctoritatem, omnem perspicaciam humani generis superare. quare vtilius auctoritati diuinæ simpliciter creditur, quā acquiescatur rationibus & demōstrationibus hominum. Si ergo ea quæ sunt fidei simpliciter sunt credenda, conuenienter talia in illa ætate proponuntur, quæ sunt simpliciter

pliciter creditiua: talis autem est ætas infantiæ. nam vt in primo libro diximus cum tractauimus de moribus iuuenum, Iuuenes sunt simpliciter creditiui. vnde & in 2. Rhetor. dicitur, quod iuuenes eruditi sunt solum à lege. appellat autem ibi Philosophus eruditionem à lege, monitiones maternas, & documenta illius fidei quam parentes tenent: Si enim in alijs legibus parentes statim sunt soliciti erudire proprios filios in ijs quæ sunt fidei suæ, & in ijs quæ pertinent ad eorum legem, eo quod illa ætas sit simpliciter creditiua: tanto magis hoc debent efficere profitentes christianam fidem, quanto lex nostra superat cæteras leges: Sola enim christiana lex est immunis ab omni errorum contagio: in cæteris alijs legibus falsitates aliquæ sunt admixtæ. Tertia via ad hoc idem probãdum, sumitur ex eo quod ijs quæ sunt fidei est firmiter adhærendum. Videmus enim quod consuetudo est quasi altera natura, vt dicitur in libro De memoria & reminiscentia: ratio autem huius assignatur in Rhet. vbi dicitur, quod natura est consuetudo sæpe. Sæpe autem propinquum est ei quod est Semper: quare consuetudo est propinqua naturæ. quanto ergo aliquid est assuetum, tanto magis vtitur in naturam, & tanto feruentius adhæremus illi. Cum ergo magis simus assuefacti ad ea, circa quæ in ipsa infantia insudamus, quam ad alia; & per consequens magis adhæreamus illis, vt firmiter & absque hæsitatione adhærere possimus ijs quæ sunt fidei; talia proponenda sunt nobis etiam ab ipsa infantia. Vnde & Philosophus 2. Meta. volens probare consuetudinem esse magnæ efficaciæ, ait, quantam vero vim habeat quod consuetum est, leges ostendunt, in quibus fabulas & apologos plus possunt propter consuetudinem, quam si essent veritates. Si ergo leges Gentilium continentes multas fabulas & apologos idest multa fabulatoria & derisoria, plus possunt propter consuetudinem, & sunt sic applicabiles animo, si pueri ab infantia assuescant illis vt firmiter adhæ-

Rhet. 2. cap. 12.

Post med. li.

Lib. 1. cap. 11.

Met. 2. Tex. 14

mine filiali quam de regimine seruili, tanquam de eo circa quod esse debet amplior cura. In determinando quidē de regimine filiorum, primo ostendere uolumus, quod decet omnes patres circa proprios filios esse solicitos. Nā cognita solicitudine, quæ est circa filios habenda, magis incitabūtur parentes vt suos filios bene regant. Possumus autem triplici via venari, quod decet huiusmodi solicitudinē habere parentes. Prima via sumitur ex eo quod patres sunt causa filiorum, & filij habent ab eis esse. Secūda, ex eo quod sunt superiores & præstantiores illis. Tertia vero, ex eo quod inter eos debet esse amicitia naturalis. Prima via sic patet. nam sicut in naturalibus rebus aspicimus quod nunquā natura dat esse alicui, nisi sit solicita circa ea per quæ illud valet cōseruari in esse, vt si natura dat esse igni, statim est solicita dare ei leuitatem quandā, per quam feratur sursum, eo quod in loco superiori magis habet in esse conseruari quam in inferiori: sic etiam si natura dat animalibus esse, quia animal sine cibo conseruari non potest, natura est solicita dare animalibus ora & alia organa, per quæ possunt sumere cibum & nutrimentum. Quare si patres sunt causa filiorum, & filij naturaliter à patribus esse habent, decet patres habere curam filiorum, & solicitari erga eos, vt inueniant eis illa, per quæ possint bene viuere, & per quæ valeant conseruari in esse. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex eo quod patres sunt præstantiores filijs, & debent præesse eis. Naturaliter enim semper superiora in inferiora influunt, & ea regulant & conseruāt: videmus enim super cælestia corpora influere in hæc inferiora, & ea regere, & conseruare. Quare si naturale est, vt superiora & præeminentia in inferiora influant, & ea regulent & conseruent: decet quemlibet dominantem, & præeminentem solicitari, quomodo per debita auxilia influat, & subueniat suis subiectis, & quomodo eos regulet & conseruet. Vnde & ipse

Deus,

Deus, qui singulis rebus præest, habet solicitudinem, & prouidentiam totius Vniuersi. Patres ergo eo ipso quod naturaliter præsunt filijs, debent circa eorum regimen esse soliciti. Tertia via sumitur ex parte amicitiæ naturalis, quæ est inter parentes, & filios. De ratione enim amoris, est vt solicitet amantem circa rem amatam, quilibet enim solicitatur circa dilectum: quare cum inter patrem & filium sit amor naturalis, vt probatur 8. Ethicorum, decet patres ex ipso amore naturali, quem habent ad filios, solicitari circa eos.

Phil. 1. Polit.
Eth. 8. cap. 7.

Quòd maxime decet Reges & Principes solicitari circa regimen filiorum. Cap. II.

LIcet omnes patres deceat solicitari circa proprios filios, vt patet per rationes superius assignatas: maxime tamen decet Reges, & Principes talem solicitudinem gerere. Quod triplici via venari possumus. Prima via sumitur, ex eorum intelligentia. Secunda, ex bonitate filiorum. Tertia vero, ex vtilitate regni. Prima via sic patet. Nam secundum Philosophum in de Animalibus, quod est ex animalibus intelligentius, magis habet solicitudinem circa filios: naturale est enim quemlibet diligere sua opera, vt Philosophus in Ethicorum vnde & patres naturaliter diligunt filios, & poetæ sua poemata tanquam proprium opus. Quando ergo aliquis est intelligentior, & magis cognoscit proprium opus, tanto maiori solicitudine & dilectione mouetur circa illud. Patres ergo tanto magis debent solicitari circa filios, quanto prudentiores sunt, & quanto maiori intelligentia vigent. Sed cum habitum sit quod Reges, & Principes & vniuersaliter omnes dominantes, si debeant naturaliter dominari, oporteat quod polleant prudentia & intellectu: tanto

Eth. 9. cap. 7.

decet Reges & Principes magis solicitari circa proprios filios quam ceteri, quanto in eis magis vigere debet mētis industria & prudentia regitiua. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex bonitate filiorum. Decet enim filios Regum & Principum maiori bonitate pollere quam alios: quia secundum Philosophum in Politic. secundum quod aliqui sunt in maiori statu & in altiori dignitate, sic debent meliores esse, & esse magis perfecti scientia & virtutibus. Congruum enim est qui alios regere cupit, vt si adeò prudens & bonus, vt ceteri ex ipso possint sumere viuendi exemplum. Filij ergo regum licet non omnes sint reges, tamen quia singuli constituuntur in aliquo principatu & in aliquo dominio, in quo oportet eos alios gubernare; maxime decet eos esse prudentes & bonos. Et cum filij perueniunt ad maiorem bonitatem & prudentiam, si patres circa eos sint soliciti, quam circa ipsos se habeant negligenter, tanto decet Reges & Principes magis solicitari circa proprios filios, quanto filij eorum pollere debent maiori prudentia & ampliori bonitate. Tertia via ad hoc ostendendum sumitur ex vtilitate regni. Bonitas enim regni dependet ex bonitate eorum qui sunt in regno, & maxime dependet ex bonitate principantium in ipso. Nam sicut sanitas corporis naturalis dependet ex sanitate omnium membrorum, & maxime ex sanitate cordis & membrorum principalium, eo quod cor & principalia membra habent influere in alia & rectificare ipsa: sic bonitas regni dependet ex bonitate omnium ciuium; maxime tamen dependet ex ijs qui principantur & dominantur in regno. Vtile est ergo toti regno habere bonos ciues, sed vtilius est habere bonos principantes, eo quod principantis sit alios regere & gubernare: tanto ergo magis decet Reges & Principes solicitari circa proprios filios, vt polleant prudentia & bonitate; quanto maior vtilitas consurgit ipsi regno ex bonitate

Phil. in Polit. lib. 3. cap. 3.

filio-

filiorum Regum, qui debent habere principatum & dominium in regno; quam ex bonitate & prudentia aliorum.

Quòd regimen paternale sumit originem ex amore; & quod non eodem regimine regendi sunt filij, quo regendi sunt serui.

Cap. III.

QVia post tractatum de regimine coniugis, determinandum est de regimine paternali: videndum est, vnde sumit originem regimen paternum, & quo regimine regendi sunt filij. Sciendum ergo triplex esse regimē. Nam omnis regens alios, vel regit eos secundum certas leges, & secundum certa pacta: & tale regimen (vt superius dicebatur) nominatur politicum vel ciuile. Vel regit eos secundum arbitrium: & hoc potest esse dupliciter: quia vel sic regens intendit bonum proprium, & sic dicitur regimen despoticum vel dominatiuum: vel intendit bonum subditorum, & tale regimen dicitur regale. His autem tribus regiminibus, secundum quod videmus aliquos regnare in ciuitatibus & castris, assimilantur tria regimina reperta in vna domo. Nam regnum coniugale assimilatur regimini politico: quia vxori (vt in præhabitis tangebatur) non quis debet præesse simpliciter ex arbitrio, sed ei præesse debet vt requirunt leges matrimonij, & vt potius per pacta debita & honesta, quæ interueniunt inter virum & vxorem. Regimen vero paternale assimilatur regimini regali: Nam filijs præest pater ex arbitrio, non secundum conuentiones & pacta. Nam pacta & conuentiones non interueniunt inter subditum & præeminentem, nisi sit in potestate subiecti eligere sibi rectorem: non est autem in potestate filiorum

eligere sibi patrem, si ex naturali origine filij procederent à parentibus. Non enim sic filij eligunt sibi patres, vt vxores viros. Quare cum regimen filiorum sit ex arbitrio, & sit propter bonum ipsorum filiorum; huiusmodi regimen non assimilatur regimini politico, sed regali. Vnde & Philosophus 1. Politicorum ait, virum præesse mulieri, & natis tanquam liberis. non tamen eodem modo principandi: sed mulieri quidem politicè, natis autem regaliter. Tertium autem regimen quod est in domo, vel regimen quo regitur familia cætera, assimilatur regimini dominatiuo. His ergo sic ostensis, manifestè apparent vera esse quæ in principio capituli proponebantur. Nam si pater debet præesse filijs regaliter & propter bonum ipsorum: cum amare aliquod, idem sit quod velle ei bonum, pater debet præesse filijs propter profectus ipsorum, & quia vult eorum bonum: constat ergo quod huiusmodi regimē sumit originem ex amore. Ex hoc ergo manifeste ostenditur, quod non eodem regimine debent regi filij, quo regendi sunt serui. Nam dominus præest seruis propter bonum proprium, non propter bonum seruorum. hoc est enim secundum Philosophum præesse aliquibus dominatiue, non intendere bonum ipsorum, sed proprium: pater tamen debet præesse filijs propter bonum ipsorum filiorum. Ex ipsa ergo distinctione regiminum: patet, paternale regimen non esse idem quod dominatiuum, sed sumit originem ex amore tamen, vt manifestius appareat quod dicitur, possumus duplici via venari, paternale regimen trahere originem ex amore. Prima via sumitur ex ordine naturali. Secunda ex ipsa perfectione patris. Prima via sic patet. Nam secundum Philosophum ideo natura dedit vim generatiuam rebus, vt quæ non possunt perpetuari in seipsis, perpetuantur in suo simili. Quare si regimen paternum ex hoc sumit originem, quia filius naturaliter est quædam similitudo procedens à patre: cum secundum naturam ad huiusmodi similia sit dilectio, ex

Pol. 1. cap. 1.

2. de Gener. tex. 13. 2. de Anima te. 34.

ipso ordine naturali arguere possumus, paternum regimen in amore fundari, & ex amore oriri. Sicut enim est in hominibus naturalis impetus ad producendum sibi simile, & ad filios procreandum: sic est in eis naturalis impetus ad eos diligendum, & per consequens ad eos gubernandum & regendum, & ad habendum solicitudinem circa ipsos. Est ergo hic naturalis ordo, quod regnum, & solicitudo paterna sumat originem ex amore. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex ipsa perfectione patris. Nam vnumquodq; perfectum est secundum Philosophum, quando potest sibi simile generare. quare cum quilibet suam perfectionem diligat, naturaliter pater diligit filium, cum proprie filius sit quidam testis perfectionis eius. Quia ergo pater naturalem amorem habet ad filium, ex huiusmodi amore solicitatur, vt ipsum regat & gubernet: quod non esset, nisi paternum regimen ex amore nasceretur. Viso, quod paternum regimen ex amore nascitur, patet quod filijs debet præesse pater propter bonum filiorum. Non ergo regendi sunt filij eodem regimine, quo serui: quia seruis (secundum quod huiusmodi) quis præest propter bonum proprium. Si ergo contingat aliquem vti filijs tanquam seruis, hoc est ex imperfectione domus, vt quia forte sic pauper est, quod seruorum copiam habere non potest. Vnde & Philosophus 6. Polit. ait, quod egenis necesse est vti mulieribus & filijs, tanquam seruis.

Phil. 5. Me. ca. 16.

Quòd amor, qui debet esse inter Patrem & filium, sufficienter inducat patres debere filios regere, & filios debere patribus obedire.
Cap. IIII.

DIcebatur in præcedenti capitulo, paternale regimen sumere originem ex amore. Videndum est igitur quantus sit amor patrum ad filios, & filiorum ad patres, vt nobis innotescat, quomodo patres debeant regere filios, & filij patribus obedire. Sciendum ergo per Philosophum 8. Ethic. triplici ratione probare, parentes plus diligere filios quam econtra. Prima via sumitur ex diuturnitate temporis. Secunda, ex certitudine prolis. Tertia, ex vnione parentum ad filios. Prima via sic patet. Nam quanto amor magis durat, tantò vehementior efficitur: amor autem parentum ad filios diuturnior est, quàm filiorum ad parentes. Nam statim cum filij nascuntur, parentes diligunt eos: non tamen filij statim incipiunt amare parentes, quia statim non sunt tantæ cognitionis vt possint discernere quod sit diligendum. immo quia pueri mox nati nesciunt discernere parẽtes ab alijs, non statim per amorem efficiuntur ad illos; sed per processum temporis, quando possunt discernere parentes ab alijs, incipiunt eos diligere. Diuturnior est ergo amor parentum ad filios, quam econuerso: quare fortior & vehementior. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex certitudine prolis. Nam parentes magis sunt certi de sua prole quam proles de suis parentibus: proles enim certificari non potest qui fuerint parentes eius, nisi ex quibusdam signis, vt quia puer videt personas aliquas magis affici ad eum quam alias, arguit illas parentes eius. vel auditu, quia hoc audit ab alijs, ideo sic esse putat.

Eth.8. C.12.

putat. In principio tamen natiuitatis eius non est illius cognitionis vt possit cognoscere à qua matre procedit, vel à quo patre. Parentes tamen statim cognitionem habent de ipsa prole: ideo magis possunt certificari de ea, quam econuerso. propter quod & vehementius diligunt ipsam, quam econuerso. nam si inter parentes & filios est amor naturalis, tanto huiusmodi amor est validior, quanto apud parentes est maior certitudo de prole. Ex hac autē ratione ostendi potest, q̄ & matres plus diligunt filios, quam patres: quia de illis certiores existunt. Tertia via probans hoc idem, sumitur ex vnione parentum ad filios. Nam filij sunt magis propinqui & magis vniti parentibus, quam econuerso. quare cum amor quandam vnionem importet, filij tanquam magis vniti & magis propinqui parentibus, magis diliguntur ab ipsis, quam econuerso. Sic enim imaginatur Philosophus, quod filij sunt quasi quædam pars parentum: Nam filij est quædam pars à parentibus abscisa. Pars autem magis vnitur toti, quia apprehenditur ab ipso; quam totum vniatur parti, quod ab ea comprehendi non potest. In toto enim est assignare aliquid, quod multum distat à parte: sed nihil est in parte, quod multum distet à toto. quare si pars moueretur ad amorē totius, non adeò feruenter diligeret ipsum, quia videret in ipso toto aliqua quæ multum distarent ab ipsa. Sed si totum mouèretur ad amorem partis; vehementius amaret eam; quia nihil aspiceret in parte, quod non esset in toto. Filius ergo, qui est quædam gleba à parentibus descendens, & quia est quædam pars ipsorum; nihil est in filio, quod non sit aliquo modo propinquum parentibus, & quod secūdum aliquem modum non pertineat ad illos. Filij tamen non sic vehementer mouentur ad dilectionem parentum: quia quod est parentum, non sic pertinet ad filios, & per consequens non est sic vnitum eis: sed quod est filiorum, pertinet ad parentes. Ex his autem vijs Philosophi (vt videtur) sufficiēter

Eth. 8. C. 12.

arguere possumus, quod ad parentes spectat solicitari circa regimen filiorum, quia quilibet solicitus esse debet circa ea quæ vehementi amore diligit. Ad filios vero pertinet obedire parentibus: quia quilibet illis obedire debet, quos scit eum vehementer diligere, & non intendere nisi ipsius bonum. Sic ergo ex vijs Philosophi probare possumus, quæ in principio capituli dicebantur. Tamen vt magis specialiter appareat intentum, sciendum quod licet parentes magis afficiantur circa filios, & magis intense velint bonum filiorum quam econuerso: non est tamen inconueniens quātum ad aliquod bonum filios magis diligere quam econuerso. Nam vt dicitur 8. Ethicorum parentes diligunt filios vt existentes aliquid ipsorum: filij autem diligunt parentes, quia sunt ab illis. Amor ergo parentum circa filios procedit à causa ad effectum, & à superiori ad inferius: sed amor filiorum ad eos procedit ab effectu ad causam, & ab inferiori ad superius. Naturale est autem quod superiora influant in inferiora, & conseruent ea: non autem econuerso. Ideo parentes naturaliter afficiuntur ad filios, vt influant in eos, & vt congregent eis bona, vt possessiones & numismata, per quæ sufficiant sibi ad vitam, & conseruentur in esse. Parentes ergo congregant pro filijs, non autem econuerso. immo filij, cum possunt, furantur, & rapiunt bona parentum. Inferiora vero reuerentur, & sunt subiecta superioribus, non econuerso. Ideo filij naturaliter magis honorant, & reuerentur parentes, quàm econuerso. Si ergo quæratur, vtrum parentes magis diligant quam econuerso; cum diligere aliquem, idem sit quod velle ei bonum, distinguendum est de ipso bono. Nam si loqueris de bono vtili, vt de numismate & de alijs quæ ordinantur ad sufficientiam vitæ: sic parentes magis diligunt filios, quam econuerso; quia congregant pro eis, non ipsi pro illis. Sed si loqueris de bono, quod est honor & reuerentia: sic filij magis diligunt parentes, quàm econuerso. Nam potius pa-

Eth. 8. cap. 12.

rētes sustinent vituperia & contumelias filiorū, quā econuerso. Naturale est. n. quod etiam vsque ad auditū contumelias parentum sustinere non possint. Nam sic indignantur parentes de contumelia filiorum, quam econuerso. Viso, qualis est amor inter patrem & filium, quia parentes afficiuntur ad filios vt congregant eis bona: & congregare alijs bona, & solicitari circa eorum vitam, sit eos regere & gubernare, ex amore quem habent patres ad filios debent eos regere & gubernare. Sed cum filij afficiantur ad parentes, tanquam ad eos, quos volunt esse in honore & reuerentia: cum honorari & revereri alium sit quodammodo subijci illi; sicut ex amore quem habent patres ad filios debent eos regere & gubernare, sic ex dilectione quam filij habent ad patres, debent eis obedire & esse subiecti. Patet igitur quod quantum ad bonum quod est vtile, patres magis diligunt filios, quam filij ipsos. Sed quantum ad bonum, quod est honor & reuerentia, filij plus diligunt patres, quam econuerso. Simpliciter tamen parentes plus dicuntur diligere filios, quam filij ipsos: quia plus solicitantur, & magis assidue cogitant de vtilitate filiorum, quam filij de honore & reuerentia ipsorum.

Quòd

pliciter creditiua: talis autem est ætas infantiæ. nam vt in primo libro diximus cum tractauimus de moribus iuuenum, Iuuenes sunt simpliciter creditiui. vnde & in 2. Rhetor. dicitur, quod iuuenes eruditi sunt solum à lege. appellat autem ibi Philosophus eruditionem à lege, monitiones maternas, & documenta illius fidei quam parentes tenent. Si enim in alijs legibus parentes statim sunt soliciti erudire proprios filios in ijs quæ sunt fidei suæ, & in ijs quæ pertinent ad eorum legem, eo quod illa ætas sit simpliciter creditiua: tanto magis hoc debent efficere profitentes christianam fidem, quanto lex nostra superat cæteras leges: Sola enim christiana lex est immunis ab omni errorum contagio: in cæteris alijs legibus falsitates aliquæ sunt admixtæ. Tertia via ad hoc idem probãdum, sumitur ex eo quod ijs quæ sunt fidei est firmiter adhærendum. Videmus enim quod consuetudo est quasi altera natura, vt dicitur in libro De memoria & reminiscentia: ratio autem huius assignatur in Rhet. vbi dicitur, quod natura est consuetudo sæpe. Sæpe autem propinquum est ei quòd est Semper: quare consuetudo est propinqua naturæ. quanto ergo aliquid est assuetum, tanto magis vtitur in naturam, & tanto feruentius adhæremus illi. Cum ergo magis simus assuefacti ad ea, circa quæ in ipsa infantia insudamus, quam ad alia; & per consequens magis adhæreamus illis, vt firmiter & absque hæsitatione adhærere possimus ijs quæ sunt fidei; talia proponenda sunt nobis etiam ab ipsa infantia. Vnde & Philosophus 2. Meta. volens probare consuetudinem esse magnæ efficaciæ, ait, quantam vero vim habeat quod consuetum est, leges ostendunt, in quibus fabulas & apologos plus possunt propter consuetudinem, quam si essent veritates. Si ergo leges Gentilium continentes multas fabulas & apologos idest multa fabulatoria & derisoria, plus possunt propter consuetudinem, & sunt sic applicabiles animo, si pueri ab infantia assuescant illis vt firmiter adhæreant

Rhet. 2. cap. 12.

Post med. li.

Lib. 1. cap. 11.

Met. 2. Tex. 14

reant fidei christianæ, quæ sola est catholica & orthodoxa, ab ipsa infantia ea quæ sunt fidei sunt iuuenibus proponenda. Verum quia distincte articulos fidei cognoscere, & subtiliter ea quæ sunt fidei pertractare, spectat ad clericos doctores instruentes alios in ipsa fide, quam subtilem perscrutationem laici, & maxime pueri scire non possunt: sufficit quod talia proponantur grosse, & in quadam summa: vt quod eis dicatur, quod vnus est Deus omnipotens, creator omnium, qui est pater & filius & spiritus sanctus. Quòd Adam primo parente nostro peccante, & humano genere per peccatum eius infecto, Dei filius, vt nos redimeret, assumpsit carnem in beata Virgine, & est natus ex ipsa. Quod ipse Dei filius propter peccata nostra fuit passus, mortuus, & sepultus. Quòd descendit ad inferos, & eduxit inde captiuas animas ibi existentes. Quòd tertia die resurrexit à mortuis. Quod ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei patris. Quòd iterum venturus est ad iudicium: & omnes resurgemus, & stabimus ante tribunal eius, reddituri de factis proprijs rationem, ita quod qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum. Debent ergo omnes ciues solicitari circa proprios filios, vt ab infantia instruantur in hac fide; tantò tamen hoc magis decet Reges, & Principes, quantò ex feruore fidei ipsorum potest maius bonum consequi religio christiana, & ex eorum tepiditate potest ei maius periculum immi-nere.

Quòd

Quod decet omnes ciues, & maxime Reges, & Principes sic solicitari erga filios, vt ab ipsa infantia bonis moribus imbuantur. Cap. VI.

QVanto anima est nobilior corpore, tanto omnes ciues & maxime Reges, & Principes magis solicitari debent vt proprij filij sint perfecti in anima, quam in corpore. Si ergo solicitantur circa hæreditatem, & circa numismata, vt possint subuenire filijs quantum ad indigentiam corporalem: multo magis solicitari debent, vt habeant perfectam animam, & vt virtutibus & bonis moribus imbuantur. Et quia hoc tantum existit bonum, non debet per negligentiam præteriri: sed ab ipsa infantia instruendi sunt pueri, vt relinquentes lasciuiam sequantur bonos mores. Possumus autem quadruplici via venari, quod ab ipsa puerilitate instruendi sunt pueri ad bonos mores. Prima via sumitur ex naturalitate delectationis. Secunda, ex rationis defectu. Tertia, ex pronitate quam habemus ad malum. Quarta, ex vitatione oppositi habitus. Prima via sic patet. Nam secundum Philosophum in Ethic. adeo connaturale est nobis delectari, quod ab ipsa infantia delectari incipimus: nam & pueri statim delectantur, cum incipiunt suggere mammas. Si ergo sic ab ipsa infantia nobiscum crescit concupiscentia delectabilium, ab ipsa infantia est tali concupiscentiæ resistendum: ex ipsa ergo connaturalitate delectationis, statim cum pueri sunt sermonum capaces, sunt instruendi ad bonos mores, & debent eis fieri monitiones debitæ: Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex rationis defectu. Nam tunc aliqui sunt magis mouendi ad bonos mores, quando magis incitantur ad lasciuiam, & magis sunt passionum inse-

Rh. 2. cap. 13.

Eth. 10. cap. 2.

Rhet. 2. C. 12. insecutores: sed (vt patet per Philosophum in 2. Rhetoricorum) in iuuenili ætate maxime sunt homines lasciui & passionum insecutores: ergo tunc maxime est subueniendum, vt per monitiones debitas, & per correctiones conuenientes retrahantur à lasciuijs. quare cum rationis sit concupiscentias refrænare & lasciuias, quantò aliquis magis à ratione deficit, tantò magis inclinatur vt sequatur passiones. In iuuenili ergo ætate sunt pueri instruendi ad bonos mores: quia tunc magis ab vsu rationis deficiunt, & sunt magis passionum insecutores. Tertia via sumitur ex pronitate quam habemus ad malum. Nam cū aliquis est pronus ad aliquid, oportet ipsum multum assuescere in contrarium, ne inclinetur ad illud: vt plurimum enim homines secundum mores sunt quasi quædā virga inclinata ad malum. vnde & Philosophus circa finem 2. Ethic. hoc modo docet nos dirigere ad bonos mores, quo dirigitur virga tortuosa. Volens enim virgam tortuosam rectificare, inclinat eam ad partem contrariā valde, quæ sic inclinata redit ad medium & ad rectitudinem. Sic nos, quia obliquitatem & pronitatem habemus ad malum, & ad delectationes illicitas, debemus per multum tempus ab illicitis delectationibus abstinere, vt possimus hanc pronitatem vitare. Immo sicut virga rectificanda ad partem contrariam, vltra medium inclinatur vt possit ad medium redire: sic & nos in fugiendo delectabilia, debemus vltra medium nos facere, idest debemus multas delectationes etiam licitas cauere, vt faciliter ab illicitis abstinere possimus. Si ergo tantam pronitatem habemus ad malum, & oportet nos sic per diuturna tempora assuescere ad contrarium, vt ad bonū: vt facilius hanc pronitatem vitare possimus, est ab ipsa infantia inchoandum, vt relinquentes lasciuias sequamur bonos mores, nec est vlterius differendum. Quarta via sumitur ex vitatione habitus contrarij. Nam quia iuuenes molles sunt & ductibiles, si sine fræno sequantur lasciuias,

Eth. 2. cap. 13.

Eth. 10. cap. 2.

nias; statim imprimuntur in eis habitus vitiosi: sicut in cera molli & ductili statim imprimitur forma sigilli. Ne ergo iuuenes informentur habitibus vitiosis, statim ab ipsa infantia sunt monendi & corrigendi; vt per monitiones & correctiones debitas à lasciuijs retrahantur. Decet ergo omnes ciues solicitari ergà filios, vt ab ipsa infantia instruentur ad bonos mores. Tanto tamen hoc magis decet Reges & Principes, quanto bonitas filiorum est vtilior ipsi regno, & quanto ex eorum malitia potest in regno maius periculum imminere.

Quòd filij nobilium, & maxime Regum & Principum ab ipsa infantia sunt tradendi literalibus disciplinis. Cap. VII.

Licet deceret omnes homines cognoscere literas; vt per eas prudentiores effecti, magis possent illicita præcauere: videntur tamen aliqui licitam excusationem habere, si non insudant studio literarum. Huiusmodi autem sunt pauperes, non habentes necessaria vitæ: qui si retrahantur à liberalibus disciplinis, vt quærant sibi necessaria vitæ; videntur excusabiles esse. Nobiles autem, & maxime Reges & Principes in diuitijs & possessionibus abundantes, omnino reprehensibiles existunt, si nō sic solicitantur erga regimen filiorum, vt etiam ab ipsa infantia tradantur liberalibus disciplinis. Quòd autem studium literarum sit ab ipsa infantia inchoandum, possumus triplici via venari. Prima sumitur ex parte eloquentiæ. Secunda ex parte attentionis. Tertia ex parte perfectionis, quæ est ex scientia acquirenda. Decet enim volentes literas discere, literales sermones scire distincte proferre. Decet etiam eos esse attentos, & studiosos

diosos circa ea, quæ in literis traduntur. Tertio decet ipsos, secundum modum sibi possibilem, ad perfectionem scientiæ peruenire. Prima via sic patet. Nam videmus in idiomatibus vulgaribus, quod rarò potest quis debite & distincte proferre aliquod idioma, nisi sit in eo in ipsa infantia assuefactus. qui enim in ætate perfecta transfert se ad partes longinquas vbi idiomata differunt à materno, etiam si per multa tempora in partibus illis existat, vix aut nunquam potest recte loqui linguam illam; & ab incolis illius terræ semper cognoscitur ipsum fuisse aduenam. & non fuisse in illis partibus oriundus. Si ergo sic est in idiommatibus laicorum, multo magis hoc erit in idiomate literali, quod est Phisicum idioma. Videntes enim Philosophi nullum idioma vulgare esse completum & perfectum, per quod perfecte exprimere possent naturas rerum, & mores hominum, & cursus astrorum, & alia de quibus disputare volebant, inuenerunt sibi quasi proprium idioma, quod dicitur latinum, vel idioma literale: quod constituerunt adeò latum & copiosum, vt per ipsum possent omnes suos conceptus sufficienter exprimere. Quare si hoc idioma est completum, & alia idiomata non possumus recte & distincte loqui, nisi ab ipsa infantia assuescamus ad illa: ex parte eloquentiæ, videlicet vt recte & distincte loquamur idioma latinum, si volumus literas discere, debemus ab ipsa infantia literis insudare. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte attentionis & feruoris, qui est in studio adhibēdus: nunquā aūt quis bene studet, nisi sit feruens, & attentus circa studiū. Cū ergo consuetudo sit quasi altera natura, cum secundum Philosophum in Polit. nobis magis placeant illa opera, ad quæ sumus ab ipsa infantia assueti: quia quilibet est magis intentus, & feruens circa ea quæ sibi magis sunt placita: vt possimus esse attenti & feruentes circa studium literale, ab infantia insudandum est literalibus disciplinis.

Tertia via sumitur ex parte perfectionis, quæ est ad scientiam acquirandam. Nam raro aut nunquam quis peruenit ad perfectionem scientiæ, nisi quasi ab ipsis cunabulis vacare incipiat ad ipsam. Nam licet intelligentiæ etiam ab ipsa creatione sint bene dispositæ ad intelligendum & ad cognoscendum naturas rerum: homo tamen à sui natiuitate est male dispositus ad capiendam disciplinam. Licet enim vnus homo sit melioris ingenij quam alius, vniuersaliter tamen homines male nati sunt ad sciēdum: quia nostra cognitio incipit à sensu & à posterioribus. Vnde & Philosophus in primo de anima vult, quod anima plus temporis apponat in ignorantia, quam in scientia. per multum enim temporis quis insudat studio, antequam peruenire possit ad perfectionem scientiæ. Quare si vita nostra est breuis, & artes & sciētiæ sunt difficiles & longæ, & homines communiter male nati sunt ad capescendam scientiam; si volumus ad aliquam perfectionem scientiæ peruenire, debemus ab ipsa infantia & quasi ab ipsis cunabulis inchoare. Decet ergo omnes nobiles, & maxime Reges, & Principes, si volunt suos filios distincte & recte loqui literales sermones, & si volunt eos esse feruentes, & attentos circa ipsos, & peruenire ad aliquam perfectionem scientiæ, ab ipsa infantia eos tradere literalibus disciplinis. Nam (vt superius dicebatur) nullus est naturaliter dominus, nisi vigeat prudentia & intellectu. Quare si per cognitionem literarum efficitur quis intelligentior, & magis viget prudentia & intellectu: tanto magis decet filios Regum, & Principum etiam ab ipsa infantia insudare literalibus disciplinis, quanto decet eos intelligentiores & prudentiores esse, vt possint naturaliter dominari. Posset autem ad hoc idem alia ratio adduci. Nam nisi princeps vigeat prudentia & intellectu, de facili cōuertitur in tyrannū: quia non curabit de operibus virtutum, sed appretiabitur nummismata, & exteriora bona vltra

quam debeat. Erit ergo Tyrannus, & populi deprædator. Ne ergo filij Regum, & Principum cum ponuntur in aliquo dominio tyrannizent, decet ipsos etiam ab ipsa infantia insudare literis, vt vigere possint prudentia & intellectu.

Quas scientias debent addiscere filij nobilium, & maxime filij Regum, & Principum. Cap. VIII.

SEptem scientias esse famosas apud antiquos, antiqua auctoritas protestatur. Huiusmodi autem sunt, Grãmatica; Dialectica, Rhetorica, Musica, Arithmetica, Geometria, & Astronomia. Has autem omnes liberales vocant, eo quod filij liberorum, & nobilium ponebantur ad illas. Addiscebant enim primo filij nobilium grammaticam. Nam grammatica secundum Alpharabium inuenta est, ne erretur in lingua, & ne peccetur in sermone. Addiscimus enim per grammaticam idioma latinum, quod est idioma Philosophorum: sub tali enim sermone Philosophi suam scientiam tradiderunt. Quare si per nosipsos non sufficimus ad inuenienda omnia scientifica, sed indigemus ad hoc auxilio Philosophorum & Doctorum, expedit nos scire idioma illud, in quo doctores & Philosophi sunt locuti: & quia hoc scitur per grammaticam, ideo grammatica inter liberales scientias est computanda, quia filij liberorum & nobilium instruebantur in illa. Secunda liberalis scientia dicitur esse dialectica, quæ docet modum arguendi & opponendi. Nam modus sciendi noster, est vt per debita argumenta, & per debitas rationes manifestemus propositum. Oportuit ergo inuenire aliquam scientiam docentem modum, quo formanda sunt argumenta, & rationes. Nam nisi modum arguendi sciremus, possemus in arguendo peccare, & per consequens

quens decipi. Crederemus aliquando bene concludere, & concluderemus falſum:eo quod ignoraremus arguendi modum. Sicut igitur neceſſaria eſt grammatica, quæ eſt directio linguæ,ne erremus in loquendo:ſic ſecundum Alpharabium neceſſaria eſt Dialectica, quæ eſt directio intellectus, ne erretur in arguendo. Tertia ſcientia liberalis dicitur eſſe Rhetorica.Eſt autem Rhetorica,vt innuit Philoſophus in Rhetoricis ſuis, quaſi quædam groſſa dialectica. Nam ſicut fiendæ ſunt rationes ſubtiles in ſcientijs naturalibus & in alijs ſcientijs ſpeculabilibus,ſic fiendæ ſunt rationes groſſæ in ſcientijs moralibus, quæ tractant de agibilibus. Quare ſicut neceſſaria fuit dialectica, quæ docet modum arguendi ſubtilem & violentiorem:ſic neceſſaria fuit rhetorica,quæ eſt quædam groſſa dialectica docens modum arguendi groſſum & figuralem. Hæc autem neceſſaria eſt filijs liberorum & nobilium,& maxime Regum, & Principum: quia horum eſt conuerſari inter gentes & dominari populo, qui non poteſt percipere niſi rationes groſſas & figurales. Quarta ſcientia liberalis dicitur eſſe Muſica. hæc ſecundum Philoſ. 8. Polit. *Pol. 8.*
conuenit ipſis iuuenibus, & maxime filijs liberorum, & *cap. 3.*
nobilium propter rationes multas. Quarum vna eſt,quia pueri nihil triſtabile ſuſtinere poſſunt: quare ſi debent eis aliqua delectabilia concedi, dignum eſt quòd ordinentur ad delectationes innocuas: quare (ſecundum eundē Philoſophum) muſica eſt conſentanea naturæ iuuenum,quia habent innocuas delectationes. Secūda ratio ad hoc idem eſſe poteſt,quia (vt Philoſophus innuit in eodem 8. Poli.) *Polit. 8.*
mens humana neſcit ocioſa eſſe. Ideo (vt videtur)ocium *cap. 3.*
bonum eſt aliquando interponere inter delectationes muſicales, quæ ſunt licitæ & innocuæ. Maxime autem hoc decens eſt filijs liberorum & nobilium, qui non vacantes mœchanicis artibus,remanent ocioſi, niſi ſtuderent literalibus diſciplinis,& niſi ſuis exercitijs interponerent delectationes muſicales,quæ ſunt licitæ & honeſtæ. Tangit

Polit. 8. enim Philosophus multas rationes in Politicis, per quas
ca. 5. 6. ostendi posset, quod filios nobiliũ decet addiscere musicã.
& 7. sed de his forte infra tangetur. Quinta scientia liberalis dicitur esse arithmetica, docens proportiones numerorum, ad quã forte filij liberorum ideo tradebantur, quia sine ea musica sciri non potest. Sexta scientia liberalis est geometria, quæ docet cognoscere mensuras & quantitates rerũ. Ad hanc autem filij nobiliũ, ideo forte tradebantur, quia sine ea Astronomia, quæ est de quantitate astrorum, & de substantia syderum, & de cursibus eorum, perfecte sciri non potest. Septima scientia liberalis dicitur esse astronomia, circa quam forte antiquitus filij nobilium ideo insudabant, quia gentiles circa iudicia astrorum nimis erant curiosi. Nunquam enim volebant bella inchoare, nec aliqua opera incipere, nisi considerato gradu ascendente, & inspecta conditione cæli: & quia hoc per astroniam cognoscitur, ideo filij liberorum & nobilium volebant in astronomicis esse instructi. Sic ergo antiqui de liberalibus senserunt, & has septem artes nimium extollebant. Veruntamen plures sunt aliæ scientiæ longe nobiliores istis. Nam Naturalis Philosophia docens cognoscere naturas rerum, longe melior est, quam aliqua prædictarum. Sed hoc declarare non patitur perscrutatio præsens, quæ debet esse grossa & figuralis. Rursus & Metaphysica, quæ modo humano & per rationes humanitus inuentas, tractat de Deo & de substantijs separatis, longe nobilior est, quam naturalis Philosophia, & etiam quam aliqua prædi-
Meth. 1 ctarum. de qua Philosophus ait primo Meta. quia nulla
In proœ. est dignior ipsa. quod intelligendum est de scientijs humanitus inuentis, inter quas Metaphysica primatum tenet. Amplias Theologia, quæ est de Deo & de Angelis nõ modo humano sed diuino, & non per humanam inuẽtionem sed magis per inspirationem diuinam, longe & incomparabiliter nobilior & dignior est omnibus alijs. Adhuc quædam morales scientiæ, vt Ethica, quæ est de regi-

mine

mine sui. & Oeconomica, quæ est de regimine familiæ: & Politica, quæ est de regimine ciuitatis & regni, valde sunt vtiles & necessariæ filijs liberorum & nobilium. immo (vt in prosequendo patebit) filij nobilium, & maxime filij Regum & Principum, si velint politice viuere, & velint alios regere & gubernare, maxime circa has debent insistere. Sunt autem & aliæ scientiæ subalternatæ & suppositæ istis: vt perspectiua, quæ est de visu, est sub Geometria. Medicina vero est sub naturali Philosophia. Leges & iura, quæ sunt de actibus hominum, sub politica, quæ est de regimine ciuitatum. Nam (vt alibi nos dixisse meminimus) omnes legistæ sunt quasi quidam idiotæ politici. Nam sicut laici & vulgares, quia arguunt & formãt rationes suas, quem modum arguendi docet dialectica; ideo ipsi quia non arguunt artificialiter & dialectice, appellantur à Philosopho idiotæ dialectici: sic Legistæ, quia ea de quibus est politica, dicunt narratiue & sine ratione, appellari possunt idiotæ politici. Ex hoc autem patere potest quòd magis honorandi sunt scientes politicam & morales scientias, quam scientes leges & iura. Nam quanto scientes & dantes causam, honorabiliores sunt loquentibus & non reddentibus causam dicti: tanto tales honorabiliores sunt illis. Ex hoc autem apparere potest, qui scientes magis sint honorandi. Nam primo honorãdi sunt diuini & scientes theologiam; quia sicut Deus ipse, est Deus omnium entium; sic theologia, quæ principaliter est de Deo, est dea omnium, & domina humanarum scientiarum. Post theologos vero magis honorandi Metaphysici: quia (vt superius dicebatur) inter scientias humanitus inuentas metaphysica primatum tenet. Post hos quidẽ honorari debent naturales Philosophi: quia naturalis Philosophia licet sit infra metaphysicam, tenet tamen principatum inter omnes alias scientias inuentas ab homine. Sic ergo scientes gradatim sunt honoradi. His ergo scientijs sic diuisis, de leui patere potest, circa quas scientias

De dif. Eth. Po. & Rhe. insi.

filij nobilium, & maxime Regum, & Principum debeant insudare. Nam cum oporteat eos esse quasi semideos, & debite & absque negligentia negotium regni intendere, non vacat eis subtiliter perscrutari scientias: maxime igitur decet ipsos bene se habere circa diuina, & esse instructos & firmos in fide, & illas scientias scire, per quas quis se & alios nouit regere & gubernare. Huiusmodi autem sunt scientiæ morales. Alias ergo scientias in tantum decet eos scire; inquantum deseruiunt morali negocio. Decet igitur eos scire grammaticam, vt intelligant idioma literale: secundum quod idioma tam morales scientiæ quam aliæ facilius traduntur. Imo si nunquam grammatica deseruiret negocio morali, decet Reges, & Principes scire idioma literale, vt possint secreta sua alij scribere & legere absque aliorum scitu. Filij ergo nobilium quantumcunq; intendant esse milites, & vacare negocio politico, debent insudare, vt sciant idioma literale. Debet etiam aliquid addiscere de dialectica & rhetorica, vt ex hoc subtiliores fiant ad intelligendum quæcunq; proposita: quo facto totum suum ingenium debent exponere, vt bene intelligant moralia & vt sciant se & alios regere. Nam & de musica secundum Philosophum in politicis eos scire decet, inquantum deseruit ad bonos mores. Sic ergo morale negocium scire expedit ab ijs qui cupiunt principari: vt si omnes alias scientias ignorarent, adhuc studere debent, vt eis moralia vulgariter & grosse proportionentur: quia per ea princeps sufficienter instruitur, qualiter debeat principari, & quo se & ciues inducere debeat ad virtutes.

Qua-

Qualis debeat esse magister, qui filijs nobilium, & maxime Regum, & Principum est proponendus. Cap. IX.

PHilosophus circa finem 3. Ethicorum, concupiscibilem siue sensualitatem assimilat puero,& rationem assimilat pædagogo. Sicut ergo concupiscibilis indiget ratione dirigente & regulante: sic puer indiget magistro & pædagogo. Quare sicut ratio semper deprecatur ad optima,vt in eodem tertio Ethicorum dicitur: sic & magister puerorum semper debet eos ad optima instigare. Si igitur in doctrina puerorum finis intentus est, instigatio ad optima;quia ex fine accipienda est ratio omnium aliorum,talis quærendus est magister, qui possit iuuenes sibi commissos ad optima inducere.Optimum autem & bonum,ad quod inducendi sunt iuuenes,est duplex: scientia scilicet,& mores. Ad bonos autem mores inducitur dupliciter quis, exemplo per bonitatem vitæ, & verbo per monitiones debitas. Quantum ad præsens spectat, Magister puerorum nobilium, & maxime Regum & Principum,tria in se habere debet. Debet esse sciens in speculabilibus. Prudens in agibilibus. Et bonus in vita. Ad hoc autem quod sit sciens in speculabilibus, requiruntur tria. Quòd sit inuentiuus ex se. Quòd intelligat aliorum dicta. Et tertio quod sit iudicatiuus tam de inuentis,quam de ijs quæ ab alijs intellexit. Inuentiuus enim esse debet: quia qui nullo modo scit aliqua inuenire, sed solum nouit aliorum dicta referre,magis est recitator, quam doctor. decet igitur ipsum esse inuentiuum. Secundo decet ipsum esse intelligentem & perspicacem. Nam sicut nullus bene & perfecte sibi sufficit in vita, sed ad hoc quod habeamus sufficientiam in vita, oportet nos in societate viuere, ita vt per auxilia aliorum subueniatur nobis ad indi-

Eth. 3. C. 12.

gentiam vitæ: sic & forte multo magis, vt patet per Philosophum 2. Metaphysicæ, nullus sibi sufficit in speculando, sed semper posteriores Philosophi ex dictis aliorum priorum habuerunt iuuamenta & auxilia. Non ergo sufficit ad perfectionem scientiæ quod aliquis sit inuentiuus ex se, sed quod sit perspicax & intelligens aliorum dicta. Tertio oportet ipsum esse iudicatiuum: nam perfectio scientiæ potissime in iudicio consistit. Non enim satis est aliorum dicta intelligere, & de se multa inuenire, nisi tam de intellectis quam de inuentis nouerit iudicare quæ sunt tenenda; & quæ respuenda. Quantum ergo ad scientiam talis debet quæri doctor, qui sit inuentiuus ex se, intelligens alios, & bene iudicatiuus tam de inuentis quam de intellectis. Nam & dato quod filij nobilium, & maxime Regum, & Principum nolint omnino ad profunditatem scientiæ ingredi, sed sufficiat eis aliqua de his cognoscere: nihilominus tamen doctorem bene scientem debent inquirere, eo quod doctrina prudentium facilis; & qui clare intelligit, clare loquitur. Illa ergo modica quæ scire cupiunt, facilius, clarius, & rectius intelligent à sciente, quam ab inscio. Viso qualis debet esse doctor, & quomodo debet esse sciens vt doceat in scientia: restat videre, qualiter debet esse prudens in agibilibus vt instruat in bonis moribus. Ad huiusmodi autem prudentiam describendam, licet enumerare possemus omnia illa octo quæ in primo libro de prudentia tetigimus, sufficiat tamen ad præsens quatuor de illis enumerare. Doctor enim puerorum nobilium debet esse sic prudens in agibilibus, vt sit memor, cautus, prouidus, & circumspectus. Debet enim esse memor, recolendo præterita. Nam sicut volens rectificare virgam, nunquam eam rectificare posset nisi cognosceret ex qua parte esset obliquata: sic volens alios rectificare nunquam eos congrue rectificare posset nisi haberet præteritorum notitiam, per quæ cognosce-

Me. 2. à. prin.

gnosce-

gnoſceret quomodo obliquata eſſent. decet igitur aliorum directorem memorem eſſe præteritorum. Secundo decet ipſum eſſe prouidum futurorum. Nam ſicut aliorum director debet cogitare præterita, vt ſciat quomodo per tempora præterita obliquati fuerint qui ab eo ſunt dirigendi: ſic debet prouidere futura, vt adhibeat medicamenta ad ea, per quæ in poſterum facilius obliquari poſſint. Tertio decet ipſum eſſe cautum, quia vt in primo libro tetigimus, ſicut in cognoſcendo & ſpeculando eſt adhibenda cautela, ne falſa admiſceantur veris: ſic in agendis conuenit hominem eſſe cautum, ne mala admiſceantur bonis. quædam enim ſecundum ſe mala ſuperficietenus conſiderata, apparent bona: ſicut quædam falſa apparent vera. quare ſicut doctor eſt in ſpeculabilibus, ſic decet eſſe diligentem & cautum, vt proponat ſuis auditoribus vera ſine admixtione falſorum. Sic qui vult iuuenes dirigere debet eſſe, cautus proponens eis bona ſine admixtione malorum. Quarto huiuſmodi doctor debet eſſe circumſpectus, vel expertus. Nam experti, eſt particularia cognoſcere: ſic & huiuſmodi doctor debet cognoſcere particulares conditiones illorum iuuenum, quos debet dirigere. Nam ſecundum quod iuuenes habent alias, & alias conditiones, & ſunt proni ad alia & ad alia: ſic ſunt aliter & aliter inſtruendi, talis ergo debet eſſe doctor iuuenum, vt eos per debitos ſermones, & per debitas monitiones inducat ad bonum. Verum quia ad bonum quis inducitur non ſolum monitionibus vel correctionibus, ſed etiam operibus & exemplis; requiritur quod huiuſmodi doctor ſit in vita bonus & honeſtus. Nam quia ætas iuuenilis valde eſt prona ad intemperantiam & laſciuiam; quantumcunq; puerorum doctor eis verba bona proponeret, ſi tamen opere contraria faceret, iuuenes illi exemplo inducti de facili ad illicita declinarent. Patet igitur talem quærendum eſſe doctorem, qui quantum ad ſcientiam ſpeculabilium ſit in-

uentiuus ex se, intellectiuus aliorum, & iudicatiuus tam inuentorum quam intellectorum. Quantum vero ad prudentiam agibilium, decet ipsum esse memorem, prouidum, cautum, & circumspectum. Quantum autem ad vitam, decet ipsum esse honestum, & bonum. Si ergo Reges & Principes & vniuersaliter omnes ciues valde solicitantur, qualem proponant suis numismatibus, possessionibus, & rebus inanimatis: quia secundum Philosophum 1. Politicorum, semper de animatis amplior cura habenda, quam de inanimatis, & de filijs quam de alijs; valde deberent esse soliciti, & cum magna diligentia attendere, qualem magistrum proponerent in regimine filiorum.

Qualiter circa loquelam, circa visum, & auditum instruendi sunt iuuenes.
Cap. X.

Polit. 7. C. 17. Circa finem 7. Politicorum docet Philosophus iuuenes cohibendos esse circa locutionem, visionem, & auditum: non enim decet pueros qualitercunq; loqui, nec decet eos qualiacunq; videre, vel qualiacunq; audire; sed est ibi modus aliquis adhibendus. Circa locutionem quidem iuuenes tripliciter peccare videntur. Primo, quia de facili loquuntur lasciua. Secundo, quia de leui loquuntur falsa. Tertio, quia vt plurimum loquuntur fatua & impræmeditata. Loquuntur enim de leui lasciua, quia (vt superius in primo libro dicebatur) iuuenes sunt insecutores passionum, & ad lasciuiam proni. quare cum semper sit adhibenda cautela vbi periculum imminet, cohibendi sunt iuuenes à locutione lasciua, & à sermonibus turpibus: & sunt increpandi & etiam corrigendi, si eos talia loqui contingat. Ratio autem quare sunt à sermonibus turpibus prohibendi, est secundum Philosophum, quia ex talibus locutionibus de facili ad opera turpia inclinātur:

ipsa

ipsa enim locutio turpem facit in nobis memoriam delectabilium illicitorum: qua facta, augetur concupiscentia circa illa: concupiscentia vero augmenta facilius inclinamur ad ipsa: propter quod bene dictum est, quod corrumpunt bonos mores colloquia praua. cohibendi ergo & corrigendi sunt iuuenes, ne loquantur lasciua. Secundo sunt cohibendi & corrigendi, ne loquantur falsa. Nam (vt superius diximus) iuuenes sunt de facili mentitiui: cum ergo consuetudo sit quasi altera natura, ex quo iuuenilis ætas inclinat eos ad dicendum falsum & mendaciũ, quod secundum Philosophum 4. Ethicor. est per se prauum & fugiendum, per debitas monitiones & correptiones inducendi sunt vt relinquentes mendacium adhæreãt veritati, quæ secundum Philosophum in eodem 4. Ethic. est per se bona & laudabilis. Tertio cohibendi sunt, ne absq; præmeditatione loquantur. Nam iuuenes sunt inexperti, & pauca cognouerunt: quia ergo pauca cognoscũt, ad pauca respicientes enunciant facile, idest enunciant cito & debiliter. quare monendi sunt, ne statim ad interrogata respondeant. licet enim nullus repente fiat summus, & iuuenes non statim possint esse perfecti & prudentes; tamen si assuefiant, vt præmeditati respondeant, & vt præcogitent in sermonibus proferendis, per successionem tẽporis disponentur vt proferãt sermones irreprehẽsibiles. Viso qualiter pædagogi & doctores iuuenum debent eos instruere quomodo se habeant ad loquelam. Restat videre, quomodo sunt instruendi, vt se habeant circa visum. In visione autem iuuenum duplex cautela est adhibenda. Primo quantum ad visibilia. Secundo quantum ad modũ videndi. Quantum ad visibilia quidẽ, quia sicut non decet eos turpia sequi: sic indecens est eos turpia videre. Ratio autem eius assignatur à Philosopho 7. Polit. vbi ait, quod omnia prima amamus magis. propter quod oportet ab ipsis iuuenibus extranea facere quæcunq; sunt turpia, & quæcunq; infectionem habent: quia quæ primo aspiciuntur,

Menandri sententia.

Eth. 4. Ca. 7.

Pol. 7. cap. 17.

tur, cum maiori admiratione videntur, quare magis sumus attenti circa illa, & per consequens ea magis memoriter retinemus. Iuuenes igitur, quia eis quasi omnia sunt noua, maiori ardore feruntur in illa quæ vident. quare si contingat eos videre turpia, magis recordantur de illis, & per consequens inclinantur ad concupiscendum ea. Vnde & Philosophus prohibet, vt non solum prohibeantur iuuenes ad vidēdum turpia in re, sed etiam in picturis & in imaginibus. vt si mulieres nudæ essent depictæ vel sculptæ, non essent iuuenibus ostendendæ. Nam quia satis illa ætas de se prouocatur ad lasciuiam & ad passiones insequendas, non oportet ipsam per visionem turpium ad vlteriorem prouocare. Secundo adhibenda est cautela in iuuenibus, vt instruantur quod palpebras oculorum cum maturitate eleuent, vt non habeant oculos vagabundos. Inclinatur enim ætas illa (eo quod omnia respiciat tanquam noua) vt omnia videre velit, & circa omnia visu vagatur: quod in Regibus, & Principibus valde est indecens, si habeant oculos vagabundos. Nam ex hoc iudicantur leues corde, & paruifici, & pusillanimes: eo quod videantur de omnibus admirari. Eos igitur qui debent principari & dominari etiam ab ipsa infantia monendi sunt de modo videndi, vt mature se habeant circa eleuationem oculorum, & circa videndi modum: nam facilius quis vir factus obseruat quod ab infantia assueuit. Ostenso, quomodo instruendi sunt iuuenes quantum ad loquelam, & visionem: restat ostendere, quomodo sunt instruendi, vt se habeant ad auditum. Circa quē (quātum ad præsens spectat) etiam duplex cautela est adhibenda. Primo, quantum ad res auditas. Secundo, quantum ad eos quos audit. In rebus autem auditis obseruatur cautela quantum ad iuuenes, si prohibeantur ab auditione turpium. Nam secundum philosophum vij. Polit. vbi de hac materia loquitur, prohibendi sunt iuuenes, ne audiant quodcunq; turpiū: quia audire,

Polit. 7. C. 17.

Polit. 7. cap. 17.

dire, est prope ad ipsum facere. Ideo ergo secundum Philosophum cohibendi sunt iuuenes ab auditione turpium: quia ex hoc de facili inclinantur ad opus. Secundo, adhibenda est cautela in ipsis iuuenibus quantum ad eos quos audiunt: quia sicut decens est audire eos honesta, & pulchra, & indecens audire turpia: sic decet eos audire viros bonos & honestos, & cohibendi sunt ne audiant malilo- quos & inhonestos.

Quot modis peccatur circa cibum, & qualiter se debeant habere iuuenes circa ipsum. *Cap. XI.*

DIximus superius iuuenes ab infantia instruendos esse in bonis moribus: verum quia (vt supra dicebatur) in morali negocio sermones vniuersaliores minus proficiunt, oportet specialiter tradere, quomodo iuuenes sunt in bonis moribus instruendi. Quare postquam diximus, quomodo se habere debent circa loquelam, & circa visum, & auditum. Restat ostendere, quomodo se habere debeant circa cibum, & circa potum, & circa venerea, siue circa matrimonium contrahendum. Sed primo dicemus, quot modis peccatur circa sumptionem cibi: & qualiter se debeant habere iuuenes circa ipsum. Circa cibum autem contingit sex modis peccare, vel delinquere. Primo si sumatur ardenter. Secundo, si nimis. Tertio, si turpiter. Quarto, si inordinate. Quinto, si nimis laute vel delicate. Sexto, si nimis studiose. Delinquitur enim primo circa cibum, si sumatur ardenter. Nam hoc non solum nocet animæ, quia nimis ardenter & auide sumentes cibum fiunt gulosi & intemperati; sed etiam nocet corpori. Nam cibus nimia auiditate sumptus non bene masticatur, & per consequens minus semper digeritur.

Or-

Ordinauit enim natura animalibus dentes, vt per eos cibus debite tritus, facilius pateretur à calore naturali, & per consequens facilius conuerteretur in nutrimentum; sicut ligna minute trita facilius igniuntur, & conuertuntur in ignem. Hunc autem ordinem naturalem, vt plurimum non obseruant sumentes cibum auide. Nam (vt innuit Philosophus 3. Ethicorum) modica delectatio est, cum cibus attingit linguam: sed maior est, cum attingit guttur. Gulosi ergo, qui nimis auide & cum magna delectatione cibum sumunt, non multum delectantur, quod cibus diu in ore existat, sed cupiunt quod cito perueniat ad guttur. ideo tales vt plurimum cibum non masticāt, sed eum immasticatum trāsglutiunt. quare sequitur cibū sic sumptum non bene digeri, & per consequens sequitur quod non solum lædatur anima, sed etiam corpus. Secundo delinquitur circa cibum, si sumatur nimis in quantitate. Nam & hoc nocet animæ, quia reddit ipsam intemperatam: & etiam nocet corpori, quia impedit digestionem debitam. Si enim cibus digeri debeat, oportet ipsum esse proportionatum calori naturali. quare si in tanta quantitate sumatur, quod calor naturalis ei dominari non possit, non bene digeritur, & per consequens non causat debitum nutrimentum. Tertio delinquitur, si sumatur turpiter. Sunt enim plurimi seipsos pascere nescientes, quod vix aut nunquam comedere possunt, quin sua vestimenta deturpent: turpitudo autem corporalaris licet secundum se non sit delictum, peccatur tamen circa eam, si contingat ex inordinatione animæ. Quare cum turpis modus sumendi cibum signum sit cuiusdam gulositatis, vel inordinationis mentis in sumptione cibi, non solum cauendus est ardor & nimietas, sed etiam cauenda est turpitudo. Quarto circa cibum delinquitur ex inordinatione temporis: vt si nimis ante horam, vel nimis inordinate sumatur cibus. Nam ex tali sumptione efficitur quis gulosus & intemperatus, & etiam læditur secundum corpus. Nam

Eth. 3. cap. 10.

omnes

omnes actiones naturales secundum Philosophum mensurantur quadam periodo. Inde est igitur quod quia consuetudo est quasi altera natura, ideo cum quis assuescit, sumere cibum in aliqua hora, vt plurimum appetit sumptionem eius in eadem hora. Si ergo inordinate & præter consuetam horam vtatur quis cibum sumere, vt plurimum ante digestionem primi cibi sumitur secundus cibus. læditur ergo inde corpus. Hora ergo debita & determinata, non solum propter bonitatem animæ, sed etiam propter sanitatem corporis, obseruanda est in sumptione cibi. Quinto peccatur circa sumptionem cibi, si quærantur cibaria nimis lauta & delicata vltra quam eius status requirat. Delicatio enim ciborum accipienda est secundum conditionem personæ, & secundum statum nobilitatis eius. Qui ergo, vltra quam conditio personæ exigat, & vltra quam eius status requirat, delicata cibaria quærat, delinquit: quia hoc ex aliqua intemperantia, vel ex aliquo vitio prouenit. Sexto delinquitur, si quærantur cibaria nimis studiose parata. Nam etiam in vilibus cibarijs potest quis ostendere se nimis gulosum, si nimio studio velit ea esse parata. Videntur enim tales viuere vt comedant, non comedere vt viuant, cum nimium studium & nimiam curam apponant circa præparamenta ciborũ. His ergo visis de leui apparet, qualiter instruendi sunt pueri, vt se habeant circa cibos. Nam nullus repente fit summus. Sufficit autem eos paulatim & pedetentim instruere, vt cum ad debitam ætatem peruenerint, sint sufficienter instructi, qualiter se habere debeant in sumptione ciborum.

Polit. 7. c 13. & 3. Rhet. c. 9.

Qua-

Qualiter instruendi sunt pueri, vt se habeant circa potum, circa venerea, & circa coniugia contrahenda. Cap. XII.

POstquam in præcedenti capitulo diximus, qualiter delinquitur circa cibum. Restat dicere, quomodo delinquitur circa potum. Dicebatur enim superius quod iuuenilis ætas maxime est prona ad intemperãtiam, quare cum semper sit adhibenda cautela, vbi maius periculum imminet, in puerili ætate cauendum est ne iuuenes efficiantur intemperati. Temperantia autem circa tria est adhibenda: circa cibum, potum, & venerea. Nam non solum cibus indebite sumptus intemperantiam causa, sed etiam potus. Decet ergo iuuenes non solum esse abstinentes, vt non efficiantur gulosi ex sumptione cibi: sed etiam decet eos esse sobrios, vt non efficiantur ebrij ex sumptione potus. Vinum enim immoderate sumptum (quantum ad præsens spectat) tria mala causat. Primo, quia venerea prouocat. Cum enim corpore calefacto maior fiat incitatio ad actus venereos, vinum quod maxime calorem efficit immoderate sumptũ, incitat ad incontinentiã nimiam. ergo sumptio vini, in quantum venerea prouocat, tanto magis in ætate iuuenili quã senili cauenda est, quanto illa ætas pronior est ad lasciuiã quã alia. Secundũ malum, quod inducit nimia sumptio vini, est depressio rationis. Nam ascendẽtibus fumositatibus vini ad caput, turbatur cerebrũ: quo turbato deprimitur ratio nostra quantũ ad suos actus, quia non possumus libere ratione vti. Immoderata ergo sumptio vini in tantũ impedit rationis vsũ, in quantũ turbat cerebrũ. Inde est ergo quod aliqui plus offenduntur à vino quã alij: quia habent

debi-

debilius caput,& citius turbatur eorum cerebrum. Prohibendi sunt ergo iuuenes à nimia sumptione vini, quia propter debilitatem cerebri citius offenduntur à vino. Tertium malum quod ex vino consurgit, est lis & dissensio: turbato enim cerebro ex nimia sumptione vini, & amisso vsu rationis, de facili prorumpitur in verba inordinata, & cōsurgunt dissensiones & lites: immo quia consurgit ex inflammatione sanguinis, vinum, quod propter sui caliditatem inflammat sanguinem, reddit hominem animosum & irascibilem: quo facto facilius prouocatur ad dissensiones & lites. Iuuenes ergo, quia sunt amatores contumeliarum, vt vult Philosophus 2. Rhetoricorum, prohibendi sunt à nimia sumptione vini, per quam quis ad lites & contumelias prouocatur. In omni ergo ætate cauendum est à nimietate cibi, & ab immoderatione potus: veruntamen quia facilius adhæremus ijs, ad quæ ab infantia assueti sumus, decet omnes patres & maxime reges & Principes solicitari circa regimen filiorum, vt ab ipsa infantia sic regantur, quòd sint abstinentes & sobrij. Viso, qualiter iuuenes debeant se habere circa cibum & potum: Restat videre, quomodo se debeant habere circa venerea,& circa coniugia contrahenda. Oritur enim luxuria ex gula, quasi filia ex matre. Si ergo diximus, iuuenes ipsos instruendos esse, ne sint gulosi: restat dicere, quomodo instruendi sunt, ne fiat lasciui. Cū ergo omnis actus venereus, excepto matrimonio, sit cōtra rationis dictamen; quia decet patrem sic solicitari erga filios, vt sint virtuosi, iuuenes continere nolentes, inducendi sunt vt propria coniuge sint contenti. In qua autem ætate debeant vti coniugio, ostendit Philosophus 7. Poli. dicens, quòd in muliere requiritur ætas decem & octo annorum, in masculo sex & triginta: in tali enim ætate (secundum ipsum) procreantur filij magis perfecti. Sed quia vis generatiua (vt superius diximus) est nimis corrupta, sufficeret toto tempore augmenti, quod

Rhet. 2. C. 12.

Polit. 7. C. 16.

durat communiter vsque ad vigesimum primum annũ, abstinere iuuenes à carnali copula: quod si infra tale tempus vtantur coniugio, prouocantur ad lasciuiam, & impeditur eorum augmentum, vt vult Philosophus in eisdem Poli. Sic ergo vtendum est coniugio, si nostra vis cõcupiscibilis non esset nimis corrupta: quia tamen timendum est de corruptione concupiscibili, si doctores puerorum percipiant iuuenes tantum tempus expectare non posse, poterit illud tempus anticipari prout eis videbitur expedire. Qualiter autem se debeant habere iuuenes cum vxore iam ducta, & quæ sunt consideranda in vxore ducenda: supra, cum egimus de regimine coniugali, diffusius diximus.

Qualiter iuuenes se habere debeant in ludis, & in gestibus, & in vestitu. *Cap. XIII.*

OStenso, quomodo iuuenes debent esse abstinentes in cibo, sobrij in potu, temperati in venereis, contrahẽdo coniugium in ætate debita, & modeste se habere cum vxore iam ducta. Restat ostendere, quomodo circa ludos, circa gestus, & circa vestitum debeant se habere. Ludus autem, vt probat Philosophus 8. Poli. est necessarius in vita quod (quantum ad præsens spectat) duplici via declarari potest. Primo; ex vitatione illicitæ solicitudinis. Secundo, ex adeptione finis intenti. Prima via sic patet. Nam mens humana nescit otiosa esse: cum ergo quis vacat ocio, & non intendit aliquibus delectationibus licitis, statim incipit vagari cogitando de illicitis: vnde Philosophus 8. Polit. ait, quod ludus est quædam deductio & vitatio solicitudinis. quare ne soliciteremur circa aliqua illicita, & vitemus delectationes illicitas, expedit aliquando habere aliquos ludos, & habere aliquas deductiones

Pol. 8. cap. 3.

ctiones licitas & honestas. Qui sunt autem illi ludi, & quæ sunt illæ deductiones, circa quas debent vacare pueri, infra dicetur. Secunda via ad ostendendum hoc idem, sumitur ex adeptione finis intenti. Nam non semper statim quis habere potest finem intentum: ne ergo propter continuos labores deficiat à consecutione finis, expedit aliquos ludos & aliquas deductiones interponere suis curis, vt ex hoc aliquam requiem recipientes, magis possint laborare in consecutione finis. Vnde & Philosophus 8. Politicorum ait, quod quia homo non potest requiescere in fine adepto, & aliquando quis constituit sibi finem, in quo diu laborat, antequam consequatur illum, ideo oportet interponere aliquos ludos, & aliquas delectationes, ne deficiat à consecutione finis. Sic ergo instruendi sunt pueri erga ludos, vt non omnino prohibeantur à ludis: sed vt moderate habeant ludos honestos, & liberales. Nam ludi turpes, & eloquia turpia, & deductiones inhonestæ prohibendæ sunt à iuuenibus, vt vult Philosophus 7. Politicorum. Viso qualiter iuuenes se habere debeant circa ludos. Restat videre, qualiter se habere debeant circa gestus. Gestus autem dicũtur quilibet motus membrorum, ex quibus iudicari possunt motus animæ. Videmus enim prudentes & bonos habere gestus ordinatos, & honestos: cohibent enim sua membra, ne aliquem motum habeant, ex quo quis coniecturari possit elationem animi, vel insipientiam mentis, vel intemperantiam appetitus. Est enim homini necessaria disciplina in gestibus: Nam quia ipse intentus est circa rationem & intellectum, non sic percipit naturales impetus, nec sic agit ex naturali instinctu, vt aues & bestiæ. Aues enim & alia animalia ex naturali instinctu agentia non sic indigent disciplina, vt homo, qui vtitur ratione & intellectu; & ad agendum sibi opera debita, non sufficienter inclinatur ex natura.

Pol. 7. C. 17.

Disciplina autem, quæ est danda in gestibus, est, vt quodlibet membrum ordinetur ad opus sibi debitum. Homo enim non audit per os, sed per aurem. Frustra ergo, cum quis vult audire alium, retinet os apertum. Sic etiam homo non loquitur pedibus, nec manibus, nec spatulis, sed ore. Sicut ergo habent indisciplinatos gestus, qui cũ volunt audire alios, tenent ora aperta: sic sunt indisciplinati secundum gestus, qui cum volunt loqui, extendunt pedes & crura, vel mouent nimis spissim brachia, vel erigunt humeros, vel faciunt alia, quæ ad locutionem nihil deseruiunt. Sic ergo disciplinandi sunt iuuenes, vt habeant tales gestus, & vt sic vtantur motibus membrorũ, vt deseruiant ad opera quæ intendunt. Nam agere aliquos motus membrorum non deseruientes operi intento, vel procedit ex insipientia mentis, vel ex elatione animi, vel ex aliquo alio vitio. Hijs visis, restat exequi de tertio, quod proponebatur in principio capituli, videlicet qualiter se habere debeant iuuenes circa vestimentum. Vestimenta quidem ad tria videntur ordinari, videlicet ad delectationem, vtilitatem, & honorem. Omne enim bonum vel est delectabile, vel vtile, vel honestum siue honorabile. Bonum enim honestum, bonum honorabile dici potest: nam honestum idem est, quod honoris status. Si ergo vestimenta quæruntur propter bonum delectabile: sic quæruntur delicata, & mollia. Si propter vtile: sic quæruntur calida ad repellendum frigus tempore hyemali, vel non calida tempore æstiuo. Si vero quærantur propter bonum honorabile: sic quæruntur pulchra, & decora. Indecens est autem nimis solicitari circa molliciem vestium, & circa delectationem in ipsis: nam ex hoc efficitur quis intemperatus & timidus. De leui enim quis ad lasciuiam & ad molliciem carnis prorumpit, si nimis delectetur in mollicie vestium, & circa delectationem in ipsis. Videntur enim tales esse muliebres magis, quàm viriles. quare non sunt constantes, sed mol-

les & de facili in lasciuiam prorumpunt. Secundo, nimia mollicies vestium reddit hominem timidum. Nam cum arma ferrea in se quandam duriciem habeant, qui semper solicitantur circa mollia vestimenta, dubitant arma arripere, & efficiuntur timidi. Iuuenes, maxime cum ad aliam ætatem venerint, ad hoc quòd sint habiles ad vacandum circa labores bellicos, ne abhorreant arma, instruendi sunt, vt non nimis delectentur in mollicie vestium. Dicto, quomodo se habere debeant iuuenes in vestibus, vt deseruiunt ad delectationem. Restat ostendere, quomodo se habere debeant circa ipsa, vt deseruiunt ad vtilitatem. Quod videri habet, distinguendo inter complexiones, tempora, & ætates. Nam habentes complexiones magis depressas & minus porosas, non sic læduntur à calore & frigore, sicut habentes complexiones raras. Vnde & mulieres, quia sunt magis phlegmaticæ, & habentes complexioné densam & minus porosam, quod patet ex carentia pilorum; minus offenduntur à calore & frigore, quàm viri. Sic etiam distinguendum est inter tempora: nam temporibus frigidis, & flante borea vtendum est alijs indumentis, quàm temporibus calidis flante austro. Distinguendum est etiam inter ætates: quia senilis ætas, eo quòd magis caret calore naturali intrinseco, magis indiget de calore exteriori. Vestimenta igitur, cõsiderata proprietate temporum, complexionum, & ætatum, diuersificanda sunt, vt deseruiunt ad bonum vtile. Sed vt deseruiunt ad bonum honorabile, attendenda est consuetudo patriæ, & conditio personarum. Sic igitur instruendi sunt iuuenes circa vestitum, vt non nimis soliciti sint circa molliciem vestium, considerata conditione temporis, complexionis, & ætatis, prout requirit consuetudo patriæ, & conditio personarum, vtantur debitis indumentis ad vtilitatem corporis.

Quòd in ætate iuuenili maxime cauenda sit praua societas. Cap. XIV.

NOn sufficit scire, qualiter iuuenes se habere debeant circa ludos, gestus, & vestitum; nisi sciuerint cum quibus socijs debeant conuersari. Quanto autem ad præsens spectat, quatuor videntur inesse ipsis iuuenibus, ex quibus quatuor rationes sumi possunt, quòd maxime in iuuenili ætate fugienda sit puerorum societas. Iuuenes enim primo sunt molles, & ducti les. Secundo sunt passionum insecutores, & proni ad malum. Tertio sunt nimis amatores societatum. Quarto sunt nimis crediti-ui. Prima ergo via ad ostendendum maxime competere iuuenibus, fugere societatem prauam, sumitur ex eo quod iuuenes sunt nimis molles & ductiles. Anima enim vt plurimum sequitur complexiones corporis: nam quia nostra cognitio incipit à sensu, & sensibilia sunt nobis magis nota; ideo vt plurimum homines sequuntur appetitum sensitiuum. Appetitus autem sensitiuus est virtus organica siue corporalis. quare oportet talem appetitum sumere modum, & mensuram ex ipso corpore. In illa ergo ætate, in qua quis habet corpus molle, & magis ductile: est magis mollis & magis ductilis secundum appetitum. quare cum mollia & ductilia facilius recipiant impressionem ex ijs ex quibus coniunguntur, quàm dura, pueri & iuuenes quia sunt magis molles & ductiles quam adulti, facilius imprimuntur eis mores sociorum in ætate iuuenili, quam in alia; maxime ergo tunc prohibendi sunt à societate praua. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex eo quòd iuuenilis ætas maxime est prona ad malum, & insecutiua passionum. Nam de facili quis inducitur ad illud, ad quod est pronus. Si ergo iuuenes sunt proni ad malum, vt patuit cum de-

ter-

terminauimus de moribus iuuenum; maxime in iuuenili ætate cauendum est à societate praua. Tertia via ad probandum hoc idem, sumitur ex eo quod iuuenes sunt nimis amatores amicitiæ. Nam (vt dicitur secundo Rhetoricorum, Iuuenes sunt amici & amatores sodalium magis, quam aliarum ætatum: quia gaudent in conuiuendo. Si enim illa ætas maxime delectabilia prosequitur: cum valde delectabile sit conuiuere amicis, ætas illa gaudet conuiuere in societate, & amicari sodalibus. In iuuenili ergo ætate maxime cohibendi sunt iuuenes à societate praua: quia tunc maxime se conformant moribus sociorum, eo quod maxime diligant in societate viuere. Delectatio enim est ex coniunctione conuenientis cum conuenienti. Nullus ergo gaudet in societate viuere, nisi gaudeat se socijs conformare. Quarta via sumitur ex eo quod iuuenes sunt nimis creditiui. Delectationes enim sensibiles illicitæ licet simpliciter sint prauæ & fugiendæ: possunt tamen esse bonæ secundum apparentiam. Iuuenes ergo quia de facili credunt, & non habent perfectum rationis vsum, de facili inducuntur à socijs, & de facili persuadetur eis, vt credant bona sensibilia esse sequenda.

Rhet. 2. cap. 12

Qualis cura gerenda sit de pueris à principio natiuitatis vsque ad septem annos. *Cap. XV.*

QVia sermones particulares valde videntur esse proficui morali negocio, ideo particulariter descendendo ad diuersa tempora; ostendemus qualis cura circa filios sit gerenda. Primo enim declarabimus qualis cura habenda sit de filijs vsque ad septem annos. Secundo qualis à septimo vsque ad decimumquartum annum. Postea à decimoquarto & deinceps. Tangit autem Philosophus 7. Polit. sex circa ipsos pueros, quæ seruanda sunt in ætate primitiua. Primum est, quia ad septimum debent pasci mollibus, ita tamen quòd à principio sint alendi lacte. Secundum, quia sunt prohibendi à vino. Tertium, sunt assuescendi ad frigora. Quartum, sunt assuescendi ad conuenientes & temperatos motus, quod in omni ætate videtur esse proficuum. Quintum, sunt recreandi per debitos ludos, & sunt eis recitandæ aliquæ historiæ, & aliquæ fabulæ, in quibus recreentur: & hoc maxime, cum incipiunt percipere significationes verborum. Sextum, à ploratu sunt cohibendi. Iuuenes ergo vsque ad septennium alendi sunt mollibus; ita tamen quòd à principio maxime alendi sunt lacte. vnde & Philosophus 7. Politic. ait, quòd nutrimentum lactis maxime videtur esse familiare corporibus puerorum. In illa ergo ætate tenera vsque quo sunt circa septem annos, alendi sunt mollibus, & humidis: quia talia faciliter patiuntur, & faciliter conuertuntur in nutrimentum. Obseruandum est tamen in iuuenibus cum aluntur lacte, quod si contingat eos suggere aliud lac quàm maternum, quærenda est fœmina similis matri quantum ad complexionem, eo quòd lac maternum maxime videtur esse proportionatum proprio filio.

Polit. 7. cap. 17. — *Polit. 7. à prin. cap. 17.*

Secundo

Secundo pueri sunt prohibendi à vino, & maxime illo tempore quo lac sumunt: & hoc secundum Philosophū propter ægritudines. De facili enim ægrotantur pueri & efficiuntur male dispositi in corpore, si tempore quo vt plurimum pascuntur lacte assuescant bibere vinum. immo dicunt aliqui, quòd si eo tépore ad vinum assuescant, disponuntur ad lepram. Tertio pueri sunt assuescendi ad frigora. vnde Philosophus septimo Politi. ait, quòd mox expedit pueris paruis consuescere ad frigora. Assuescere enim pueros ad frigora vtile est ad duo. Primo ad sanitatem, vnde idem Philosophus ait, quòd exercitium ad frigora facit bonū habitudinem in pueris propter caliditaté existenté in ipsis. Secundo exercitiū ad frigora paruis pueris vtile est ad bellicas actiones. Nam frigus mébra consolidat & constringit; ita quòd cum peruenerunt ad ætaté debitã, aptiores sunt ad opera bellica, si à pueritia sint aliqualiter exercitati ad frigora. vnde idem Philosophus ait, quòd apud aliquas Barbaras nationes consuetudo est in fluminibus frigidis balneare filios, vt eos fortiores reddant. Attendendum est tamen, quòd cum dicimus pueros paruos assuescendos esse ad hoc vel ad illud, intelligendū est moderate & gradatim, & vt requirit conditio personarum. Quarto pueri sunt assuescendi ad conuenientes, & temperatos motus. Nam secundum Philosophum, motus temperatus in pueris quatuor bona facit. Primo, quia reddit corpora magis sana: moderatum enim exercitium in quacunque ætate videtur ad sanitatem proficere. Secundo, quia reddit corpora agibilia. Si enim à principio assuescant pueri ad aliquales motus, sunt agiliores secundū corpus, & vitant inertiam: nam nisi ad aliquales motus assuescant, fiunt graues, pigri, & inertes. Tertio facit ad augmentum. Nam eo ipso quòd temperatum exercitium iuuat ad digestionem ipsam, & facit ad bonam dispositionem corporis, sequitur quod sit quoddam proficuum ad augmentum. Nam cum augmentum fiat ex ipso ali-

mento

mento faciente corpus bene dispositum, & quod bene nutriatur, & alatur, sunt proficua ad augmentum. Quarto moderatus motus membra consolidat: quilibet enim in seipso experitur, quod si se moderate exercitet ad corporales labores, membra corporis eius solidantur, & fiunt fortiora. Pueri ergo quia nimis habent tenera membra, ad aliquos motus modicos & temperatos sunt assuescendi, vt membra eorum solidantur. vnde Philosophus 7. Poli. ait, quòd expedit in pueris facere motus quoscunque & tantillos ad solidandum membra, & ad non defluere propter teneritudinem: moderatum enim motum in pueris adeò laudat Philosophus, vt ab ipso primordio natiuitatis dicat, fienda esse aliqua instrumenta, in quibus pueri vertantur, & mouẽantur. Quinto, recreãdi sunt pueri per aliquos ludos, & per aliquas fabulas. Ludus enim modetatus competit pueris, quia in moderato ludo est moderatus motus, & per moderatum ludum vitatur inertia, & redduntur corpora agiliora. Sunt etiam pueris recitandæ aliquæ fabulæ, vel aliquæ historiæ, postquã incipiunt percipere significationes verborum. Vel etiam aliqui cantus honesti sunt eis cantandi. Nam ipsi nihil tristes sustinere possunt: ideo bonum est, eos assuescere ad aliquos moderatos ludos, & ad honestas aliquas & innocuas delectationes. Sexto sunt cohibendi à ploratu. Nam cùm pueri à ploratu cohibentur, ex ipsa prohibitione fit, vt retineant spiritum & anhelitum: nam sicut cum plorare permittuntur, emittunt spiritum & anhelitum: sic cum plorare cohibentur, spiritum & anhelitum tenent. Detinere autem spiritum & anhelitum secundum Philosophum septimo Politicorum, facit ad robur corporis. Vt ergo pueri robustiores fiant, sunt à ploratu illo cohibendi.

Polit.7. cap.17.

Qualis

Qualis cura habenda est de filijs à septimo anno vsque ad decimum quartum annum. Cap. XVI.

CVm distinguimus ætates filiorum per septennia, vt cum dicimus, vsque ad septem annos sic esse regendos: a septimo vsque ad decimumquartum sic esse instruendos, huiusmodi septennia sunt abbreuianda & elongãda secundum diuersitatem personarum. Nam aliqui sunt robustiores corpore in duodecim annis, quam alij in sedecim. Ideo quia de talibus punctualem regulam dare non possumus, aliqua relinquenda sunt iudicio pædagogi, qui debet pueros instruere, vt possint huiusmodi tempus anticipare & prolongare, vt ei videbitur expedire. In hoc autem tempore, quod est à septimo vsque ad decimumquartum annum, tria sunt consideranda circa regimen filiorum. Nam homo prima diuisione diuiditur in animam, & corpus. Anima vero, tanquam potentias principales, habet intellectum, & appetitum. Tria ergo attendenda sunt in filijs. Primo, quale habeant corpus. Secundo qualem voluntatem. Tertio, qualem intellectum. Vt ergo iuuenes habeant corpus bene dispositum, exercitãdi sunt per debita exercitia, & per debitos motus. Vt habeant voluntatem bene ordinatam, inducendi sunt ad debitas virtutes, & ad virtutum opera. Sed vt habeant intellectum perfectum, instruendi sunt in debitis scientijs. Scientia ergo, virtus, & exercitium attendenda sunt in regimine filiorum. A principio quidem natiuitatis, vt vitetur inertia puerorum, assuescendi sunt pueri ad aliquos motus. Sed cum impleuerunt septennium vsque ad annum decimumquartum, debent gradatim assuescere ad vlteriores labores, & ad fortiora exercitia. Ludus enim pilæ secundum Tacuinum, vel luctatio

secundum

secundum Philosophum videntur esse debita exercitia in iuuenibus. In secundo tamen septennio sunt vlteriora exercitia assumenda quàm in primo. Ad hoc tamen in tali ætate, eo quòd nimis sit tenera, non sunt assumenda
Polit. 8. cap. 4. opera militaria nec opera ardua. Vnde Philosophus 8. Polit. ait, quòd vsque ad pubescentiam, idest vsque ad decimumquartum annum, leuiora quædam exercitia sunt assumenda, ne impediatur incrementum. Viso, quod, vt iuuenes sint bene dispositi quantum ad corpus, à septimo vsque ad quartumdecimum annum debent fortiores labores assumere, quam in primo septennio. Restat videre, quomodo oporteat eos ordinari ad virtutes, vt habeant dispositam voluntatem. Sciendum ergo, quòd Philoso-
Polit. 5. phus 5. Polit. ait, quod pessimum est non instruere pueros ad virtutem, & ad obseruantiam legum vtilium. Inquirit
Polit. 8. C. 2. enim Philosophus 8. Polit. vtrum prius curandum sit de pueris, vt habeant debitum appetitum, vel vt habeāt perfectum intellectum. Probat autem prius esse curandum de ordinatione voluntatis, quam de perfectione intellectus. In secundo autem septennio quia pueritiam incipiūt concupiscere, non tamen habēt perfectum rationis vsum, potissime videtur esse curandum circa ipsos vt habeant ordinatam voluntatem. Nam sicut corpus est generatione prius anima, quia prius corpus organizatur & formatur, & postea illi anima infunditur; sic secundum Philo-
Polit. 8. sophum 8. Politicorum, prius curandum est circa pueros quomodo habeant voluntatem bene dispositam, quam quomodo scientificum intellectum. Nullus autem habet bene ordinatam voluntatem, nisi habeat moderatam cōcupiscentiam: nam ex inordinatione appetitus sensitiui redundat inordinatio in voluntate. Si ergo concupiscentiæ se tenent ex parte corporis, intellectus vero ex parte animæ quia generatione corpus est prius anima, prius intendendum est quomodo habeamus moderatas concupiscentias & ordinatam voluntatem, quam quomodo ha
beamus

beamus illuminatum intellectum. Modus autem, quo moderandæ sunt concupiscentiæ iuuenum, est vt specialis cautela adhibeatur circa illa, circa quæ maximæ consueuerunt deficere. Si ergo iuuenes sunt insecutores passionum & concupiscentiarum, & de facili mentiuntur, & omnia faciunt valde, ita quod cum amant nimis amant, cum incipiunt ludere nimis ludunt; & in cæteris alijs semper excessum faciunt, adhibenda est cautela ne insequantur concupiscentias: sed sint abstinentes & sobrij, ne sint mendaces sed veridici, nec omnia agant valde sed in suis actibus & sermonibus moderationem accipiant. His visis restat videre, quomodo sunt bene disponendi quantum ad intellectum. Nam cum dicimus quod in secundo septennio principalius curandum est de ordinatione appetitus, quam de perfectione intellectus: non sic intelligendum est quòd nullo modo curandum sit, quomodo habeant intellectum perfectum, sed quia à septimo anno quasi vsque ad quartumdecimum annum iuuenes abundant in concupiscentijs, & deficiunt ab vsu rationis, ideo principalius est insistendum circa ordinationem appetitus, quasi enim per totum secundum septennium pueri non addiscunt nisi verba: nondum enim sunt tanti intellectus, vt de ipsis rebus considerare possint: ideo in secundo septennio possunt instrui pueri in grammatica, quę est scientia sermocinalis: & in logica, quæ est magis modus sciendi quam sit scientia: & in practica musicali, quæ consistit in quadam modulantia vocum: quia enim illo tempore pueri deficiunt à rationis vsu, perfecte scire non possunt. Ne tamen cum incipiunt habere rationis vsum, omnino sint indispositi ad scientiam, assuescendi sunt ad alias artes, de quibus fecimus mentionem.

Qualis

Qualis cura gerenda sit de filio ab anno quartodecimo & deinceps. Cap. XVII.

DIcebatur supra circa filios tria intendenda esse, videlicet quomodo habeant bene dispositum corpus, bene ordinatum appetitum, & bene illuminatum intellectum. Hæc autem tria triplici septennio possumus adaptare. Nam in primo septennio post receptionem baptismatis & sacramentorum Ecclesiæ, principaliter est insistendum quomodo habeãt bene dispositum corpus. Nam quia in primis septem annis pueri quasi omnino carent rationis vsu, nec commode assuesci poterũt ad opera virtutum, nec ad scientificas considerationes. Si enim aliquid illo tempore addiscere possunt, hoc est idiomata vulgaria Sed à septimo vsque ad quartumdecimum quia iam incipiunt habere concupiscentias aliquas illicitas, & aliquo modo (licet imperfecte) incipiunt participare rationis vsum, ideo in illo tempore non solum curandum est quomodo habeant perfectum corpus, sed etiam quomodo habeant ordinatum appetitum: vsque enim ad quartumdecimum annum secundum Philosophum in Polit. magis inducendi sunt pueri ad bonum ex assuefactione quam ex ratione. Sed à quartodecimo anno, quia tũc perfectius participare incipiunt rationis vsum, non solum curandum est quomodo habeant bene dispositum corpus, & bene ordinatum appetitum, sed etiam quod sint prudentes, & quod habeant bene illuminatum intellectum: ex tunc enim addiscere possunt non solum grammaticam quæ videtur esse scientia verborum, vel dialecticam quæ est quidam modus sciendi, vel practicam musicæ quæ consistit in consonantia vocum; sed possunt instrui in illis scientijs, ad quas sciendas oportet recurrere ad intellectum rerum, & per quarum cognitionem possumus

fieri ſapientes & prouidi. In primo ergo ſeptennio poſt receptionem baptiſmatis & ſacramẽtorum Eccleſiæ, intendendum eſt principaliter quaſi circa vnum, vt circa bonam diſpoſitionem corporis. Sed in ſecundo ſeptennio, vt à duodecimo anno vſque ad quartumdecimum, eſt quaſi intendendum principaliter circa duo, vt circa diſpoſitionem corporis, & circa ordinationem appetitus. Sed in tertio ſeptennio, vt à quartodecimo anno & deinceps intendendum eſt circa tria, vt circa bonam diſpoſitionem corporis, circa ordinationem appetitus, & circa illuminationem intellectus. Bona autem diſpoſitio corporis, vt volentibus viuere vita politica, à quartodecimo anno & deinceps, eſt vt aſſumant fortiores labores quam hactenus. Nam ſicut à ſeptimo anno vſque ad 14. aſſumẽdi ſunt fortiores labores quam in ſeptem præcedentibus annis: ſic à quartodecimo & deinceps aſſumenda ſunt vlteriora exercitia quam hactenus. immo omnes labores præcedentes quartumdecimum annum debent eſſe leues & quaſi debiles: ex tunc autem aſſumendi ſunt labores fortiores. Nam & Philoſophus 8. Poli. ait, quod vſque ad quartumdecimum annum pueri aſſueſcendi ſunt ad labores leues: ſed deinde debent aſſumere labores fortes. Adeo enim ſecundum ipſum à quartodecimo anno aſſueſcendi ſunt pueri ad labores fortes, vt ad exercitationem luctatiuam, vel ad aliquã aliam exercitationẽ ſimilem exercitationi bellicæ; vt poſtea in quartodecimo anno inſtructi in luctatiua & in equitatiua, & in alijs quæ ad militiã requiruntur, ſubire poſſint labores militares: tũc enim eſt quis bene diſpoſitus quantum ad corpus, quando habet tale corpus, quale requirit ſuum officium. vt tunc miles habet corpus bene diſpoſitum, quãdo habet ipſum tale, quale requirit officium militare. quod ſine forti exercitatione corporis eſſe non poteſt. Cum ergo omnes volentes viuere vita politica, oporteat aliquando ſuſtinere fortes labores pro defenſione reipublicæ: omnes volentes viuere

tali

tali vita à quartodecimo anno vltra sic debent assuefieri ad aliqua officia robusta, quod si aduenerit tempus & congruitas quod respublica defensione indigeat, habeāt corpus sic dispositum, vt possint tales subire labores, vt per eos respublica possit defendi. Qui autem magis & qui minus sunt assuescendi ad tales labores, in prosequendo patebit. Sufficiat autem ad præsens scire, quod decet patres sic solicitari erga regimen filiorum, vt habeant sic bene dispositum corpus, vt possint debitos subire labores. quod maxime fieri contingit, si ad debita exercitia assuescant. Viso, quomodo à quartodecimo anno vltra solicitari debent patres erga filios, vt habeant dispositum corpus. Restat videre, quomodo solicitari debeant circa eos, vt habeant ordinatum appetitum. Videntur autem iuuenes à decimoquarto anno intra, quantum ad inordinationes appetitus specialiter deliquere quantū ad duo. Primo quantum ad elationem, quia cum ex tunc incipiant habere perfectum rationis vsum, videtur eis quod digni sint dominari, & dedignantur alijs esse subiecti. Secundo delinquunt in prosequendo venerea, quia tunc incipiunt ardentius circa venerea incitari. Quia ergo semper cautela est adhibenda vbi maius periculum imminet: á quartodecimo anno vltra specialiter monendi sunt iuuenes, vt non sint elati, sed sint subiecti & obedientes suis patribus & senioribus. Tangit autem Philosophus 8. Poli. tres breues rationes, quare decet filios esse subiectos, & obedire senioribus, & patribus. Prima ratio est: quia seniores & patres imperant iuuenibus propter eorum bonum: quilibet autem obedire debet ei quem scit non percipere aliqua nisi ad bonum eius. Secunda est; quia cum filij venerint ad ætatem perfectam futuri sunt dominari: debent ergo ipsi dum sunt in ætate sic iuuenili patribus & senioribus obedire, vt dent eis exemplum, vt quando veniunt ad ætatem perfectam, eis famulantur & obediant. Tertia ratio est: quia qui vult discere principari, debet prius discere

Polit. 8. cap. 1.

scere subijci. Vnde ait Philosophus, quod nemo bene principatur, nisi prius didicerit esse subiectus. Nullus enim est bonus magister, nisi prius extiterit bonus discipulus: vt ergo ipsi valeant bene principari, indignari non debent subijci senioribus & patribus. Est ergo rectificandus appetitus iuuenum existentium in ætate de qua loquimur, vt velint patribus & senioribus obedire. Secundo rectificandus est, ne venerea illicita prosequantur. Iuuenes à decimoquarto anno vltra non solum inducendi sunt, vt sint abstinentes & sobrij quantum ad cibum & potum, sed etiam vt sint continentes & pudici quantum ad actus venereos: quia ex tunc (vt dicebatur) ardentius ad venerea incitantur. inducendi ergo sunt in ætate illa, vt vel omnino contineant, vel vsu propriæ coniugis sint contenti. Ostenso, quomodo in iuuenibus à quartodecimo anno vltra est bene disponendum corpus, & rectificandus appetitus: reliquum est vt ostendatur, quomodo recte illuminandus sit intellectus. Hoc autem satis esse potest per habita manifestum. Nam quia à decimoquarto anno vltra incipiunt habere perfectum rationis vsum, vt dicebatur, ex tunc potest instrui non solum in grammatica quæ est scientia verborum, vel in dialectica quæ est quasi quidam modus sciendi, vel in practica musicæ quæ consistit in consonantia vocum: sed etiam apti nati sunt vt instruantur in vlterioribus scientijs. Quæ autem vlteriores scientiæ eis sunt proponendæ, patet etiam per iam dicta. Nam si volunt viuere vita politica & militari, potissime studere debent in moralibus scientijs: quia per eos scire poterunt, quomodo se & alios debeant gubernare: morálium autem scientiarum iuuenis & insecutor passionum non est sufficiens auditor. In ætate ergo nimis puerili, quæ durat vsque ad decimumquartum annum, tales scientiæ non sunt proponendæ illis: sed à decimoquarto anno vltra si iuuenes se refrænent ne passiones & lasciuias insequantur, efficiuntur

dispositi vt sunt sufficientes auditores moralium, per quæ se & alios gubernare cognoscant. Sic ergo regendi sunt iuuenes à decimoquarto anno vltra: vt à decimoquarto anno vsque ad vigesimumprimum, vel vsque ad vigesimumquintum, vel vsque ad vigesimumseptimum. Si vero quæratur, qualiter ab illo tempore vltra regendi sunt homines: quia tunc quasi peruenerunt omnimode ad suam perfectionem, debent esse tales, vt sciant seipsos regere & gubernare. Ex tunc ergo non indigent pædagogo, sed per ea quæ diximus in primo libro qui est de regimine sui, possunt documenta accipere, qualiter seipsos regant.

Quòd non omnes ciues æqualiter exercitandi sunt ad corporalia exercitia, & labores. Cap. XVIII.

OMnes iuuenes volentes viuere vita politica, aliquo modo exercitandi sunt ad corporales labores. corporalis enim exercitatio si moderata sit, omnibus videtur esse proficua, eo quod faciat ad quandam sanitatem, & ad quandam bonam dispositionem corporis: calefacto enim corpore per aliquos moderatos ludos motus, expelluntur ab ipso superflua & nocua. Specialiter tamen huiusmodi exercitatio videtur esse proficua volentibus ciuiliter viuere: nam quia tales non multum vacant inquisitioni veritatis, nec in spiritualibus delectationibus; expedit eis vt vitent inertiam, & vt vitent solicitudinem illicitam, exercitari aliquibus laboribus corporalibus licitis. Expedit enim volentibus politice viuere tam ciuibus quam nobilibus, tam Regibus & Principibus, quam alijs, non omnino cessare à corporalibus actibus vel laboribus, nec omnino inexercitatos esse circa armorum vsum. Exercitatio enim corporalis

ralis debita reddit corpus robuſtius, vt facilius duriciem armorum ſuſtinere poſſit. quare ſi vſus armorum non ſolum aliquando eſt licitus, ſed etiam neceſſarius pro bono Reipublicæ, volentibus politice viuere, non debet omnino ignotus eſſe. Non tamen omnes iuuenes ad huiuſmodi labores ſunt equaliter exercitandi: nam filij Regum & Principum ad huiuſmodi labores corporales minus ſunt exercitandi quam alij, & adhuc primogeniti qui regere debent decet minores labores aſſumere. Nam ſecundum Philoſophum 8. Politicorum labor corporalis, & conſideratio per intellectum, ſe impedire videntur: ratio autem huiuſmodi ſumi poteſt ex ijs, quæ habentur in 2. de anima, vbi dicitur, quod molles carne aptos mente dicimus. ad habendam igitur intellectualem induſtriam indigemus mollicie carnis. corporales igitur labores, ex quibus redditur caro dura, impediunt ſubtilitatem mentis. Bene ergo dictum eſt quod dicitur 7. Phyſicorum quod anima in ſedendo & quieſcendo fit prudens. Nam per ſeſſionem & quietem redditur caro mollis, per quam ſumus apti ad ſpeculandum. per laborem vero & motum efficitur caro dura, per quam impeditur mentis ſublimitas. eos autem qui debent regere regnum, magis expedit eſſe prudentes, quam bellicoſos: in Rege enim plus valet prudentia quam arma bellica. Rex enim & Princeps, & vniuerſaliter omnis dominator populi, licet in bellando & in aſſumendo arma quaſi non plus valeat quam vnus homo, vel aliquando minus quam vnus homo: tamen per prudentiam præualere poteſt toti populo ſibi commiſſo. Nam totus populus, & tota gens regni ſi non ſit bene vnita & ordinata, modica poſſunt: vnita vero & ordinata per reges maxima operari valent. Licet ergo Reges & Principes non omnino ignorare debeant armorum vſum, nec ſic debeant fugere corporales labores; vt effecti quaſi muliebres, nec pro defenſio-

Polit. 8. cap. 4. 2. de Anima te. 94.

Phyſ. 2. tex. 20.

ne regni nec pro alio casu audeant arma assumere; attamen quia decet eos esse magis prudentes quam bellatores, filij Regum & Principum & maxime primogeniti qui regnare debent, minus sunt assuescendi ad corporales labores quam alij, ne propter huiusmodi labores caro eorum indurata impediat subtilitatem mentis. tales ergo plus debent vacare prudentiæ, quam fortitudini corporali. Vacabunt autem prudentiæ, si diligenter insistant circa morales scientias, vt possint mores hominum & agibilia cognoscere. Decet ergo eos, qui debent alios regere, vitare inertiam & solicitudinem illicitam, vacando moralibus scientijs, recogitando frequenter bonas consuetudines regni, audiendo sæpius acta prædecessorum bene regentium regnum. Hoc ergo modo, videlicet, vacando actibus prudentiæ, à Regibus & Principibus, & à suis hæredibus magis est vitanda inertia, quam per laborem, & exercitium corporalem.

Quòd filia ciuium, & maxime nobilium, Regum & Principum à discursu & euagatione sunt cobibenda. *Cap. XIX.*

CVm ex vsu coniugij non solum oriantur filij & mares, sed oriri possunt filiæ & fœminæ: postquam diximus qualis cura gerenda est circa filios, restat dicere, qualis gerenda sit circa filias. Sed hoc breui tractatu indiget: quia cum determinauimus de regimine coniugali, & ostendimus qualiter regendæ sunt fœminæ, quasi sufficienter tradidimus qualis cura gerenda sit circa filias. Nam sicut decet coniuges esse continentes, pudicas, abstinentes, & sobrias: sic decet & filias. Hæc ergo, & multa alia, quæ de coniugibus diximus, sunt ad filias adaptanda. Aliqua tamen superaddemus dictis propter debitum

regimen

regimen filiarum: inter quæ primo dicemus filias cohibendas esse à circuitu, & discursu. quod triplici via venari possumus. Prima sumitur, vt tollatur filiabus commoditas malefaciendi. Secunda, ne fiant inuerecundæ. Tertiæ, ne fiant lasciuæ & impudicæ. Communiter enim quasi omnes viri proni sunt ad malum, & multo magis fœminæ: quia magis deficiunt à rationis vsu. Dicebatur enim supra, nostram cognitionem incipere à sensu, & maxime nobis nota esse sensibilia; inde est ergo quod communiter homines non reputant nisi sensibilia bona. Quia ergo tantum habemus impetum ad delectationes sensibiles, vt plurimum deliquimus in talibus. si adsit nobis commoditas delinquendi, vnde & Philosophus in Rheto. vult quod homines vt plurimum male faciant, cum possunt. Maxima ergo cautela ad conseruandam puritatem & innocentiam, est vitare commoditates malefaciendi. propter quod & prouerbialiter dicitur, Furandi commoditas facit furem. Si ergo in viris, in quibus est ratio præstantior, est magnum periculum non vitare commoditates delictorum: multo magis hoc est in fœminis, & adhuc magis est in filiabus vel in puellis. ne ergo eis detur commoditas malefaciendi, sunt debite custodiendæ, & prohibendæ sunt a circuitu & discursu. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur, ne fiant inuerecundæ. Nam omne insolitum est quodammodo verecundum: qui enim non assueuerunt inter gentes, verecundantur conuersari inter eas. Inter cetera ergo, quæ reddunt puellas verecundas in aspectu virorum, est non assuescere eas inter gentes. Quare cum puellæ circumeundo, & vagando per patriam assuescant virorum aspectibus, fiunt familiares eis, & tollitur ab ipsis verecundia ex virorum consortio. tollere autem à puellis verecundiam, est tollere ab eis frænum, quo trahuntur, ne male agant. Nam in fœmina, & maxime in puellis deficit ratio, propter quam quis prohibetur, ne prosequatur illicita maximum

frænum fœminarum, & potissime puellarum, ne prorumpant in turpia, videtur esse verecundia. Decens ergo est cohibere puellas à discursu & euagatione, ne fiant inuerecundæ, vel ne tollatur ab eis verecundia, per quam cohibentur ab actionibus turpibus. Tertia sumitur, ne fiant lasciuæ & impudicæ. puellæ enim si debito modo sub custodia teneantur, & non permittantur discurrere & circuire, non solum efficiuntur verecundæ, sed etiam contrahunt quandam syluestreitatem, quæ optima est ad saluandam pudicitiam puellarum. Videmus enim quod animalia etiam valde syluestria si assuescant conuersationibus hominum, domesticantur, & permittunt se tangi & palpari: si vero à conuersationibus hominum sint remotæ, quasi syluestria tactum & etiam approximationem hominum fugiunt. Quòd ergo in animalibus alijs aspicimus, reperimus etiam in fœminis. Si igitur fœminæ non discurrant, & à conuersatione virorum sint inconsuetæ, quasi syluestres ab ipsorum societate difficilius ad lasciuiam & ad impudicitiam inclinantur. Vniuersaliter igitur omnes ciues, & multo magis nobiles, & potissime Reges & Principes tanto maiorem curam circa proprias filias adhibere debent, ne indebite circuant & discurrant: quanto ex impudicitia & lasciuia suarum filiarum potest maius malum vel periculum imminere.

Quod

Quod uniuersaliter omnes ciues, & multo magis nobiles & Reges, & Principes debent solicitari erga filias, ne velint viuere ociosæ. Cap. XX.

VT superius dicebatur, Philosophus 1. Rheto. commendat in fœminis amorem operositatis. Possumus autem triplici via venari, quod decet omnes ciues, & multo magis nobiles, & maxime Reges & Principes sic solicitari erga regimen filiarum vt nolint ociosæ viuere, sed ament se exercitare circa opera aliqua licita & honesta. Prima via sumitur ex honesto solatio, quod inde habent. Secunda ex illicita solicitudine, quæ propter hoc vitatur. Tertia ex fructu & vtilitate, quæ inde consurgit. Prima via sic patet. Nam secundum Philosophum 10. Ethicorum absque omni delectatione vita nostra durare non potest: ideo reprehenduntur dicentes, omnem delectationem fugiendam esse. Quare si non possumus commode durare in vita, nisi in aliquibus delectemur: decet nos assumere aliqua opera licita & honesta, circa quæ vacantes, insunt nobis aliquæ delectationes licitæ. Sicut ergo viri, ne ociose viuant, & vt delectentur in operibus licitis, insistere debent circa aliqua opera ciuilia, vel circa ea quæ spectant ad gubernationem regni, vel circa regimen domus, vel circa aliqua alia exercitia licita. Sic & mulieres, ne ociose viuant, debent operositatem amare: & decet eas exercitari circa aliqua opera licita & honesta. Quia igitur omnes delectantur in proprijs operibus, & omnes diligunt sua opera, vt vult Philosophus 9. Ethicorum, vt mulieres ipsæ recreari possint aliquibus delectationibus licitis, decet eas intentas esse circa aliqua opera licita & honesta.

Rhet. 1. Ca. 5. *Eth. 10. Cap. 4.* *Ethi. 9. cap. 7.*

quod tanto magis videtur expedire mulieribus quam viris; quanto magis à ratione deficientes nesciunt viuere nisi ex aliquibus exercitijs sensibilibus delectationem sumant. Qualia autem debent esse opera, circa quæ mulieres insudare decet, in prosequendo patebit. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex vitatione solicitudinis illicitæ. Nam quia mulieres & maxime puellæ vt plurimum domistant, & non vacant ciuilibus operibus, nec regiminibus reipublicæ; si mens humana (vt superius dicebatur) nescit ociosa esse, statim cum quis non dat se licitis exercitijs, vagatur eius mens circa illicitas occupationes: quod tanto magis cauendum est in mulieribus quam in viris, quanto molliores sunt illis, & quanto cogitando illicita facilius trahuntur, vt ea (si adsit commoditas) opere compleant. Tertia via sumitur ex fructu & vtilitate quæ inde cõsurgit. Nam nunquam mulieres possunt se dare licitis exercitijs, nisi inde consurgat aliquod bonum exterioris operis vel aliqua bona dispositio interioris mentis. Debet ergo diligentia & cura adhiberi, vt mulieres sint bonæ & virtuosæ. propter quod & à Philosopho primo Rheto. vituperantur Lacedæmones, & dicuntur esse fere secundum dimidium infelices, quia non adhibent curam & diligentiam, quomodo earum fœminæ essent virtuosæ & bonæ. Adhibenda est ergo solicitudo, ne fœminæ ociose viuant, sed exercitent se circa aliqua opera licita, & honesta, vt ex hoc resultet fructus, & vtilitas, & efficiantur bonæ & virtuosæ. Si autem quæratur circa qualia opera solicitari debent: oportet in talibus differẽter loqui secundum diuersitatem personarum. Texere enim, & filare, & operari sericum, satis videntur opera competẽtia fœminis. Quod si tamen fœmina instruenda in tam alto gradu esset, quod non esset dignum vel nõ esset consuetum secundum morem patriæ, vt se circa talia exercitaret: adhuc non esset dimittendum, vt non viueret ociosa, sed tradenda esset studio literarum, vt ad

Rhet. 1. cap. 5.

amorem

amorem literarum affecta, non vacaret ociose, sed sæpe & sæpius librum arripiens, se lectionibus occuparet. Ex hoc autem declaratur quod superius dimisimus, cum tractauimus de regimine coniugali. Dicebatur enim, infra declarandum esse, circa quæ opera deceat fœminas esse intentas. *Ca. 24. par. 1. lib. 2.*

Quo decet Reges & Principes, & vniuersaliter omnes ciues solicitari erga filias vt sint modo debito taciturnæ.

Cap. XXI.

Ostenso, quod non decet puellas esse vagabundas, nec decet eas viuere otiose: restat vt nunc tertio ostendamus, quod decet eas taciturnas esse. quod triplici via venari possumus. Prima sumitur, vt magis appareant ornatæ & decentes, & vt à viris suis magis diligantur. Secunda, ne loquantur indebite & incaute. Tertia, ne sint pronæ ad iurgia & ad lites. Prima via sic patet. nam cum desiderium sit eius quod abest, vt vult Philosophus 2. Retor. *Rhet. 2.* quanto aliquid quod est possibile haberi, magis videtur *cap. 19.* arduum & inacessibile: tanto magis videtur abesse & magis concupiscentia mouet. fœmina ergo, eo ipso quod est loquax, quodammodo se nimis familiarem exhibet, & quodammodo se contemptibilem reddit. vnde & Philosophus primo Politicorum ait, quod ornamentum mu- *Polit. 1.* lierum est silentium. si enim mulieres sint modo debito *cap. 8.* taciturnæ, quia se sic non familiares exhibent, eorum cōsortium videtur magis abesse, & videntur ipsæ magis inaccessibiles: propter quod non sic vilipenduntur & habētur in contemptu, sed magis appetuntur & amantur. quia ergo cuilibet videtur esse pulchrum & decēs quod amatur si mulieres taciturnæ magis amantur, ex hoc ipso magis

apparent decentes & ornatæ. Ab ipsa ergo puerili ætate instituendæ sunt puellæ ad taciturnitatem: quia si contingat eas postmodum per connubium suis viris copulari, ab eis, si sint debite taciturnæ, feruentius diligentur. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur vt vitetur locutio incauta. dicebatur enim supra, ibi semper maiorem cautelam adhibendam esse vbi consueuit maior defectus consurgere. cum ergo ex hoc quis loquatur prudenter, & caute, quia viget prudentia, & acumine intellectus: quanto quis magis à ratione deficit, tanto magis contingit ipsum incaute loqui. cum ergo mulieres magis deficiant à rationis vsu quam viri, & puellæ magis quam fœminæ iam adultæ: circa fœminas, & maxime circa puellas sollicitandum est, ne incaute loquantur. Inter cæteras autem cautelas, ne quis prorumpat in locutionem incautam, hæc videtur esse potissima, vt nullum sermonem proferat, nisi prius ipsum diligenter examinet. cum ergo diligens examinatio cum loquacitate stare non possit, vt fœminæ etiam à puellari ætate discant cautos proferre sermones, decet eas non esse loquaces: sed oportet ipsas esse debite taciturnitas, vt possint omnem sermonem prolatum diligenter excutere. Tertia via ad inuestigandum hoc idem, sumitur, ne sint pronæ ad iurgia & ad lites. nam cum fœminæ, & potissime puellæ deficiant à rationis vsu, nisi sint modo debito taciturnæ, & nisi sermones dicendos diligenter examinent: sicut propter rationis defectum de facili loqui possunt pertinentia ad simplicitatem, & imprudentiam; sic de facili loqui possunt pertinentes ad lites, & ad iurgia. Decet ergo ipsas per debitam taciturnitatem adeo examinare dicenda, vt nec dicant aliqua, per quæ iudicentur imprudentes; nec dicant aliqua, quæ possint turbare audientes, propter quod iudicentur litigiosæ, & discolæ: quare decet ipsas esse taciturnas, ne in verba litigiosa prorumpant. A verbis

autem

autem litigiosis potissime foeminæ sibi cauere debent; quia postquam litigare incipiunt nesciunt à litigio se abstinere: deficit enim in eis rationis vsus, per quem concupiscentiæ refrænantur. Ideo postquam motæ sunt, & litigare cœperunt, augetur in eis concupiscentia litium, quam per rationem de facili refrænare non possunt, eo quòd ab vsu rationis deficientes vt plurimum plus viuunt passione quam ratione.

TER-

TERTIA PARS SECVNDI Libri de regimine Principum: in qua tractatur, quo regimine à Regibus & Principibus regendi sunt ministri, & familia cætera.

Quod ad gubernationem domus spectat non solum determinare de seruis, sed etiam de ijs quæ supplent indigentiam corporalem. Cap. I.

DIGESTIS duabus partibus huius secundi libri, in quo agitur de regimine domus: quia ostensum est, qualiter decet uiros suas coniuges regere, & qualiter patres suos filios gubernare: Restat exequi de parte tertia, in qua agetur de regimine ministrorum, uel de regimine familiæ. Huic autem parti, in qua agetur de regimine ministrorum & familiæ cæteræ (ut in prosequendo patebit) connecti potest materia illa, in qua agitur de ijs quæ supplent indigentiam corporalem, & quæ faciunt ad conseruationem & ad sufficientiam uitæ. cuiusmodi sunt decentia ædificiorum, multitudo numismatum, & copia possessionum aliarum. In hac ergo parte tertia huius secundi libri, eo quod hæ materiæ sunt cônexæ, intendimus instruere uolentem suas domus debite gubernare, non solum quantum ad regimen ministrorum & familiæ, sed etiam quantum ad alia quæ ordinantur

ordinantur ad conseruationem vel ad sufficientiam vitæ, quæ supplere videntur indigentiam corporalé Determinabimus igitur in hac parte tertia huius secundi libri, quam decẽtem habitationem Reges & Principes & vniuersaliter omnes ciues habere debeant: quomodo deceat ipsos se habere circa possessiones,& numismata, & circa regnum familiæ,& ministrorum. Quòd autem omnia hæc considerare deceat prudentem patremfamilias, vel doctum gubernatorem familiæ: & quod hæ materiæ sint connexæ,vt in principio capituli proponebatur,sufficienter ostendit Philosophus 1.Poli.Ostendit autem duabus rationibus,quod spectat ad œconomicum& ad gubernationem familiæ considerare de possessionibus. vt de dominibus, & numismatibus, & de supellectilibus, & de alijs, quæ supplent indigentiam corporalem. Prima ratio sumitur ex sufficieniia vitæ.Secunda ex similitudine, quam habet ars gubernationis domus ad artes alias. Prima via sic patet: nam ideo de gubernatione domus ars traditur, vt patrifamilias cuius est domum gubernare debite solicitetur circa ea quæ faciunt ad bene viuere, & quæ requiruntur ad sufficientiam vitæ:quare si ad viuendum politice requiruntur domus,possessiones, & numismata, spectat ad gubernatorem domus considerare de talibus. Secunda via ad inuestigandum hoc idem (vt patet per Philosophum ibidem) sumitur ex similitudine huius artis, quæ est de gubernatione domus ad artes alias. Nam sicut ceteræ artes, vt ars fabrilis, & textoria, habent sua organa, per quæ perficiunt actiones suas: sic & gubernatio domus requirit sua organa, per quæ opera sua complere possit. Volens ergo tradere notitiam de arte fabrili, oportet ipsum determinare de martello, & incude, & alijs instrumentis fabrilibus; & spectat ad fabrum talia instrumenta cognoscere. Sic volens tradere notitiam de arte aextoria, debet determinare de pectinibus, & alijs organis illius artis,

Polit. 1. cap. 3.

tis, & spectat ad textorem talia instrumenta cognoscere. Quare volens tradere notitiam de arte gubernationis domus, debet determinare de ædificijs, possessionibus, & numismatibus: quia talia sunt organa huius artis. Spectat ergo ad gubernationem domus talia cognoscere: quia per hæc tanquam propria organa consequi poterit, quæ faciunt ad sufficientiam vitæ: habet enim ars gubernationis domus propria organa, sicut & cæteræ artes mœchanicæ habent propria instrumenta. Differunt tamen hæc ab illis secundum Philosophum primo Poli. quia organa gubernationis sunt actiua, organa vero mœchanicorum sunt factiua. Nam in mœchanicis regulamur per artem, sed in gubernatione domus regula est prudentia. Sicut ergo ars differt à prudentia, sic organa mœchanicorum differunt ab organis gubernationis. Differt autem prudentia ab arte. quia ars est recta ratio factibilium & per artem resultat aliquid factum in materia extra: sed prudentia est recta ratio agibilium, & per eam non proprie resultat aliquid factum extra: sed magis resultat aliqua actio, & aliqua perfectio in agente. Organa ergo mœchanicorum erunt factiua, quia sunt organa artis, quæ est de factibilibus: sed organa gubernationis erunt actiua, quia sunt organa prudentiæ, quæ circa agibilia habet esse. Ars ergo gubernationionis domus licet largo modo possit dici ars, proprie tamen prudentia dici debet. Præmissis ergo duabus rationibus, sufficienter ostenditur, quod spectat ad gubernationem domus considerare de domibus, numismatibus, & possessionibus: quæ faciunt ad conseruationem, & ad sufficientiam vitæ. Per illas autem easdem rationes probari posset, quod spectat ad gubernatorem domus scire debite se habere circa ministros & seruos: nam ministri & serui sunt etiã quædam organa deseruientia gubernationi domus. propter quod declarata est prima pars capituli, vbi dicebatur quod spectat ad gubernationem domus considerare de mi-

Polit. 1. cap. 3.

de ministris & seruis, & de his quæ supplent indigentiam corporalem. Quod autem hæ duæ materiæ sint connexæ; & quod determinare de ædificijs, & possessionibus connecti debeat. Tractatui, in quo determinatur de ministris & seruis, de leui patere potest. Nam possessiones, domus, & numismata sunt organa gubernationis domus: quilibet ergo seruus est quoddam organum, & quodlibet organum est quidam seruus. Nam (secundum Philosophum) organum est quidam inanimatus seruus: & seruus est quoddam animatum organum. quia ergo sic conueniunt organum, & seruus; congruè hæ duæ materiæ connectuntur. *1. Pol. cap. 3.*

Quomodo distinguenda sunt organa gubernationis domus, & qualiter ad inuicem comparantur.
Cap. II.

PHilosophus primo Politicorum omnia organa gubernationis domus ad bimembrem distinctionem reducit. ait enim quædam esse animata, vt serui: quædam inanimata, vt possessiones, numismata, indumenta, & cætera supellectilia deseruientia ad indigentiam vitæ Sicut enim vidimus in alijs artibus, sic (secundum Philosophum) circa gubernationem domus esse habet. In alijs autem artibus est duplex organum, animatum, & inanimatum, vt in arte gubernatiua nauium, tamquam organum inanimatum. est gubernaculum siue remus: tanquam animatum, est ibi prorarius siue remigator. Sic in gubernatione domus, tanquam organa inanimata, sunt ibi indumenta, lecti, possessiones, & numismata: tanquam animata, sunt serui & ministri. Conueniunt ergo omnia huiusmodi organa, quia quodlibet aliquo modo est quædam res possessa: differunt tamen, quia hæc sunt animata, *Polit. 1. C. 3.*

illa

frænum fœminarum, & potissime puellarum, ne prorumpant in turpia, videtur esse verecundia. Decens ergo est cohibere puellas à discursu & euagatione, ne fiant inuerecundæ, vel ne tollatur ab eis verecundia, per quam cohibentur ab actionibus turpibus. Tertia sumitur, ne fiant lasciuæ & impudicæ. puellæ enim si debito modo sub custodia teneantur, & non permittantur discurrere & circuire, non solum efficiuntur verecundæ, sed etiam contrahunt quandam syluestreitatem, quæ optima est ad saluandam pudicitiam puellarum. Videmus enim quod animalia etiam valde syluestria si assuescant conuersationibus hominum, domesticantur, & permittunt se tangi & palpari: si vero à conuersationibus hominum sint remotæ, quasi syluestria tactum & etiam approximationem hominum fugiunt. Quòd ergo in animalibus alijs aspicimus, reperimus etiam in fœminis. Si igitur fœminæ non discurrant, & à conuersatione virorum sint inconsuetæ, quasi syluestres ab ipsorum societate difficilius ad lasciuiam & ad impudicitiam inclinantur. Vniuersaliter igitur omnes ciues, & multo magis nobiles, & potissime Reges & Principes tanto maiorem curam circa proprias filias adhibere debent, ne indebite circuant & discurrant: quanto ex impudicitia & lasciuia suarum filiarum potest maius malum vel periculum imminere.

Quod

Quod vniuersaliter omnes ciues, & multo magis nobiles & Reges, & Principes debent solicitari erga filias, ne velint viuere ociosæ. Cap. XX.

VT superius dicebatur, Philosophus 1. Rheto. commendat in fœminis amorem operositatis. Possumus autem triplici via venari, quod decet omnes ciues, & multo magis nobiles, & maxime Reges & Principes sic solicitari erga regimen filiarum vt nolint ociosæ viuere, sed ament se exercitare circa opera aliqua licita & honesta. Prima via sumitur ex honesto solatio, quod inde habent. Secunda ex illicita solicitudine, quæ propter hoc vitatur. Tertia ex fructu & vtilitate, quæ inde consurgit. Prima via sic patet. Nam secundum Philosophum 10. Ethicorum absque omni delectatione vita nostra durare non potest: ideo reprehenduntur dicentes, omnem delectationem fugiendam esse. Quare si non possumus commode durare in vita, nisi in aliquibus delectemur: decet nos assumere aliqua opera licita & honesta, circa quæ vacantes, insunt nobis aliquæ delectationes licitæ. Sicut ergo viri, ne ociose viuant, & vt delectentur in operibus licitis, insistere debent circa aliqua opera ciuilia, vel circa ea quæ spectant ad gubernationem regni, vel circa regimen domus, vel circa aliqua alia exercitia licita. Sic & mulieres, ne ociose viuant, debent operositatem amare: & decet eas exercitari circa aliqua opera licita & honesta. Quia igitur omnes delectantur in proprijs operibus, & omnes diligunt sua opera, vt vult Philosophus 9. Ethicorum, vt mulieres ipse recreari possint aliquibus delectationibus licitis, decet eas intentas esse circa aliqua opera licita & honesta.

Rhet. 1. Ca. 5.

Eth. 10. Cap. 4.

Ethi. 9. cap. 7.

quod tanto magis videtur expedire mulieribus quam viris; quanto magis à ratione deficientes nesciunt viuere nisi ex aliquibus exercitijs sensibilibus delectationem sumant. Qualia autem debent esse opera, circa quæ mulieres insudare decet, in prosequendo patebit. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex vitatione solicitudinis illicitæ. Nam quia mulieres & maxime puellæ vt plurimum domistant, & non vacant ciuilibus operibus, nec regiminibus reipublicæ: si mens humana (vt superius dicebatur) nescit ociosa esse, statim cum quis non dat se licitis exercitijs, vagatur eius mens circa illicitas occupationes: quod tanto magis cauendum est in mulieribus quam in viris, quanto molliores sunt illis, & quanto cogitando illicita facilius trahuntur, vt ea (si adsit commoditas) opere compleant. Tertia via sumitur ex fructu & vtilitate quæ inde cõsurgit. Nam nunquam mulieres possunt se dare licitis exercitijs, nisi inde consurgat aliquod bonum exterioris operis vel aliqua bona dispositio interioris mentis. Debet ergo diligentia & cura adhiberi, vt mulieres sint bonæ & virtuosæ. propter quod & à Philosopho primo Rheto. vituperantur Lacedæmones, & dicuntur esse fere secundum dimidium infelices, quia non adhibent curam & diligentiam, quomodo earum fœminæ essent virtuosæ & bonæ. Adhibenda est ergo solicitudo, ne fœminæ ociose viuant, sed exercitent se circa aliqua opera licita, & honesta, vt ex hoc resultet fructus, & vtilitas, & efficiantur bonæ & virtuosæ. Si autem quæratur circa qualia opera solicitari debent: oportet in talibus differẽter loqui secundum diuersitatem personarum. Texere enim, & filare, & operari sericum, satis videntur opera competẽtia fœminis. Quod si tamen fœmina instruenda in tam alto gradu esset, quod non esset dignum vel nõ esset consuetum secundum morem patriæ, vt se circa talia exercitaret: adhuc non esset dimittendum, vt non viueret ociosa, sed tradenda esset studio literarum, vt ad

Rhet. 1. cap. 5.

amorem

amorem literarum affecta, non vacaret ociose, sed sæpe sæpius librum arripiens, se lectionibus occuparet. Ex hoc autem declaratur quod superius dimisimus, cum tractauimus de regimine coniugali. Dicebatur enim, infra declarandum esse, circa quæ opera deceat fœminas esse intentas. *Ca. 24. par. 1. lib. 2.*

Quo decet Reges & Principes, & uniuersaliter omnes ciues solicitari erga filias vt sint modo debito taciturnæ.

Cap. XXI.

Ostenso, quod non decet puellas esse vagabundas, nec decet eas viuere otiose: restat vt nunc tertio ostendamus, quod decet eas taciturnas esse: quod triplici via venari possumus. Prima sumitur, vt magis appareant ornatæ & decentes, & vt à viris suis magis diligantur. Secunda, ne loquantur indebite & incaute. Tertia, ne sint pronæ ad iurgia & ad lites. Prima via sic patet. nam cum desiderium sit eius quod abest, vt vult Philosophus 2. Retor. *Rhet. 2. cap. 19.* quanto aliquid quod est possibile haberi, magis videtur arduum & inaccessibile: tanto magis videtur abesse & magis concupiscentia mouet. fœmina ergo, eo ipso quod est loquax, quodammodo se nimis familiarem exhibet, & quodammodo se contemptibilem reddit. vnde & Philosophus primo Politicorum ait, quod ornamentum mulierum est silentium. *Polit. 1. cap. 8.* si enim mulieres sint modo debito taciturnæ, quia se sic non familiares exhibent, eorum cōsortium videtur magis abesse, & videntur ipsæ magis inaccessibiles: propter quod non sic vilipenduntur & habētur in contemptu, sed magis appetuntur & amantur. quia ergo cuilibet videtur esse pulchrum & decēs quod amatur, si mulieres taciturnæ magis amantur, ex hoc ipso magis apparent

apparent decentes & ornatæ. Ab ipsa ergo puerili ætate instituendæ sunt puellæ ad taciturnitatem: quia si contingat eas postmodum per connubium suis viris copulari, ab eis, si sint debite taciturnæ, feruentius diligentur. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur vt vitetur locutio incauta. dicebatur enim supra, ibi semper maiorem cautelam adhibendam esse vbi consueuit maior defectus consurgere. cum ergo ex hoc quis loquatur prudenter, & caute, quia viget prudentia, & acumine intellectus: quanto quis magis à ratione deficit, tanto magis contingit ipsum incaute loqui. cum ergo mulieres magis deficiant à rationis vsu quam viri, & puellæ magis quam fœminæ iam adultæ: circa fœminas, & maxime circa puellas sollicitandum est, ne incaute loquantur. Inter cæteras autem cautelas, ne quis prorumpat in locutionem incautam, hæc videtur esse potissima, vt nullum sermonem proferat, nisi prius ipsum diligenter examinet. cum ergo diligens examinatio cum loquacitate stare non possit, vt fœminæ etiam à puellari ætate discant cautos proferre sermones, decet eas non esse loquaces: sed oportet ipsas esse debite taciturnitas, vt possint omnem sermonem prolatum diligenter excutere. Tertia via ad inuestigandum hoc idem, sumitur, ne sint pronæ ad iurgia & ad lites. nam cum fœminæ, & potissime puellæ deficiant à rationis vsu, nisi sint modo debito taciturnæ, & nisi sermones dicendos diligenter examinent: sicut propter rationis defectum de facili loqui possunt pertinentia ad simplicitatem, & imprudentiam, sic de facili loqui possunt pertinentes ad lites, & ad iurgia. Decet ergo ipsas per debitam taciturnitatem adeo examinare dicenda, vt nec dicant aliqua, per quæ iudicentur imprudentes; nec dicant aliqua, quæ possint turbare audientes, propter quod iudicentur litigiosæ, & discolæ: quare decet ipsas esse taciturnas, ne in verba litigiosa prorumpant. A verbis

autem

autem litigioſis potiſſime fœminæ ſibi cauere debent; quia poſtquam litigare incipiunt neſciunt à litigio ſe abſtinere: deficit enim in eis rationis vſus, per quem concupiſcentiæ refrænantur. Ideo poſtquam motæ ſunt, & litigare cœperunt, augetur in eis concupiſcentia litium, quam per rationem de facili refrænare non poſſunt, eo quòd ab vſu rationis deficientes vt plurimum plus viuunt paſſione quam ratione.

TER-

TERTIA PARS SECVNDI Libri de regimine Principum: in qua tractatur, quo regimine à Regibus & Principibus regendi ſunt miniſtri, & familia cætera.

Quod ad gubernationem domus ſpectat non ſolum determinare de ſeruis, ſed etiam de ijs quæ ſupplent indigentiam corporalem. Cap. I.

DIGESTIS duabus partibus huius ſecundi libri, in quo agitur de regimine domus: quia oſtenſum eſt, qualiter decet uiros ſuas coniuges regere, & qualiter patres ſuos filios gubernare. Reſtat exequi de parte tertia, in qua agetur de regimine miniſtrorum, uel de regimine familiæ. Huic autem parti, in qua agetur de regimine miniſtrorum & familiæ cæteræ (ut in proſequendo patebit) connecti poteſt materia illa, in qua agitur de ijs quæ ſupplent indigentiam corporalem, & quæ faciunt ad conſeruationem & ad ſufficientiam uitæ. cuiuſmodi ſunt decentia ædificiorum, multitudo numiſmatum, & copia poſſeſſionum aliarum. In hac ergo parte tertia huius ſecundi libri, eo quod hæ materiæ ſunt cōnexæ, intendimus inſtruere uolentem ſuas domus debite gubernare, non ſolum quantum ad regimen miniſtrorum & familiæ, ſed etiam quantum ad alia quæ

ordinantur ad conseruationem vel ad sufficientiam vitæ, quæ supplere videntur indigentiam corporalé Determinabimus igitur in hac parte tertia huius secundi libri, quam decétem habitationem Reges & Principes & vniuersaliter omnes ciues habere debeant: quomodo deceat ipsos se habere circa possessiones, & numismata, & circa regnum familiæ, & ministrorum. Quòd autem omnia hæc considerare deceat prudentem patremfamilias, vel doctum gubernatorem familiæ: & quod hæ materiæ sint connexæ, vt in principio capituli proponebatur, sufficienter ostendit Philosophus 1. Poli. Ostendit autem duabus rationibus, quod spectat ad œconomicum & ad gubernationem familiæ considerare de possessionibus. vt de dominibus, & numismatibus, & de supellectilibus, & de alijs, quæ supplent indigentiam corporalem. Prima ratio sumitur ex sufficieniia vitæ. Secunda ex similitudine, quam habet ars gubernationis domus ad artes alias. Prima via sic patet: nam ideo de gubernatione domus ars traditur, vt patrifamilias cuius est domum gubernare debite solicitetur circa ea quæ faciunt ad bene viuere, & quæ requiruntur ad sufficientiam vitæ: quare si ad viuendum politice requiruntur domus, possessiones, & numismata, spectat ad gubernatorem domus considerare de talibus. Secunda via ad inuestigandum hoc idem (vt patet per Philosophum ibidem) sumitur ex similitudine huius artis, quæ est de gubernatione domus ad artes alias. Nam sicut ceteræ artes, vt ars fabrilis, & textoria, habent sua organa, per quæ perficiunt actiones suas: sic & gubernatio domus requirit sua organa, per quæ opera sua complere possit. Volens ergo tradere notitiam de arte fabrili, oportet ipsum determinare de martello, & incude, & alijs instrumentis fabrilibus; & spectat ad fabrum talia instrumenta cognoscere. Sic volens tradere notitiam de arte aextoria, debet determinare de pectinibus, & alijs organis illius ar-

Polit. 1. cap. 3.

tis,

tis, & spectat ad textorem talia instrumenta cognoscere. Quare volens tradere notitiam de arte gubernationis domus, debet determinare de ædificijs, possessionibus, & numismatibus: quia talia sunt organa huius artis. Spectat ergo ad gubernationem domus talia cognoscere: quia per hæc tanquam propria organa consequi poterit, quæ faciunt ad sufficientiam vitæ: habet enim ars gubernationis domus propria organa, sicut & cæteræ artes mœchanicæ habent propria instrumenta. Differunt tamen hæc ab illis secundum Philosophum primo Poli. quia organa gubernationis sunt actiua, organa vero mœchanicorum sunt factiua. Nam in mœchanicis regulamur per artem, sed in gubernatione domus regula est prudentia. Sicut ergo ars differt à prudentia, sic organa mœchanicorum differunt ab organis gubernationis. Differt autem prudentia ab arte. quia ars est recta ratio factibilium & per artem resultat aliquid factum in materia extra: sed prudentia est recta ratio agibilium, & per eam non proprie resultat aliquid factum extra: sed magis resultat aliqua actio, & aliqua perfectio in agente. Organa ergo mœchanicorum erunt factiua, quia sunt organa artis, quæ est de factibilibus: sed organa gubernationis erunt actiua, quia sunt organa prudentiæ, quæ circa agibilia habet esse. Ars ergo gubernationionis domus licet largo modo possit dici ars, proprie tamen prudentia dici debet. Præmissis ergo duabus rationibus, sufficienter ostenditur, quod spectat ad gubernationem domus considerare de domibus, numismatibus, & possessionibus: quæ faciunt ad conseruationem, & ad sufficientiam vitæ. Per illas autem easdem rationes probari posset, quod spectat ad gubernatorem domus scire debite se habere circa ministros & seruos: nam ministri & serui sunt etiã quædam organa deseruientia gubernationi domus. propter quod declarata est prima pars capituli, vbi dicebatur quod spectat ad gubernationem domus considerare

Polit. 1. cap. 3.

de mi-

de ministris & seruis, & de his quæ supplent indigentiam corporalem. Quod autem hæ duæ materiæ sint connexæ; & quod determinare de ædificijs, & possessionibus connecti debeat. Tractatui, in quo determinatur de ministris & seruis, de leui patere potest. Nam possessiones, domus, & numismata sunt organa gubernationis domus: quilibet ergo seruus est quoddam organum, & quodlibet organum est quidam seruus. Nam (secundum Philosophum) organum est quidam inanimatus seruus: & seruus est quoddam animatum organum. quia ergo sic conueniunt organum, & seruus; congruè hæ duæ materiæ connectuntur. *1. Pol. cap. 3.*

Quomodo distinguenda sunt organa gubernationis domus, & qualiter ad inuicem comparantur. *Cap. II.*

PHilosophus primo Politicorum omnia organa gubernationis domus ad bimembrem distinctionem reducit. ait enim quædam esse animata, vt serui: quædam inanimata, vt possessiones, numismata, indumenta, & cætera supellectilia deseruientia ad indigentiam vitæ Sicut enim vidimus in alijs artibus, sic (secundum Philosophum) circa gubernationem domus esse habet. In alijs autem artibus est duplex organum, animatum, & inanimatum, vt in arte gubernatiua nauium, tamquam organum inanimatum. est gubernaculum siue remus: tanquam animatum, est ibi prorarius siue remigator. Sic in gubernatione domus, tanquam organa inanimata, sunt ibi indumenta, lecti, possessiones, & numismata: tanquam animata, sunt serui & ministri. Conueniunt ergo omnia huiusmodi organa, quia quodlibet aliquo modo est quædam res possessa: differunt tamen, quia hæc sunt animata, *Polit. 1. C. 3.*

illa

illa inanimata. Viso, quomodo distinguuntur organa gubernationis domus: restat ostendere, quomodo ad inuicem comparantur. Oportet enim (secundum Philosophum) huiusmodi organa ordinata esse ad inuicem, ita quod organum sit ante organum, vt organum animatum ante inanimatū. Si enim societas domus est quid naturale, & in natura ordinata sunt omnia, vt semper inferiora administrentur per superiora, & recipiant modum & mensuram ex illis: oportet organa domus ordinata esse, & organa inferiora, vt inanimata, sunt mouēda, & administranda per organa superiora, vt per animata. quod

Polit. 1. Cap. 3.

declarat Philosophus 1. Polit. per simile in alijs artibus, vbi innuit quod plectra non per se cytharizant, & pectines non per se ipsos pectinant. Ideo ad cytharizandum plectrum indiget ministro mouente, & pecten ad pectinandum indiget mouente ipsum. Sic (vt ait) si plectra per se cytharizarent, & pectines per se pectinarent, nihil opus esset architectoribus ministrorum, nec dominis seruorum. Ideo enim architectores, & domini indigent seruis & ministris, siue indigent organis animatis, quia organa inanimata per se ipsa exercere non possunt illud, ad quod sunt facta Nam si tripodes & mensæ Regum &

Apol. fab.

Principum vel etiam aliorum tales essent, quales erant tripodes in quodam templo, de quibus quidam Poetæ fabulose dicebant, quod spontanee se ingerebant diuinis obsequijs: & si omnia organa domus talia essent, qua-

1. Pol. cap. 3.

lis erat statua Dædali, de qua Philosophus fabulose recitat in Politicis; quod per se implebat opus debitum: nulla indigentia esset seruorum, sed mensæ se ipsas pararent: & vt esset oportunitas, ostia se ipsa aperirent, & clauderent: sed quia non sic est, organa inanimata à se ipsis moueri non possunt. Ideo domini & architectores indigent ministris & seruis, vt secundum eorum ductionem moueant organa inanimata, vel organa carentia ratione, vt opus proprium possint implere. Indignum est enim secundum ordinem vniuersi, vt suprema

imme-

immediate administrent infima: sed lex Vniuersi est, vt infima administrentur à supremis per media. Suprema autem in quolibet negotio esse videntur. architectores & domini: infima vero sunt organa inanimata: media sunt ministri & serui, qui sunt quasi quædam organa animata. indignum est autem dominos & architectores per se ipsos esse præparatores mensarum, vel esse ostiarios, aut aliqua talia exercere: sed congruentius est hæc per medios ministros efficere. In domo ergo completa vtraque organa sunt necessaria, animata, & inanimata: quæ quomodo ad inuicem se habeant manifestatum est per iam dicta: nam animata sunt ante inanimata, & hæc per illa sunt administranda & mouenda, vt possint propria opera adimplere.

Qualia ædificia debent Reges, & Principes, & vniuersaliter omnes ciues quantum ad operis industriam, & aeris temperamentum. Cap. III.

EX prædictis patere potest, in hac tertia parte huius secundi libri dicendum esse tam de ministris quam de ijs quæ deseruiunt ad conseruationem, & ad sufficientiam vitæ. Deseruientia autem conseruationi, & sufficientiæ vitæ, quasi ad tria reducuntur: huiusmodi enim sunt ædificia, possessiones, & numismata. De quatuor ergo dicendum erit. Declarabitur enim primo, quales domos, & quales habitationes Reges & Principes, & vniuersaliter oēs ciues habere debent. Secundo determinabitur de ipsis possessionibus. Tertio de numismatibus. Quarto de ministris. Inter alia aūt, quæ considerāda sunt in ædificijs, vt tradit Pallad. in lib de Agric. est industria operis, vt ædificiū sit subtiliter & debite factū: & tēperamentū aeris, vt sit in debito aere collocatū. Quòd aūt Reges & Principes

Pallad. Lib. 1. tit. 16.

debeāt habere habitationes mirabiles, & subtili industria constructas, probat Philos. duplici ratione. quarum prima sumitur ex parte magnificentiæ regiæ. Secunda ex parte populi. Possumus autem & nos tertiam rationem addere, ex parte familiæ & ministrorum. Prima via sic patet. nam
Eth. 4. secundum Philosophum 4. Ethicorum capitulo de Magnificentia, maxime gloriosos & nobiles decet esse magnificos: Reges ergo & Principes, qui debent esse nobiles & præclari, potissime decet esse magnificos. alij enim moderatas possessiones habentes, possunt esse liberales, eo quod liberalitas in paruis sumptibus esse possit: sed Reges & Principes multitudine possessionum pollentes, debent esse magnifici, eo quod magnificentia circa magnos sumptus esse contingat. Sed magnifici, vt dicitur in eodem 4. Ethicor. est præpare habitationem decentem: non est autem decens habitatio, nisi magnifico opere, & mirabili industria sit constructa. Ex parte ergo ipsius magnificentiæ regiæ patet, quod Reges & Principes, quantum ad industriam operis, decet habere habitationes mirabiles. Alij vero ciues tales habitationes habere debent magis & minus mirabiles, vt competit propriæ facultati. Secunda via ad inuestigādum hoc idem, sumitur ex parte ipsius
Pol. 6. cap. 7. populi: & hanc tangit Philosophus 6. Politicorum, vbi ait, quod Principes decet sic magnifica facere, & talia ædificia construere, quod populus ea videns, quasi sit mente suspensus propter vehementem admirationem. nam populus minus insurgit contra principem, videns ipsum sic magnificum: quilibet enim de populo hoc viso opinatur principem esse tantum, quod quasi impossibile sit ipsum inuadere: & quia circa impossibilia non cadit electio ne-
Eth. 3. que consilium, vt vult Philosophus 3. Ethicorum, quilibet ex populo retrahitur, ne dissensionem faciat contra Principem, si aspiciat ipsum tantum, & tam magnificum. Magnitudo enim ædificiorum licet non sit fienda ad ostentationem & inanem gloriam: decet tamen Reges & Principes,

pes,ne in contemptum habeantur à populo, facere ædificia magnifica, prout requirit decentia status, in quo existunt. Tertia via sumitur ex parte ministrorum & familię. nam vbi multæ sunt diuitiæ, multi sunt qui comedunt illas. In domibus ergo Regum & Principum oportet multos abundare ministros. vt ergo non solum personas Regis & Principis, sed etiam multitudo ministrorum debite commorari possint in ædificijs constructis, oportet ipsa esse magnifica. Viso, qualia debent esse ædificia, quantum ad magnificentiam & industriam operis: restat videre, qualia esse debent, quantum ad aeris temperamentum. Tangit autem Palladius in libro de Agricultura, tria, ex quibus cognoscere possumus, in quo aere sit ædificium construendum. Dicit enim salubritatem aeris primò declarare loca à vallibus infimis libera. Si enim in vallibus infimis ædificia construantur, quia aer est ibi grossus, propter circumstantiam montium contingit ipsum non esse salubrem. Sic enim imaginari debemus, quod sicut aqua currens sanior est quam stans, eo quod aquæ stantes vt plurimum ingrossantur & putrescunt: sic aer reclusus in vallibus, eo quod non habeat liberum motum, quasi ingrossatur, & efficitur non salubris. est ergo propter salubritatem aeris considerandum in ædificijs construendis, vt non fiat talis constructio in vallibus infimis. Secundo considerandum est, vt locus ille, in quo est ædificium construendum, sit à nebularum tenebris absolutus. Nam in aliqua parte terrarum, vel quia illa est magis paludosa, vel propter aliquam aliam dispositionem terræ, magis & sæpius obtenebatur aer per nebulas & vapores, quam in parte alia: quare ibi redditur aer non salubris. ideo si vitari potest, non sunt ibi ædificia construenda. Tertium, quod declarat salubritatem aeris, est consideratio habitatorum existentium in ipso. si enim alicubi ædificare volumus, si contingat circa regionem illam aliquos habitare, consideranda sunt habitatorum corpora, si eis sit color sanus &

Pallad. Lib. 1. cap. 3.

Aeris. beni.

pulcher, sit sit ipsis firma sinceritas capitis, si habeant acutum visum, & purum auditum, & vocem claram. per omnia hæc indicatur bonitas aeris: & per contraria indicatur aer esse infimus. Si enim habitatores in ipso non habeant colorem sanum sed croceum, de facili in capite patiantur, habeant perturbatum visum, impurum auditũ, vocem raucam: per omnia hæc, quasi per quædam signa, aeris impuritas demonstratur.

Qualia debent esse ædificia, quantum ad salubritatem aquarum, & quantum ad ordinem vniuersi. Cap. IV.

Præter prædicta duo, videlicet præter operis industriam, & aeris temperamentum: sunt duo alia in ædificijs attendenda. vt aquæ salubritas, & debita dispositio vniuersi. Aqua enim (secundum Philosophum) est valde communis, & in multis deseruit ad necessaria vitæ. Ideo valde considerandum est, vt sic ædificium situetur, vt ei sit aquæ salubris copia: ne habitatores eius ob infectionem aquæ infirmitatem contrahant. Tangit autem Palladius in libro De agricultura sex quæ ait esse consideranda in cognitione aquæ salubritatis. Primum est: quia aqua illa deriuari non debet à paludibus & à lacunis. paludes enim & lacunæ, eo quod eis sit aqua quodammodo stans, vt plurimum habent aquam non salubrem. Secundo considerandum est, ne aqua illa sumat originem ex metallis, vel ne transeat per metallorum venas. habent enim metalla suas venas subterraneas, & aqua in locis subterraneis generatur, & per venas subterraneas transit. quare si locus generationis aquarum, vel meatus per quos aquę transeunt, habeant in se principia venarum metallorum, ex hoc aqua inficitur, & non est ita salubris. Est enim humidum & molle de facili passiuum: aqua ergo

Polit. 7. cap. 11.
Pallad.
Aqua salubritas.
Lib. 1. tit. 4.

ergo quia est huiusmodi, de facili inficitur à metallis, & maxime à metallorum venis, vbi non sunt metalla pura, sed simul cum metallis sunt aliquæ admixtæ putredines. Tertium, quod considerandum est in aquis, est quod sit coloris perspicui. nam ipsa infectio coloris, aquæ infectionem demonstrat. Quartum est, ne aliquo odore, vel sapore vitientur nam prauus odor, vel sapor aquarum, vt plurimum designat illas aquas generari, vel transire per aliqua loca infecta, à quibus talem odorem, vel saporem contraxerunt. Quintum est, ne aquis illis aliquis insideat limus. nam terra limosa & lutosa, eo quod infecta sit, sana esse non potest. Hæc ergo quinq; attendenda sunt in salubritate aquarum. Verum quia contingit aliquando nos in his signis decidi, ideo adducit Palladius sextũ, quod dicit etiam considerandum esse. videlicet, vt consideretur conditio & dispositio corporum vtentium illis aquis. Est ergo aspiciendum, si dentes & gingiuę vtentiũ illis aquis, sint puri: si vtentes habeant capita sana & inperturbata: si venter, aut viscera, vel latera, siue renes nullo dolore aut inflatione vexentur: nam ex malitia aquarum vel omnia mala hæc, vel aliqua horum consueuerunt contingere. Aedificium ergo construendum ædificari debet in tali situ, quod sit ei copia aquæ salubris habentis conditiones illas, de quibus fecimus mentionem. Quòd si tamen ædificandi necessitas vrgeat, nec tamen ibi aquæ salubris sit copia. est ibi (secundum Palladium) construenda cisterna, in qua pluuiales aquæ colligendæ sunt. nam (secundum eundem) aqua cælestis & pluuialis ad bibendum quasi omnibus antefertur, sunt autem in cisterna illa pisces fluuiales apponendi, vt horum natatu aqua stans agilitatem currentis imitetur. Viso, qualiter est ædificiũ construendum quantum ad salubritatem aquæ: restat videre, qualiter cõstruendum sit quantum ad ordinem Vniuersi. In ordine aũt Vniuersi, prout requirit ædificiũ construendum, sunt tria consideranda, videlicet conditio cælestis:

Pallad.

Pallad. Lib. 1. tit. 16.

Ibidem tit. 17.

diuersitas ventorum:& dispositio terrarum. Quantum ad conditionem cælestem duo sunt attendenda. Primo vt hyeme debita claritate illustretur. Secundo, ne in æstate immoderato calore opprimatur. quod fieri contingit, si ædificium secundum suam ampliorem partem respiciat oriens hyemale: tunc enim eo quod in hyeme oppositum sit soli, debita claritate illustrabitur. In æstate quidem, eo quod oblique respiciatur à sole, habebit in calore temperamentum. nam semper radius obliquus minorem calorem generat, quã directus. Secundo in ædificando ædificio attendenda est diuersitas ventorum:& hoc quantum ad diuersitatem camerarum. Nam ventus septentrionalis, eo quod puriorem aerem facit, salubrior esse videtur. propter tempus ergo æstiuum, in quo homines facilius infirmantur, ædificandæ sunt aliquæ cameræ oppositæ vento septentrionali, vt in eis salubrior custodiatur vita. Tertio quantum ad ordinem vniuersi consideranda est dispositio terrarum; vt in tali loco ædificium construatur, cui viridaria & pomeria esse possunt connexa: aspectus enim talium & deambulatio per ea ad hylaritatem & sanitatem confert. Essent autem in ædificijs construendis quædam alia particularia dicenda; vt qualis deberet esse cella vinaria, quia debet esse frigida, obscura, opposita septentrioni debet esse longe ab aquis, vt à cisternis, & fluminibus: & longe à stabulis, fimo, & sterquilinijs. Sic etiam aliæ particulares conditiones ædificiorum distingui possent. Sed quia talia nimis particularia sunt, ædificatorum industriæ relinquantur.

Pallad. lib. 1. tit. 18. & inde Vit. lib. 1. c. 4.

Quòd

Quòd possessio est homini quodammodo naturalis, & abrenuntiantes possessionibus quodammodo non viuunt vt homines, sed sunt hominibus meliores.

Cap. V.

DIcto de ædificijs secundum ordinem superius enarratum, restat dicere de possessionibus. Possumus autem triplici via venari, quod rerum possessio est quodammodo naturalis. Prima sumitur ex necessitate vitæ. Secunda, ex dignitate hominis. Tertia, ex actione naturæ. Si enim homines naturaliter viuunt, & societas politica est quodammodo homini naturalis, vt in prima parte huius secundi libri diffusius probabatur: oportet aliquomodo naturalia esse quæ sunt necessaria in vita politica. sed secundum Philosophum primo Polit. necessaria est rerum possessio in gubernatione domus, si quis debeat politice viuere: eo ergo ipso quod rerum possessio deseruit necessitati vitæ, est quodammodo homini naturalis. Secunda via ad inuestigandum hoc idem sumitur ex dignitate humana. eo enim ipso quod homo respectu corporalium & sensibilium est creaturarum dignissima, habet naturale dominium super ipsa: quare naturale est homini quod dominetur istis sensibilibus, & quod possit eis vti in suum obsequium. & quia hoc est quodammodo possidere ea, ideo eorum possessio est ei naturalis. Vnde & Philosop. 1. Politic. vbi probat possessionem talium naturalem esse, ait, quod hominum ad bestias naturaliter est iustum bellum: eo enim quod bestiæ naturaliter homini debent esse subiectæ, & debent ordinari in obsequium eius: si ipsæ refugiant obsequium hominis, homo contra ipsas bellat, tanquam contra ea quibus naturaliter dominabitur. Sicut ergo homo naturaliter dominatur bestijs, sic & natura-

Polit. 1. C. 3. 5.

Polit. 1. Cap. 5.

turaliter dominatur alijs exterioribus rebus. quod non esset, nisi rerum possessio quodammodo naturalis esset. Tertia sumitur ex actione naturæ. nam si in prima generatione natura non deficit animalibus, sed naturaliter præparat eis debitum nutrimentum; congruum est vt non deficiat eis iam perfectis. Si enim digniora sunt perfecta imperfectis, & ipsis imperfectis animalibus præparatur debitum alimentum à natura, multo magis hoc præparabitur eis iam inesse perfectis. Animaliũ aũt quædam ouificant, quædam verò animalificant. In animalibus autẽ facientibus oua, cuiusmodi sunt aues, sic natura ordinauit, ponens in ipsis ouis album & rubeum, ita quod ex albo generatur auis, & rubeũ cedit in nutrimentũ eius. Aui enim existenti infra testam oui, non deficit quin prouiderit ei pro debito nutrimento. Sic etiam animalibus natis per generationem natura non deficit quantum ad nutrimentum, quia statim solicita est inducere lac in mamillis matris, vt ex eo animalia genita nutriri possint. quare si animalibus imperfectis natura præparat nutrimentum & necessaria vitæ, multo magis hoc facit animalibus perfectis. Ideo ait Philosophus primo Polit. quod hæc, idest res à quibus nutrimentum accipimus, datæ sunt nobis à natura. Naturale est ergo nobis habere res exteriores. Habere ergo dominium rerum exteriorum est quodammodo homini naturale: quia natura produxit huiusmodi sensibilia propter hominem. Sumus enim quodammodo nos finis omnium, vt dicitur secundo Physicorum. Qui ergo talibus abrenunciat, & proponit viuere absque dominio exteriorum rerum, non proponit viuere vt homo, sed eligit sibi vitam cælestem, & supra hominem. Sicut nubere, & per generationem producere sibi similia, est homini naturale: nihilominus tamen multi sunt qui volentes vacare maiori bono, connubia renuunt: tales enim (vt superius dicebatur) non viuunt vt homines, nec sunt pars ciuitatis; sed eligunt sibi vitam supra hominem, & dicendi

di sunt hominibus meliores. Naturale est homini ergo, vt homo est, vt vult Philosophus primo Polit, habere possessionem, & dominium aliquarum rerum exteriorum propter sufficientiam vitæ. Natura ergo sicut dedit homini viuere, sic fecit animalia, plãtas, & herbas: vt homo eis dominaretur, & vt possideret ea, & vt susciperet inde debitum nutrimentum, sine quo vita nostra durare non potest.

Quòd vtile est in vita politica quemlibet proprijs gaudere possessionibus. Cap. VI.

FVit opinio Socratis & Platonis, vt recitat Philosophus 2. Polit. quod esset vtile & expediens ciuitati quod ciues proprijs possessionibus non gauderent, sed omnia eis essent communia: immo (quod peius est) ipsas fœminas, & filios voluit esse communes. Dicebat enim Socrates (& Plato eius discipulus fuit secutus ipsum) quod si nullus haberet vxorem propriam, sed quilibet ad quamlibet pro sua voluptate accederet, esset suprema vnitas, & suprema dilectio in ciuitate. tunc enim omnes viri diligerent omnes fœminas tanquã proprias, sic etiã omnes homines diligerent omnes pueros tanquã filios proprios, eo quod nesciret pater quis puer filius suus esset, sed reputaret quẽlibet propriũ filiũ, & diligeret oẽs pueros tanquã natos proprios. sic ergo Socrates & Plato senserunt. Sed in 3. libro, vbi agetur de regimine ciuitatis, hæc opinio diffusius tractabitur. Sufficiat aũt ad præsẽs scire, quid sentiendũ sit de possessione rerũ exteriorũ, prout facit ad regimen & gubernationẽ domus. Si enim homines vt plurimũ non haberent appetitũ corruptũ, & vt in pluribus nõ essent proni ad malũ, expediret ciuitati possessiones cõmunes esse, eo quod bonũ quanto communius, tãto diuinius: omne enim *Polit. 2. cap. 2.*

non bonum

bonum in commune reductum (secundum Boethium) pulchrius elucescit. Rebus tamen stantibus vt nunc, vtile est ciuitati ciues gaudere possessionibus proprijs, eo quod vita ciuilis sit vita cōmunium hominum: homines enim communiter non sunt adeò perfecti, quod essent contenti viuere tali vita. Possumus autem ex diuersis locis in libro Polit. accipere tria, per quæ triplici via venari possumus, quod expedit ciuitati ciues habere proprias possessiones. Prima via sumitur, vt remoueatur inertia & ignauia. Secunda, vt prohibeatur litigium. Tertio, vt tollatur inordinatio & confusio. Prima via sic patet. nam homo adeò diligit seipsum, quòd semper magis solicitus est de bono proprio quam de alio. Videmus enim quod sic est facile possessiones consumere & deuastare, & adeò est difficile laborare & proprio lucro substantiam & possessiones acquirere, quod in ciuitate contingit multos egere & esse pauperes, non obstante quod ciues possunt gaudere possessionibus proprijs, & quod solicitantur circa ea tāquam circa propria bona. Si ergo nullus haberet aliquid proprium, sed omnibus ciuibus essent possessiones communes, quia ciues non sic essent soliciti ad colēdas possessiones communes, sicut sunt soliciti ad proprias, vt plurimū contingeret ciuitatem illam sic ordinatam venire ad inopiam, vt ciues non possent sibi in vita sufficere. aliquid igitur non est vtile simpliciter, quod est vtile in casu. In rebus ergo sic se habentibus, vtile est ciuitati ciues habere possessiones proprias, ne propter ignauiam circa communia, domus ciuium patiantur inopiam. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex remotione litigij. vt plurimum enim consurgunt lites & bella inter participantes aliquid commune: videmus enim ipsos fratres ex eodem patre natos, inter quos secundum Philosophū

Eth. 8. cap. 7. 8. Ethicorum est amicitia naturalis, vt plurimum bellare ad inuicem, eo quod sit eis communis hæreditas: quanto ergo magis esset dissentio inter ipsos ciues, inter quos

non

non est tãta amicitia, si essent eis possessiones communes. Tertia via sumitur ex remotione inordinationis & confusionis. nam secundum Philosophum 2. Politicorum, sic accideret tunc, si ciues non haberent possessiones proprias, sicut accidit, cum aliquid committitur pluribus ministris: cum enim hoc fit, quilibet ministrorum retrahitur, ne faciat quod mandatur, sperans alium implere quod iubetur. propter quod oportet rem illam vel non produci ad effectum, vel confuse & inordinate fieri. vt ergo tollatur confusio & inordinatio circa expedientia ciuitati, vtile est ciues gaudere possessionibus proprijs, vt magis solicite, & magis ordinate, & absque litigio, campi & terræ & alia fructifera excolantur. *Polit. 2. cap. 3.*

Quomodo est vtendum exterioribus rebus: & quis modus viuendi sit licitus. Cap. VII.

PHilosophus primo Politicorum ostendit, quod ex alio & alio vsu exteriorum rerum, consurgit alia & alia vita, siue alius & aliud modus viuendi. Sicut enim videmus in animalibus & bestijs, quod non omnes vtuntur eisdem rebus, nec omnes habent eundem modum viuendi; sic in hominibus habet esse. Nam aliqua animalia viuunt ex herbis, aliqua ex domibus vel fructibus, aliqua vero ex raptu. Diuersi sunt etiam modi viuendi animalium: nam aliqua viuunt (vt ait Philosophus) dispersa, aliqua gregalia idest sociata: quælibet enim sic viuunt, vt expedit ad sufficientiam vitæ, vt melius sibi possint cibum & nutrimentum quærere. Homines etiam diuersimode vtuntur exterioribus rebus, & non eodem modo viuendi viuunt. Distinguunt enim Philosophus primo Politicorum quatuor vitas simplices, vel quatuor modos viuendi, ex quibus combinatis resultant alij modi viuendi, *Polit. 1. cap. 5.*

vel

vel aliæ vitæ. Est enim vita quadruplex, videlicet pascualis, venatiua, piscatiua, & furatiua. Pascualem autem vitã ducunt viuentes ex agricultura, vel ex animalibus domesticis: venatiuam autem, viuentes ex syluestribus: piscatiuam autem, ex piscibus: sed furatiuam vitam ducunt viuentes ex rapina & furto. Contingit autem hos modos viuendi conbinare: quia quidam viuunt pascualiter & venatiue: quidam pascualiter & piscatiue: quidam vero venatiue & furtiue: quidam autem ex omnibus, nam ex pascuis, & piscibus, venationibus, & furtis vitam quærunt. Horum autem modorum modus viuendi furtiuus omnino illicitus est, alij verò modi possunt esse liciti. Viuere enim ex pascuis, vt viuere ex agris, & animalibus domesticis, cuiusmodi sunt oues, & boues & cætera talia, licita sunt: quia natura talia produxit, ordinans ea ad vsum hominis: semper enim imperfecta ordinantur ad perfectiora. vt aqua, & terra, quæ sunt inanimata, ordinantur ad nutrimentum arborum, & plantarum, tanquam imperfecta ad perfectiora: arbores vero, & plantæ, tanquam insensibilia, ordinantur ad nutrimentum animalium sensibilium: omnia autem hæc tam inanimata quam vegetabilia, & sensibilia ordinantur ad nutrimentum & sustentationem hominum. propter quod bene dictum est quod scribitur 1. Polit. quod natura dedit nobis talia, ordinauit enim ea ad vsum & dominium nostrum. licitum est ergo sumere nutrimentum ex agris, & animalibus domesticis. quare vita pascualis est licita. Sic etiam venatiua & piscatiua de se non sunt illicita: quia enim homo naturaliter dominari debet non solum animalibus domesticis, sed etiam bestijs syluestribus, & piscibus; habet contra talia iustum bellum. propter quod Philosophus 1. Politic. vult venatiuam & piscatiuam esse vitas licitas. ait enim, quod hominum ad bestias & ad alia animalia est iustum bellum. per se enim loquendo homines iuste possunt talia facere, & ordinare ea in vsum proprium. Furtiua autem vita per se

Pol. 1. cap. 5.

loquen-

loquendo est illicita, quia hominum ad homines per se non est iustum bellum. Si enim homines aliqui contra alios iustè bellant, hoc quasi per accidens, inquantum illi aliquo modo fore faciunt vel forefecerunt in ipsos. Delinquit ergo homo offendendo hominem: per se tamen loquendo, non delinquit offendendo bestias. Si autem in offensione bestiarum est delictum, hoc est quasi per accidens, inquantum talis offensa redundat in offensam hominis, vt in offensam proprij possessoris. Videtur tamen velle Philosophus, quòd non solum hominis ad bestias, sed etiam hominis ad barbaros sit iustum bellum: homines enim barbari syluestres, quia ab vsu rationis deficiunt, naturaliter debent esse subiecti hominibus pollentibus subtilitate & prudentia. Videtur enim velle, quia sapientes naturaliter debent dominari insipientibus, iustum habere bellum contra ipsos, si eis nolint esse subiecti. Secundum quem modum loquendi, ciues, qui magis uigent pruden tia & intellectu, iustum habent bellum contra rusticos, si recusent subijci illis. Propter quod contra tales recusantes subijci, quos dignum est esse subiectos, secundum sententiam Philosophi sic intellectam, uidetur esse licita prædatiua uita, ut quod licitum esset non solum hos deprædari & accipere sua, sed eos etiam accipere in præda, ex quo recusant facere quod tenentur. Verum quia nulli est iniuria facienda, per se loquendo, vita furatiua uel prædatiua debet illicita iudicari: debet enim quis de proprio uiuere, non de usurpatione alieni. Quia igitur decet ipsos ciues, & multo magis Reges, & Principes uiuere uita uirtuosa; si uolunt domus proprias debite gubernare, decet eos scire quot sunt uitæ, uel quot sunt modi uiuendi, & qui illorum sunt liciti, & qui illiciti: quoniam nullus potest uirtuose uiuere, si possessionibus, uel rebus exterioribus utatur illicitè.

Quòd ciues, & multo magis Reges & Principes non debent infinitas possessiones appetere. Cap. VIII.

COmmuniter videntur delinquere homines circa appetitum possessionum,& circa concupiscentiam diuitiarum ; nunquam enim communiter homines satiantur possessionibus & diuitijs : nam nunquam possunt tot habere, quin plura velint. Assignat autem Philosophus 1. Politicor. duplicem causam, quare concupiscentia diuitiarum est infinita. Prima sumitur ex inordinatione voluntatis. Secunda ex falsa æstimatione finis. Prima via sic patet, nam (vt ipse ait) infinita est diuitiarum concupiscentia, cuius causa, est, studere homines circa viuere, non circa bene viuere. quicunque autem propter ipsum bene viuere diuitias volunt, fruitiones corporales nō infinitas quærunt. bene enim viuere, est viuere virtuose, homines ergo quia non curant viuere virtuose, sed totum studium eorum est, vt viuant secundum corporis voluptatem; cum diuitiæ maxime videantur hoc efficere, vt per eas quilibet consequi possit quod appetit, vt melius homines possint explere quod volunt, diuitijs & possessionibus non satiantur. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex falsa æstimatione finis. nam vt distinguit Philosophus primo Polit. & vt supra in primo libro diffusius diximus, aliter appetitur finis, & aliter ea quæ sūt ad finem. Nam finis appetitur in infinitum: ea vero quæ sunt ad finem, secundum modum & mensuram ipsius finis. Vt si finis medicinæ est sanare, non posset medicus tantam sanitatem inducere, quin (si esset possibile) vellet eam maiorem efficere: medicus ergo sanitatem quasi appetit inducere infinitam, sed potionem appetit dare secundum modum & mensuram sanitatis. communiter ergo homi-

Polit. 1. cap. 6.

homines quia falsam æstimationem habent de fine, & putant ipsum finem in diuitijs esse ponendum, appetunt eas in infinitum. Sed quod ad gubernationem domus pertineat non appetere infinitas possessiones, duplici via venari possumus. Prima sumitur ex similitudine quam habent œconomica & ars gubernatiua domus ad naturam. Secunda, ex similitudine, quam habet ad artes alias. Prima via sic patet. videmus enim naturam non solicitari circa nutrimentum infinitum, sed tantum apponit de nutrimento quantum requirit animal nutriendum, vt si ex albo oui natura generat auem, & ex rubeo eiusdem oui nutrit ipsam, non apponit natura in ouo infinitum rubeũ, sed tantum apponit ibi de eo, quantum sufficiat ad nutrimentum illius auis. Sic etiam si natura ex menstruo facit animal, & ex lacte nutrit ipsum, non apponit in vberibus infinitum lac, sed tantum apponit ibi de eo, quantum sufficiat ad nutrimentum animalis generati. Cum ergo diuitiæ & possessiones ordinentur ad nutrimentum & ad sufficientiam vitæ, sic rubeum in ouo ad nutrimentum auis, & lac in vberibus ad nutrimentum fœtus: si gubernator domus non vult contra naturam agere, sed vult suam domum regere secundum modum & ordinem naturalem, non debet infinitas diuitias & possessiones appetere; sed cum tot habet quot secundum exigentiam sui status bene sufficiant ad gubernationem domus, debet illis esse contentus. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex similitudine quam habet ars gubernationis domus ad artes alias. nam possessiones sunt quædam organa artis gubernationis domus, sicut incus, martellus & cætera huiusmodi, sunt organa artis fabrilis: nulla autem ars, vt ait Philosophus 1. Politicor. habet organa infinita, ergo nec gubernatiua debet quærere infinitas possessiones. Decet igitur omnes ciues & multo magis Reges & Principes esse contentos tantis possessionibus, & diuitijs, quantas requirit exigentia sui status. nam non sa-

tiari

tiari possessionibus & diuitijs (ut patet per habita) uel procedit ex falsa æstimatione finis, uel ex inordinatione uoluptatis. tanto ergo detestabilius est hoc in Regibus, & Principibus quam in alijs, quanto decet habere ordinatiorem uoluptatem, & meliorem æstimationem finis: nã sicut in primo libro dicebatur, detestabilius est in Rege non habere ueram æstimationem de fine quam in populo, eo quod populus à Rege dirigitur, sicut detestabilius est in sagittante non cognoscere signum, quàm in sagitta: eo quod sagitta à sagittante dirigatur.

Quòt sunt species commutationum, & quæ fuit necessitas inuenire denarios. Cap. IX.

Polit. 1. C. 6. SI considerentur dicta Philosophi in 1. Politicor. omnes commutationes quasi ad tria genera reducuntur. Quarum una est commutatio rerum ad res: ut frumenti ad uinum, uel ad ordeum, uel ad alia supplentia indigentiam corporalem. Alia est commutatio rerum ad numismata. Tertia est numismatum ad numismata. ut cum denarij argentei commutantur in aureos, uel econuerso. uel numismata regionis unius commutantur in numismata regionis alterius. Vt ergo sciamus quomodo huiusmodi commutationes oportuit introduci, sciendum quod si non esset nisi communitas domus quæ est communitas prima, nulla commutatio esset necessaria. nam in domo dominatur paterfamilias, cuius est prouidere omnibus existentibus in domo, quare omnis commutatio facta ad subiectionem domus fit à patrefamilias, uel per se uel per procuratores intermedios, nam ipsius patrisfamilias est totam indigentiam subleuare domesticã. sed cum eiusdem ad seipsum non sit nec emptio nec uenditio nec commutatio, bene dictum est quod dicitur

1. Po-

1. Politicorum quòd in prima communitate quæ est domus, manifestum est nullum esse opus ipsius commutationis igitur propter communitates alias est commutatio introducta. Sunt autem aliæ communitates à communitate domus. vt communitas vici, vel ciuitatis, vel totius regni, & prouinciæ, vel etiam diuersorum regnorum, aut diuersarum prouintiarum. Aliquando enim indigentia ad vitam non inueniuntur in toto regno vno, propter quod oportet discurrere aliquos per diuersas mundi partes, & per diuersa regna, & regiones, quærendo aromata & alia quæ requiruntur ad vitam. propter enim diuersum aspectum syderum & planetarum, aliquibus abundant partes calidæ quibus non abundant frigidæ & econuerso. propter quod non solum oportet communicare & conuersari ad inuicem homines vnius vici, vel vnius ciuitatis, aut vnius prouinciæ, sed etiam diuersarum prouinciarum, & regnorum. propter has ergo communitates introductæ sunt illæ tres species commutationum. Nam & si ad communitatem vici, vel ciuitatis, aliquo modo sufficeret cõmutatio rerum ad res: tamen ad communicationem quod habetur in toto regno, oportuit introduci commutationem rerum ad denarios, & econuerso. Rursus si in communicatione totius regni sufficeret commutatio rerum ad denarios, & econuerso: in commutatione tamẽ, quæ est diuersorum regnorum, & prouinciarum, oportuit introduci non solum commutationem rerum ad res, vel rerum ad denarios; sed etiam denariorum ad denarios. Antiquitus enim homines (vt satis innuit Philosophus primo Politicorum) in simplicitate viuentes quasi solum commutabant res ad res. vt si vnus abundabat in vino, & alius in frumento, commutabant vinum ad frumentum, & per huiusmodi cõmutationem subueniebant sibi ad sufficientiam vitæ. qui modus (vt ipse ait) adhuc reseruatur apud multas Barbaras nationes, quæ non habentes denariorum vsum, solum res ipsas commutãt. Hic

autem modus forte in vno vico, vel in vna villa obseruari posset: sed in toto vno regno, vel in tota vna prouincia, si prouincia illa esset magnæ latitudinis, commodè obseruari non potest. Nam vinum, frumentum, & talia, quibus indigemus ad vitam, cum sint magni ponderis, commode ad partes longinquas portari nō possunt. Oportuit ergo inuenire aliquid quod esset portabile, & quod esset pulchrum, & vtile, pro quo inueniri possent victualia. huiusmodi autem maxime est argentum, & aurum, quæ inter cætera metalla sunt pulchriora, & sunt vtilia, & honorabilia: ex eis enim possunt fieri vasa, quæ sunt hominibus vtilia, quibus factis videtur vtens illis esse in honore & gloria. Primitus ergo inuentæ fuerunt commutationes ad metalla solum secundum pondera: vt volentes habere tantū vini, oportebat dare tantum ponderis argenti, vel auri, vel etiā alterius metalli, vt placebat tunc temporis populis & regibus instituere. Sed quia difficile erat in omni emptione vel venditione, semper ponderare metalla, vt ementes & vendentes absoluerentur ab huiusmodi pondere, in ipsis metallis sculptum fuit signū aliquod, vt imago principis, vel aliquod aliud signū publicum, per cuius inspectionem sciretur quanti ponderis, & quāti valoris esset metallū illud. Hoc ergo modo inuentus fuit denarius & numisma, qui est quasi quidam fideiussor noster, pro quo statim secundum ipsius valorem recipere possumus supplentia indigentiā vitę. In toto ergo vno regno ne nimis grauarentur homines cōmorantes in ipso, cum ex vna parte regni oportebat eos accedere ad aliā, portando secū victualia onerosa, inuentus fuit denarius, qui est de facili portatilis: per cuius commutationē victualia inueniuntur. quare cōmutatio rerū ad denarios, & econuerso, forte sufficeret in vno regno, vel in vna prouincia: sed quia in diuersis regnis diuersi dominantur, nec eisdē denarijs vtuntur commorantes in diuersis prouincijs, præter commutationem rerum ad res, & rerum ad numismata, opor

tuit

tuit inuenire commutationẽ numiſmatum ad numiſmata. Patet ergo quot ſunt commutationes, & quomodo sũt inuentæ, & quæ fuit neceſſitas inuenire denarios Decet ergo prudentẽ patremfamilias, & doctum gubernatorem cognoſcere, quomodo ortæ ſunt tales commutationes, & ad quid deſeruiunt, vt cognoſcendo, melius ſciat ſuæ domui prouidere.

Quot ſunt ſpecies pecuniatiuæ, & quæ illarum eſt laudabilis, & quæ vituperabilis. *Cap. X.*

Conuenienter poſt tractatum de poſſeſſionibus tractatur de numiſmatibus, nã habere poſſeſſiones & abũdare vino & frumento, eſt abundare in diuitijs naturalibus: ſed abundare in denarijs & numiſmatibus, vt patet per Philoſ. 1. Pol. eſt abundare in diuitijs artificialibus. Si ergo ars naturam præſupponit, & vbi deſinit operatio naturæ ibi incipit operatio artis, congrue poſt tractatum de poſſeſſionibus, ex quibus oriuntur diuitiæ naturales, annectitur tractatur de numiſmatibus, quæ ſunt diuitiæ artificiales. Quare ſi poſt poſſeſſiones determinandum eſt de numiſmatibus: poſtquã diximus quæ fuit neceſſitas inuenire numiſmata & pecuniam, reſtat dicere, quot ſunt ſpecies pecuniatiuæ. Diſtinguit autem Philoſ. in Poli. quatuor ſpecies pecuniatiuæ. videlicet naturalem, campſoriã, oboloſtaticam, & tacos ſiue vſuram: his enim quatuor modis poſſideri conſueuit multitudo pecuniæ. Prima ergo ſpecies ipſius pecuniatiuæ dicitur eſſe quaſi naturalis: quæ fit ex eo quod res naturales commutantur in pecuniam. Si quis ergo abundans in vino & frumento, quæ naturaliter producuntur, ex eis pecuniam ſuſciperet, talis pecuniatiua quaſi naturalis diceretur, quia à rebus naturalibus inciperet. Secunda ſpecies pecuniatiuæ dicitur eſſe campſo-

Polit. 1. Cap. 6.

ria. hæc enim (secundum Philosophum 1. Politicorum) forte primitus casu & simpliciter inuenta fuit, sed deinde per experientiam iam est artificialis effecta. quodlibet enim numisma (per se loquendo) plus valet in propria regione. accidit ergo forte aliquos habere aliqua numismata, quæ non multum appretiabantur in regione sua, eo quod non esset propria regioni illi. illis ergo casu euntibus ad regiones illas, quibus illa numismata erant propria, & portantibus numismata illa, accidit eos plus recipere pro numismatibus illis, quam in partibus proprijs: propter quod casu campsoria vsi sunt. Sed ex hoc casu ars sumpsit originem, vt posteà homines artificialiter considerarent quæ numismata in quibus partibus expendũtur, vt postea campsoria artificialiter effecta, esset causa lucrandi pecuniam. Hæc enim pecuniatiua, naturalis dici non debet; quia nec à rebus naturalibus incipit, nec ad naturalia terminatur. Sed in ea (secundum Philosophum primo Politicorum) denarius est elementum & terminus, idest principium & finis. Incipit enim hæc ars a denario, quem dat; & terminatur ad denarium, quem recipit. quare ibi denarius, finis, & principium dici debet. Tertia species pecuniatiuæ est obolostatica, vel ponderis excessiua: quæ forte sic inuenta fuit. Nam sicut massa metalli in denarios diuiditur, & imprimitur ibi signum publicum; sic aliquando aliqua necessitate interueniente, vt propter vasa fienda, vel propter aliquid aliud, denarij resoluuntur in massam. Accidit ergo forte ex totidem denarijs numero, confici massam maioris ponderis: ex quo casu ars sumpsit originem, vt omnes denarij ponderarentur, & qui essent maioris ponderis resoluerentur in massam, vt ex hoc lucrum haberi posset. ars ergo ista obolostatica, siue ponderis excessiua, ex excessu ponderis, qui inuenitur in denarijs sumpsit originem. Quarta species pecuniatiuæ dicitur esse tachos, quod in latino idem sonat quod partus. Videtur enim hæc ars parere & generare denarios, quam nos

com-

communi nomine appellamus vsuram: nunquam enim aliqua crescunt in se ipsis, nisi per partum, vel per generationem. vt si aliquis habet decem oues, postea in capite anni habeat viginti, hoc est, quia oues illæ generauerunt, & pepererunt. Si quis ergo ex decem denarijs post aliquod tempus vult habere duodecim quod facit pecuniatiua vsuraria, vt plane patet, vult quod denarij illi pariant & generent. rectè ergo vsura vocata est quasi denariorum partus. Harum autem quatuor species secundum Philosophum in Polit. sola prima, quæ est quasi œconomica & naturaliter, est laudabilis. Aliæ vero tres (secundum ipsũ) meritò vituperantur. nam omnis ars quæ à denarijs incipit, & ad denarios terminatur, quasi videtur in denarijs finem ponere. cãpsoria igitur, obolostatica, & vsura, quia quasi totaliter in pecunijs existunt, quia à pecunia incipiunt, & ad pecuniam terminantur, uituperandæ sunt secundum Philosophum: nimis enim videtur esse denariorum cupidus, cuius actiones à denarijs incipiunt, & in denarios terminantur. Quicquid tamen sit de campsoria, & obolostatica: vsura tamen est simpliciter & in omnibus detestanda, vt in sequenti capitulo apparebit. Vsuras enim nemo exercere debet: campsoria autem, & obolostatica & si mercatoribus, vel aliquibus alijs permittuntur regibus tamen & principibus quod decet esse quasi semideos, exercere non congruit. Nam primã speciem pecuniatiuæ, quæ est œconomica & quasi naturalis, decet. Decet enim ipsos abundare in possessionibus & in redditibus, ex quorum fructu pro defensione regni & alijs necessarijs possunt abundare pecunia.

Quòd vſura eſt ſimpliciter deteſtabilis, & quòd eam decet Reges, & Principes prohibere. Cap. XI.

QVarta ſpecies pecuniatiuæ, quam Philoſophus appellat tachos, ſicut duplici nomine nominatur, ſic duplici via inueſtigare poſſumus eam deteſtabilem eſſe. Vocatur enim primo denariorum partus, ex quo nomine
Pol. 1. arguit Philoſophus 1. Polit. eam contra naturam eſſe. Nã parere, & generare, & multiplicari in ſeipſis, eſt proprium naturalibus, & eſt contra naturam artificialium. Scrinia enim & arcæ quia ſunt artificialia, quantumcunq; ſimul exiſtant, nunquam ſe ipſas multiplicant. Animalia vero quia ſunt res naturales, ſimul manẽtia generant, & pariũt, & ſe ipſa auget. Volens igitur denarios ipſos in ſe ipſis multiplicari, vt quod decem poſt lapſum temporis fiant viginti, vult quod artificialia ſeipſa multiplicent: & quia hoc eſt contra naturam artificialiũ, cum denarius ſit quid
Polit. 1. artificiale, bene dictum eſt quod dicitur 1. Poli. vſurã eſſe quid deteſtabile & contra naturam. Secundo huiuſmodi pecuniatiuam poſſumus oſtendere deteſtabilem eſſe ex alio nomine quo nominatur, vt quia dicitur vſura, quod quaſi idem eſt quod rapina vſus. In vſura enim vſus rapitur & vſurpatur, uel idem uenditur bis, uel uenditur ibi uſus qui non eſt ſuus. Ad cuius euidentiam ſciendum, quod licet aliud ſit res, aliud uſus rei, ut aliud eſt domus, & aliud inhabitare ipſam: in aliquibus tamen nunquam conceſſio uſus ſeparari poteſt à conceſſione ſubſtantiæ. in quibuſcunq; igitur poteſt concedi uſus rei abſque eo quod concedatur eius ſubſtantia, poteſt inde accipi penſio, dato quod res illa in nullo deterioraretur. Sed ſi non poteſt concedi vſus abſque conceſſione ſubſtantiæ, quantum ad talem uſum non eſt penſio aliqua accipienda;

da; quia si accipiatur, erit ibi usura, id est, rapina usus. Cum ergo usus ipsius domus sit domum inhabitare, non domum alienare; possessor domorum potest concedere usum domus ut inhabitationem absque eo quod concedat substantiam eius: & quia cuius est substantia, eius est usus: quandiu substantia est ipsius, usus pertinet ad ipsum. Vendens ergo quod suum est, & quod pertinet ad ipsum, licite potest, & nulli iniuriatur. nihil ergo rapit, & nihil usurpat, si retinens sibi dominium domus, uendit inhabitationem, & usum eius. In denarijs autem non sic. nam usus proprius denariorum, est expendere & alienare denarios. nunquam ergo potest concedi usus proprius denarij, nisi concedatur eius substantia: cum ad talem usum oporteat ipsam substantiam alienare. quia ergo accidens à substantia dependet, & usus ex ipsa re sumit originem, bene dictum est, quod cuius est substantia, eius est usus. Volens ergo accipere pensionem de usu denariorum, dicitur committere usuram, uel dicitur usurpare, & rapere ipsum usum: quia concedendo usum denarij, concedit substantiam eius: concedendo uero substantiam, nõ ulterius spectat ad ipsum usus eius. quare si de usu pensionẽ accipiat, uendit quod non est suum, uel accipit pensionem de eo quod non spectat ad ipsum, cum non ulterius spectet ad eum usus denarij, ex quo eius substantiam iam concessit. Aduertendum tamen quod (ut ait Philos. 1. Politicorum) quasi cuiuslibet rei est duplex usus, unus proprius, & alius non proprius. Vsus proprius denarij, est ipsum commutare, uel expendere, & alienare. Vsus uero non proprius, est apparere: multi enim ostẽdunt denarios suos non ad expendendum, sed ad apparendum & ut uideantur diuites. Sic etiam usus proprius domus, est inhabitare, usus non proprius, est ipsam uendere, uel commutare: multi enim domos fabricant non ad inhabitandum, sed ad uendendum. De omni autem usu, siue sit proprius, siue non proprius, potest accipi pensio, si usus ille

concedi posset absque concessione substantiæ. Propter quod plane patet, econtrario esse de denarijs, & de alijs rebus. Nam de vsu proprio denariorum non potest accipi pẽsio absque vsura: quia talis vsus concedi non potest absque concessione substantiæ. Sed de vsu non proprio, potest. vt si quis vellet numismata nõ ad expẽdendum, sed ad apparendum: quod forte multotiens mercatores faciunt, qui vt appareant diuites, & vt alij citius apud eos deponant pecuniam, habent coram se multitudinem pecuniæ cum ergo quis possit concedere denarios ad talem vsum videlicet ad apparendum absque eo quod concedat substantiam eorum, si hoc modo de denarijs pensionem acciperet, forte aliter peccaret, vsuram tamen non committeret. In rebus autem alijs vt plurimum contingit econtrario, vt in vsu proprio non committitur vsura. nam quia inhabitatio, quæ est proprius vsus domus, concedi potest absque concessione substantiæ eius; si de hoc pensio accipiatur, nulla vsura committitur. Si quis domum venderet vel commutaret; quod non est proprius vsus eius, dato quod non statim pecuniam acciperet, si propter vsum domus vellet vlteriorem pecuniam accipere, vsuram committeret: quia iam vsus non spectaret ad ipsum, postquam per venditionem concessisset eius substantiam. Omnino ergo vsura, quia ibi venditur vsus, qui non spectat ad creditorem, contra naturam est. Decet ergo Reges & Principes, si volunt naturaliter Dominari, prohibere vsuras, ne fiãt eo quod iuri naturali contradicant.

Quod

Quod diuersi sunt modi lucrandi pecuniam, & quod aliqui illorum modorum sunt Regibus & Principibus congruentes. Cap. XII.

CIrca finem primi Polit. distinguit Philosophus diuersos modos, quibus numismata acquiruntur. Contingit enim hoc fieri quasi quinque vijs. Quarum vna dicitur possessoria. Secunda mercatiua. Tertia mercenaria vel conducta. Quarta experimentalis. Quinta artificia. Via autem possessoria acquiritur pecunia, quando quis possessionibus abundans, ex fructibus earum pecuniam acquirit. Decet enim (secundum Philosophum) œconomicum & dispensatorem domus esse expertum circa possessiones, sciendo quæ sunt magis fructiferæ, & ex quibus potest melius subueniri indigentiæ corporali domesticæ siue gubernationi domus. Hoc autem fieri contingit, si sciatur quæ in quibus partibus abundant, vt quis illis animalibus abundet, quæ in partibus illis in quibus existit melius conseruantur. hæc autem quomodo sciri possint, & qualiter circa possessiones quis se habere debeat, vt qualiter aues, & animalia quadrupedia conseruentur, & quæ terra magis valeat pro agricultura: quæ magis ad vinearum plantationem, & qualis cura circa arbores sit gerenda, disposuimus silentio pertransire, eo quod alij de talibus sufficienter tradidisse videntur. Palladius enim multa huiusmodi enarrauit. Secunda via vtilis ad pecuniam acquirendam, dicitur esse mercatiua, cum quis per mare aut per terram defert mercationes aliquas, vel assistit deferentibus mercationes ipsas. Diuiditur autem (secundum Philosophum) mercatoria in tres partes, in nauclariam quæ fit per mare: & ponderis portatiuam quæ fit per terram: & as-

& assistricem. Tertia via acquirendi pecuniam, dicitur esse mercenaria vel conducta: vt cum quis spe mercedis, vel precio conductus aliqua operatur. Quarta via dicitur: experimentalis: experimentum enim particularium est. cum ergo quis nouit particularia facta aliquorum, quibus pecuniam sunt lucrati, dicitur scire lucratiuā experimentalem. Recitat enim Philosophus duo particularia gesta, quibus fuit pecunia acquisita. Primum est, quod fecit Thales Milesius vnus de septem sapientibus, qui primo philosophari cœperunt. Ipse enim cum esset pauper, & improperaretur sibi à multis cur philosopharetur, & ad quid valeret Philosophia sua, cum semper in egestate viueret. ipse non denariorum cupidus, sed vt ostenderet quod facile esset Philosophis ditari, si circa talia curam gererent; vidit per astronomiam, futuram esse magnam copiam oliuarum: & ab omnibus incolis regionis illius emit tantum oleum, quod recollecturi erant in anno futuro. Mutuata ergo pecunia, & data arra bona pro futuro oleo: tum quia nullus poterat vendere oleum, nisi ipse: tum quia etiā erat magna copia olei, lucratus est pecuniam multam, & ostēdit quod facile erat Philosophis ditari. Secundum particulare gestum, quod recitat idem Phil. est de quodam Siculo, qui emit totum ferrum nundinarum: & quia ipse solus vendebat, lucrabatur pecuniam vt volebat. Inter cætera autem augentia diuitias (secundum Philos.) est facere monopoliam, idest facere venditionem vnius. nam quia vnus solus vendit, taxat precium pro suæ voluntatis arbitrio. volentem ergo pecuniam acquirere, oportet hæc & similia particularia gesta, per quæ aliqui pecuniam sunt lucrati, habere in memoria: vt si occurreret oportunitas, per similia gesta, dum tamen illa sint licita, pecuniam lucraretur. Quinta via dicitur esse artifica, quando quis per artem suam aliqua exerceret, propter quæ pecuniam lucratur. nam licet finis artis militaris sit victoria, medicinalis sit sanitas: singulæ tamen artes quasi ad pecuniam ordinantur,

Phil. recitat de Thal. Miles. cap. 7.

dinantur, cum ex opere vel ex arte facto pecuniam intendunt. Medici enim, fabri, domificatores, & etiam ipsi milites, cùm stipendiarij fiunt, pecuniam intendunt. Decet ergo quemlibet secundum vitam politicam volentem prouidere indigentiæ domesticæ, habere curam de acquisitione pecuniæ, secundum quod exigit suus status: Apud Reges autem, & Principes inter vias tactas solæ duæ viæ videntur esse vtiles. videlicet possessoria, & experimentalis. Decet enim eos, vel per se, vel per alios esse expertos, sciendo particulares conditiones regni, & gesta particularia prædecessorum suorum, secundum quæ licitè pecuniam acquirebant. Debent enim conseruare laudabiles consuetudines regni, secundum quas capiant licitos redditus, non vsurpando aliorum bona. Consideratio ergo gestorum particularium, & consuetudinum approbatarum, & via experimentalis; vtilis est Regibus & Principibus in acquisitione pecuniæ. Sic etiam vtilis est via possessionalis non solum in possessionibus immobilibus, cuiusmodi sunt agri, & vineæ, & cætera huiusmodi: sed etiam in possessionibus mobilibus. Decet enim ipsos pollere multitudine bestiarum, & etiam auium, per quæ satisfaciant indigentiæ vitæ. Vidimus enim Federicum Imperatorem, qui tantæ sapientiæ secularis prædicabatur, habuisse massaritias multas. non obstante enim quod terræ fertilissimæ dominabatur, vbi victualia modici precij existebant; nihilominus quasi tamen semper ex proprijs alimenta carnium volebat assumere, & hoc tam in bestijs, quam etiam in volucribus. Hoc enim decet Reges, & Principes, vt alijs existentibus in regno exempla præbeant, & vt non videantur viuere quasi aduenæ, & peregrini. Qui enim singula alimenta pecunia emit, magis viuit vt aduena, quam vt ciuis. Quare decet Reges, & Principes habere homines industres tam super cultura agrorum & vinearum, quam etiam super armentis bonum & super multitudinem ouium, & aliorum animalium

lium deseruientium ad indigentiam vitæ, non solum quadrupedium sed etiam volucrum: sicut alicubi consuetudo est habere multitudinem columbarum vel aliarum auium, ex quibus domestica alimenta sumuntur Sic etiã, vt Philosophus in Polit. ait, insistendum est circa apum culturam, si partes illæ aptæ essent ad talem cultum: ex apibus enim in partibus conuenientibus colligitur multus fructus cum paruis expensis. Vt ergo sit ad vnum dicere, semper vita ciuilis apud volentes politice viuere melior est vita peregrina: & habere alimenta ex proprijs, laudabilius est, quam singula pecunia emere.

Quod aliqui sunt naturaliter serui, & quod expedit aliquibus alijs esse subiectos. Cap. XIII.

Dicebatur supra in hac tertia parte huius secundi libri, de quatuor esse dicendum. videlicet de ædificijs, possessionibus, numismatibus, & ministris siue seruis. Expeditis ergo tribus, restat exequi de quarto, vt de seruis. Ostendemus enim primo seruitutem aliquam naturalem esse, & quod naturaliter expedit aliquibus alijs esse subiectos. quod probat Philosophus primo Polit. quadruplici via, sumpta ex quadruplici similitudine. Prima via sumitur ex similitudine reperta in rebus inanimatis. Secunda ex partibus eiusdem animalis. Tertia ex diuersis speciebus animalium Quarta ex diuersitate sexuum in specie humana. Prima via sic patet. Nam numquam aliqua multa secundum debitum ordinem efficiunt aliquid vnum, nisi sit ibi aliquid prædominans respectu aliorũ: vt si plures voces efficiunt aliquam harmoniam, oportet ibi dare aliquam vocem prædominantem, secundum

quam

quam tota harmonia dijudicatur. Sic etiam si plura elementa concurrunt ad constitutionem eiusdem corporis mixti, oportet aliquod elementum prædominans, secundum quod illi mixto competat debitus motus aut debitus situs. Inde est ergo quod in omnibus mixtis dominatur terra: quia omnia talia sunt grauia, & naturaliter deorsum tendunt. Quare si sic est in rebus inanimatis quod nunquam aliqua plura constituunt naturaliter aliquid vnum, nisi ibi naturaliter aliud sit prædominans: cũ societas hominum sit naturalis, quia homo est naturaliter animal sociale, vt superius diffusius probabatur, numquã ex pluribus hominibus fieret naturaliter vna societas vel vna politia, nisi naturale esset aliquos principari & aliquos seruire. Sunt ergo aliqui naturaliter domini, & aliqui naturaliter serui. Secunda via ad inuestigandum hoc idem sumitur ex his quæ videmus in partibus eiusdem animalis: quodlibet enim animal tanquam in partes naturales diuiditur in corpus & animam: vbi anima est quasi dominans, & corpus est quasi obsequens & obediens. Corpus enim non posset seipsum dirigere ad operationes debitas, sed dirigitur ad huiusmodi opera per virtutem animæ: cum ergo multi hominum comparentur ad alios quasi corpus ad animam, sequitur eos esse naturaliter seruos. Sunt enim aliqui carentes prudentia & intellectu, non valentes se dirigere ad operationes debitas. expedit ergo eis, vt dirigantur ab aliis, & vt aliis sint subiecti. Sicut ergo in homine virtuoso, & bene disposito, anima dominatur, & corpus obedit: sic in politia bene ordinata sapientes debent dominari, & insipientes obedire: quia hi comparantur ad alios quasi corpus ad animam, & quasi organum ad artificem. Contingit tamen aliquando magis dominari ignorantes, quam sapientes. Sed hoc accidit ex peruersitate politiæ: nam sicut in homine pestilente, & habente animã peruersam, corpus & sensualitas dominatur magis quam

anima vel ratio: ſic in politijs peſtilentibus, & corruptis magis dominantur ignorantes, quam ſapientes. Tertia via ſumitur ex diuerſis ſpeciebus animalium, vt ex homine reſpectu aliorum animalium: homo enim (vt ſupra dicebatur) nãliter dominatur beſtijs. Videmus .n. multas beſtias domeſticas, vt canes, & equos in multis conſequi ſalutem propter prudentiam hominum, quam ex propria induſtria conſequi non poſſent. Expedit ergo eis, & naturale eſt ipſis ſubijci homini; eo quod per hominum prudentiam diriguntur & ſaluantur. Quare cum inſipientes comparentur ad induſtres ſicut beſtiæ ad homines, eo quod carentes prudentia neſciant ſeipſos dirigere: ſicut naturale eſt beſtias ſeruire hominibus, ſic naturale eſt ignorantes ſubijci prudentibus expedit enim eis ſic eſſe ſubiectos, vt per eorum induſtriam dirigantur & ſaluentur. Quarta via ſumitur ex diuerſitate ſexum, vel ex compaſſione virorum ad fœminas. Videmus enim virum, eo quod ſit ratione preſtantior, naturaliter dominari fœminæ, de qua dicitur primo Politicorum quod habet conſilium inualidum: cum ergo videamus aliquos homines reſpectu aliorum plus deficere à rationis vſu quam fœminæ à viris, ſequitur eos naturaliter eſſe ſubiectos. Quare ſeruitus eſt aliquo modo quid naturale, & naturaliter expedit ſocietati humanæ aliquos ſeruire, & aliquos principari, vt in principio capituli dicebatur.

Quod

Quòd præter seruitutem naturalem, quæ est quasi seruitus simpliciter, est dare seruitutem legalem & positiuam. Cap. XIV.

SIcut præter ius naturale propter commune bonum oportuit dare leges aliquas positiuas, secundum quas regentur regna & ciuitates: sic visum fuit conditoribus legum, quod præter seruitutem naturalem, secundum quam ignorantes debent seruire sapientibus, esset dare seruitutem legalem, & quasi positiuam, secundum quam debiles & victi seruirent victoribus & potentibus. Est enim iustum legale, vt recitat Philosophus 1. Politicorum superatos in bello seruire superantibus. Videtur autem huiusmodi iustum, quod (secundum Philosophum) est secundum quid & positiuum, triplicem congruitatem habere. Quarum prima sumitur ex conditoribus legum. Secunda ex defensione patriæ. Tertia ex salute debellatorum. Prima congruitas sic patet: oportet enim dominans (vt dicitur in Politic.) habere aliquem excessum respectu serui. Huiusmodi autem excessus dupliciter esse potest, vel secundum animam, vel secundum corpus. nam homo quilibet naturaliter ex his duabus partibus est cōpositus. Excessus autem secundum bona animæ, est quasi excessus simpliciter, eo quod illa bona simpliciter dici possunt. Excessus vero secundum bona corporis respectu illius, est quasi secundum quid, eo quod huiusmodi bona non sunt tanta sicut bona animæ, & deficiunt à bonis illis. propter quod bene dictum est, quod dicitur 1. Politicor. quod si debemus aliquos digne dominari quia excedunt in bonis corporis, vt quia sunt pulchri & fortes; multo iustius est hic diffiniri in anima, vt dicamus aliquos dominari, quia excedunt in bonis animæ: nam anima est præ-

Pol. 1. cap. 4.

Polit. 1. cap. 4.

stantior

ſtantior corpore. Sapientia ergo & bonitas, quæ ſunt bona animæ, reddunt dominiũ naturale & ſimpliciter: eſt enim dignũ naturaliter & ſimpliciter ſapientes & bonos dominari ignorantibus & peruerſis. Sed ciuilis potentia & fortitudo corporis, quæ ſunt bona corporalia & exteriora, nõ faciunt dominium ſimpliciter naturale, ſed magis faciũt ipſum legale & poſitiuum. Quod enim ſuperans in bonis corporis, vt in fortitudine, vel in ciuili potentia, dominetur ijs quos debellauit, non eſt iuſtum naturale, ſed ſecundum promulgationẽ legis. Videtur tamen huiuſmodi iuſtũm aliquo modo eſſe congruum, ſi conſiderẽtur legum conditores. Nam cũ legum latores ſint homines, quibus magis ſunt nota bona corporis & exteriora, quam animæ & interiora: vt lex daret iudiciũ de aliquo certo, viſũ fuit legum latoribus, vt ſuperãtes in bello cõgrue dominarentur alijs ſuperatis, eo quod talis exceſſus notior ſit quam alius. Vnde & Philoſophus ait, Iuſtius eſſe diffiniri dominiũ ſecundũ bona animæ, quã ſecundũ bona corporis: ſed (vt ait) non ſimiliter eſſe facile, videre pulchritudinẽ animæ, & corporis. Secũda congruitas ſumitur ex defenſione patriæ: nam vt homines fortiter bellarẽt pro defenſione proprie ciuitatis & regni, in fauorẽ cõis boni & defenſionis patriæ inductum eſt, vt ſuperantes in bello dominentur ſuperatis. propter quod decet virtuoſos & ſapientes & bonos non reſiſtere ordinationi legali: quia cõe bonum bono priuato eſt præponendũ. Tertia congruitas ſumitur ex ſalute debellatorum: nam propter hanc legem multotiẽs ſuperati in bello ſaluantur: homines enim alios debellãtes promiores eſſent ad homicidiũ, ſi ſcirent ſe ex eis nullam vtilitatem conſecuturos; ſed cum cogitãt eos acquirere in ſeruos, reſeruant ipſos propter vtilitatem quam inde conſequi ſperant. Vnde ſeruus ſecundum vnã etymologiam dicitur à ſeruando: quia tales à victoribus reſeruantur in bello; & non occiduntur, vt poſſint ipſos poſſidere quaſi ſeruos & ancillantes.

Quòd præter seruitutem & ministrationem naturalem, & legalem, est dare ministrationem adductam, & dilectiuam. Cap. XV.

POssumus dicere quatuor esse maneries ministrorum. Nam aliqui sunt tales naturaliter, aliqui vero ex lege, aliqui ex conducto, aliqui quidem ex virtute & dilectione. omnis ergo minister vel est barbarus, vel impotés, vel mercenarius, vel virtuosus & dilectiuus. Barbari enim dicuntur illi, qui sunt quasi syluestres, & nesciunt seipsos dirigere: propter quod tales contingit esse naturaliter seruos, vt est per habita manifestum. Deficiunt enim in bonis animæ, secundum quorum excessum contingit aliquos naturaliter dominari. Impotentes vero contingit esse ministros ex lege: vt si qui in potentia deficientes, & non valentes debellantibus resistere, ex promulgatione legis debent eis seruire & ministrare. Mercenarios vero contingit esse ministros ex conducto. ille enim mercenarius dicitur, qui principaliter mercedem intendens, obsequitur ei, à quo mercedem expectat. Sed boni & virtuosi sunt ministri ex virtute & dilectione. licet enim dignus sit operarius mercede sua, & non sit congruum aliquem proprij stipendijs militare. principaliter tamen in ministerio debet quis intendere bonum: si aût intendat ibi mercedem aliquam temporalem, hoc debet esse ex consequenti. Oportuit autem dare ministrationem conductam & dilectiuam præter ministrationem naturalem & secundum legem. nam quia est in nobis corruptio appetitus, & non semper reseruamus ordiné naturalé, vt plurimû principatus sunt peruersi: nam ignoratis priuatim bonis animæ, nô acquiescût ministrare & seruire pollétibus prudétia & intellectu. Rursus, quia côtingit aliquâdo plures etiâ

ex nobili genere ortos toto tempore vitæ suæ non agere aliquod iustum bellũ, vt ex eo possent acquirere aliquos ancillantes & seruos: ne ergo tales omnino priuentur ministris, ad supplendum indigẽtiam domesticam oportuit esse aliquos ministros conductos seruientes intuitu mercedis, & aliquos dilectiuos virtuosos ministrãtes ex amore boni. ad hos autem ministros quos virtus & amor boni inclinat ad seruiendum, decet principantes se habere quasi ad filios, & decet eos regere non regimine seruili, sed magis quasi paternali & regali. Possumus autem duplici via ostendere, tales ministros (si quos esse contingat) magis honorandos, & præmiandos, quam cæteros. Prima via sumitur ex dignitate ipsorum ministrantium. Secunda ex vnitate & propinquitate, quã habent ad principantem. Prima via sic patet. nam dignioribus semper sunt ampliora beneficia tribuenda: cum ergo virtuosus seruiens ex amore honesti, & ex dilectione boni, dignior sit mercenario, qui principaliter seruit ex conducto & ex mercede, & dignior sit seruiente non amore honesti sed quia est superatus in bello, & omnino sit melior Barbaro qui ministrat, eo quod nesciat seipsum dirigere & deficiat à rationis vsu: ex ipsa dignitate ministrantium patet huiusmodi ministros à principante esse magis honorandos & præmiandos. Secunda via ad ostendendum hoc idem, sumitur ex vnitate & propinquitate, quam habent huiusmodi ministri ad principantem. Dignum est enim vt partes propinquiores fonti plus profundantur aqua: quare si omnis amor quandam virtutem vnitiuam & coniunctiuam habere dicitur, vt vult Dionysius 4. de Diuinis nominibus ministrantes Principi non ex mercede principaliter, sed ex amore, magis secundum voluntatem coniuncti sunt ei, quam alij. quare dignum est ipsos plus de influentia recipere, & amplius honorari, & præmiari à principante.

Dion. 6. de Diu. nomin.

Quòd

Quòd in domibus Regum & Principum sunt ipsis ministris officia committenda. Cap. XVI.

CVm in domibus Regum & Principum ministris officia dispensantur, vt aliqui præsint mensis, aliqui multitudini equorum, aliqui vero alijs rebus prout requirit modus domesticus: quantum ad præsens spectat, tria sunt attendenda, videlicet ordo ministrandi, facilitas exequendi, & conditio ministrantium. Primo enim attendenda sunt officia domestica sic esse committenda ministris, vt reseruetur ibi debitus ordo ministrandi: quod maxime fieri contingit, si nunquam officium aliquod committatur ministris pluribus nisi illi plures sint sub aliquo vno, cuius quasi architectoris sit principaliter intendere circa officium commissum. Ratio autem assignatur 2. Polit, vbi dicitur, quod aliquando deterius seruiunt multi ministrantes quam pauci. Nam cum multis idem ministerium committitur; sæpe illud negligitur: nam sæpe quilibet ministrantium huiusmodi ministerium negligit, credens quod alius exequatur illud: vbicunque enim est multitudo, ibi est confusio, nisi multitudo illa reducatur ad aliquid vnum. Sicut videmus in Vniuerso, quod ipsum est maxime ordinatum, eo quod multitudo entium existentium in ipso, reducatur in vnum primum ens, vt in vnum Deum, à quo omnia ordinantur. Sic quælibet multitudo, si debet esse ordinata, oportet reduci in vnum aliquem, à quo ordinetur. Quare si multis ministris committitur officium aliquod, ne illud negligatur, & ne fiat confuse & inordinate, præficiendus est vnus architector ministris illis, cuius sit solicitare & ordinare illos. Est autem hoc documentum maxime necessarium in gubernatione domorum regalium, vbi propter magnitudinem officiorum *Polit. 2. cap. 2.*

oportet idem ministerium committi ministris multis, eo quod vnus non sufficeret exequi opus illud. Est igitur in commissione officiorum attendendus ordo ministrandi. Secundo debet ibi attendi facilitas exequēdi. quod maxime fieri contingit, si eidem non committantur officia plura & diuersa. Ratio autem huius haberi potest ex ijs quæ dicuntur 4. Polit. Debemus enim sic imaginari quod sicut se habet magna ciuitas paruā, sic se habet magna domus ad paruam. In magna enim ciuitate non sunt congreganda officia & principatus, ita quod eidē committantur diuersa officia, vel diuersi magistratus: quia in ciuitate magna officia & principatus tantam curam habent annexā, vt eadē persona sufficere non posset ad faciliter exequendum officia multa. Sed in parua ciuitate vel in parua villa, vbi propter habitantium paucitatem non multi possūt præsidere in officijs & vbi officia commissa non magnam curam habent annexam, congregari possunt officia & magistratus, ita quod eidem diuersa officia committantur. Quod ergo dictum est de ciuitate parua & magna, intelligendum est de parua & magna domo. In domo enim parua, vbi pauci sunt ministri, & vbi officia modicam curam habent, non est inconueniens plura officia committi eidem: posset enim domus esse adeò modica, quod (& faciliter) idem posset esse totus minister mensæ, & custos portæ. Sed in domibus Regum & Principum, vbi est multitudo ministrantium, & vbi officia maximam curam habent, sunt omnino officia particulanda, & distinguenda, & non sunt plura committenda eidem, ne impediatur facilitas exequendi. Tertio in commissione officiorum consideranda est conditio ministrantium. Communiter enim ministri in duobus consueuerunt deficere: nam aliqui male exequuntur opus iniunctum, quia sunt decipientes, & defraudantes iura legalia: aliqui vero male consequuntur ipsum, sed non ex malitia voluntatis, quia ipsi de se bonum volunt, sed hoc contingit ex hebetudine intellectus,

Polit. 4. C. 15.

sunt

ſunt enim hebetes & imprudentes: propter quod licet ipſi non decipiant nec fraudent, decipiuntur tamẽ & defraudantur. Conditio ergo miniſtrantium eſſe debet, vt ſint fideles, & prudentes: fideles quidem quantùm ad rectitudinem voluntatis, ne fraudent: prudentes vero quantum ad induſtriam intellectus, ne per inſipientiam defraudentur. Fidelitas autem cognoſci habet per diuturnitatem: ipſum enim cor hominis videre non poſſumus; ſed ſi per diuturna tempora, & in diuerſis officijs commiſſis fideliter ſe geſſit, fidelis eſt iudicandus. Prudentia vero cognoſci habet per ea quæ diximus in primo libro: vt ſi aliquis ſit memor, prouidus, cautus, & circumſpectus, & alia quæ ibi diximus; prudens eſt reputandus: & ſecundum magis & minus, prout magis & minus participat de conditionibus illis.

Quomodo à Regibus & Principibus prouidenda ſunt indumenta miniſtris. Cap. XVII.

QVia maxime apparet Regis prudentia, ſi ſuam familiam debito modo gubernet, & ſi ei debite & ordinate neceſſaria tribuat: & quia debita prouiſio maxime videtur facere ad honoris ſtatum; vt * inſtruantur Reges, & Principes, qualiter circa hoc ſe habeant honorifice & prudenter: videndum eſt qualiter ſunt exhibenda indumenta miniſtris. Ad cuius euidentiam ſciendum quod circa hoc (quantum ad præſens ſpectat) quinq; ſunt attendenda. videlicet regis magnificentia, vniformitas miniſtrantium, conditio perſonarum, conſuetudo patriæ, & congruentia temporum. Cum enim deceat Regem eſſe magnificum, vt ſupra in primo libro diffuſius probabatur, decet ipſum erga ſuos miniſtros decenter ſe habere in apparatu debito, & in debitis indumentis. Nam

* intimatur.

licet non ad inanem gloriam, nec ad ostentationem talia sint fienda: tamen vt Reges & Principes conseruent se in statu suo magnifico, & ne à populis condemnantur, decet eos magnifica facere, vt probat Philosophus 7. Poli. Secundo circa vestitum consideranda est vniformitas ministrātium. Nam vt appareant ministri pertinere ad vnum Principem siue ad vnum dominantem, reseruata conditione personarum, maxime debet attendi vt vniformiter vestiantur: sunt enim in domibus Regum & Principum diuersi gradus personarum; omnes ergo illi, qui in vno gradu esse cernuntur, vel si non multum ad inuicem distant, eodem modo sunt induendi, vt ex conformitate indumétorum cognoscatur eos esse vnius Principis ministros. Tertio circa prouisionem indumentorum consideranda est conditio personarum. Nam non omnes decet habere æqualia indumenta. In tantis enim domibus non solum sunt laici, sed etiam clerici: & inter vtrosque quidam superiores, & quidam inferiores: propter quod decet eos aliter & aliter esse ordinatos. Sic enim videmus in ordine Vniuersi, quod cum totum vniuersum sit quasi vna domus summi Principis, Dei scilicet, vt plane innuit Philosophus 12. Meta. in hac domo non omnia gaudét æquali apparatu, nec æquali pulchritudine, sed considerata cōditione rerum aliqua pollent maiori pulchritudine, aliqua minori, prout requirit ordo & iustitia Vniuersi, in quo declaratur conditoris mirabilis sapientia. Quare in domibus Regum & Principum, quarum quælibet propter varietatem ministrātium & officiorum quasi quoddam vniuersum dici potest, non omnes ministrātes æquæ pulchro apparatu, nec æque pulchris indumentis gaudere debent, sed considerata conditione personarum sic secundum suum statum cuilibet sunt talia tribuenda, vt in hoc appareat prouidentia & industria principantis. Quarto circa hoc consideranda est consuetudo patriæ. Nam omne inconsuetum videtur quasi turpe & inordinatum:

Polit. 6. Cap. 7.

Met. 12

quæ

quæ enim à pueritia soliti sumus videre, nimis afficimur ad illa. Ideo dicitur circa finem 7. Polit. quod semper prima magis amamus. Videmus enim communiter homines adeo affici ad patrias consuetudines, & ad conuersationes regionis propriæ, vt etiam si peiores & turpiores sint, eas pulchiores & meliores iudicant. In indumentis igitur, & in omnibus conuersationibus aliquid dandum est consuetudini regionum, nisi consuetudines illæ sint penitus corruptelæ. Quinto circa hoc considerandum occurrit congruentia temporum. Nam cum hæc inferiora corpora per super cælestia regantur prout variantur tempora, & prout diuersificatur conditio cælestis: potus, cibi, & indumenta & cætera talia deseruientia ad indigentiam vitæ, sunt varianda. *Polit. 7. C. 17.*

Quid est curialitas, & quod decet ministros Regum & Principum curiales esse. Cap. XVIII.

Videtur autem curialitas se habere ad nobilitatem morum, sicut iustitia legalis se habet ad impletionem legis. Nam (vt in prosequendo patebit) sicut legalis iustitia est quodammodo omnis virtus, quia omnem virtutẽ lex implere iubet: sic curialitas est quodammodo omnis virtus, quia nobilitatem morum quasi omnis virtus concomitari debet. Possumus enim distinguere duplicem nobilitatem: vnam secundum opinionem, vt nobilitatem generis: & aliam secundum veritatem, vt nobilitatẽ morum. Nobilitas autem, in excessu alicuius boni fundari videtur: nam nunquam diceretur vnus nobilior alio, nisi in aliquo excederent illum. Sicut ergo sunt duo genera bonorum magnorum, quia quædam sunt magna bona secundum opinionem, vt corporalia & extrinseca: quædam vero sunt magna secundum veritatem, vt virtutes & bo-

na animæ: sic duplex nobilitas habet esse, vna quæ fundatur in excessu magnorum bonorum secundum opinionem, alia vero quæ fundantur in magnis bonis secundum existentiam & veritatem. Homines enim vulgares & communiter populus non percipiunt nisi sensibilia bona & exteriora: huiusmodi sunt honorabilitas generis, diuitiæ, & ciuilis potentia. Qui ergo processit ex genere horabili, vt ex diuitibus, vel ex potentibus, & hoc ex antiquo, ita quod non sit memoria in populo progenitores suos fuisse pauperes: dicitur habere nobilitates generis, & per consequens est nobilis secundum reputationem populi & secundum opinionem. Vera tamen nobilitas est secundum excessum virtutem & bonitatem morum. Tamen quia nunquam fama totaliter perditur, & quod communiter dicitur, impossibile est esse falsum secundum totum, vt videtur velle Philosophus 7. Ethicorum, huiusmodi vulgaris opinio alicui probabilitati innititur. Videmus enim vt plurimum quod nobiles genere sunt nobiliorum morum quam alij: nam sicut ex homine nascitur homo, & ex bestijs bestia: sic vt plurimum ex bonis nascitur bonus, & ex prudentibus prudens, nobiles ergo homines, quia cũ pluribus conuersantur, quasi experti vt plurimũ sunt prudentiores alijs: & quia multi oculi in ipsos respiciunt, cõmuniter plus verecũdantur, & dedignantur operari turpia, quã alij. Quia ergo nobiles homines secundũ genus sunt in statu, in quo probabile est eos esse prudẽtiores alijs, & secũdũ quẽ decet eos esse meliores alijs; si probabile est ex bonis bonos, & ex prudẽtibus prudentes oriri; qui sũt ex nobilibus natalibus orti dicuntur esse nobiles secundũ opinionẽ, quia opinio probabilitati innititur, & tales (vt patet per præhabita) probabile est esse prudentes, & bonos. Huic aũt probabilitati aliquando subest falsitas, quia (vt dicitur in Politicis) natura vult qui de hoc facere multotiens, tamen non potest, sed deficit. Quidam enim nobiles genere degenerant à naturæ nobilitate,

litate,& sunt peruersiores alijs secundum mores. Si ergo nobilitas generis est nobilitas magis secundum opinionem, morum verò nobilitas est secundum existentiam & veritatem: quia decens est qui creduntur & æstimantur boni, esse tales secundum veritatem, decens est nobiles genere esse nobiles secundum mores. Ex hoc ergo curialitas venisse videtur. Nam curia proprie non dicitur nisi domus nobilium & magnorum: & quia decet nobiles & magnos esse nobiles secundum mores, inde sumptum est, vt dicantur esse curiales habentes mores nobiles: propter quod curialitas morum quædam nobilitas dici potest. Est igitur curialitas quodammodo omnis virtus per comparationem ad nobilitatem morum, sicut legalis iustitia est tota virtus per respectum ad impletionem legis. Præcipit enim lex omnem virtutem, vt præcipit non mœchari, quod est opus temperantiæ; non dimittere aciem, quod est opus fortitudinis; & sic de alijs. Sic nobilitas docet omnem virtutem: propter quod curialitas est quodammodo omnis virtus. Dicuntur enim curiales, qui prompte tribuunt modica dona, quod est opus liberalitatis: sic & liberales dicuntur, si decenter se habeant in magnis sumptibus, quod est opus magnificentiæ. Sic & curiales dicuntur comestores, qui non nimis ardenter vel turpiter comedunt, quod est opus temperantiæ. Curiales etiam dicuntur homines se habere erga suos ciues, si non eis iniuriam inferant in vxoribus, vel in filiabus, quod est opus castitatis. Dicitur etiã quis curialis in conuersatione, si sit alijs affabilis, & hylari vultu ålios recipiat; quod est opus affabilitatis. Vt ergo sit ad vnum dicere, quodammodo curialitas est omnis virtus. Idem ergo opus esse potest à virtute speciali, & à iustitia legali, & à curialitate: vt si quis suis conciuibus bona sua prompte largitur, si hæc agit, quia ei placent, huiusmodi actus liberalis est; sed si vt impleat legem quia hoc lex præcipit, iustus legalis est: si vero id

agat quia hoc decet mores curiæ & mores nobilium, curialis est. Sic etiam si hylariter & affabiliter quis cum alijs conuersetur, si hoc agit quia ei placent huiusmodi opera, affabilis est: sed si vt legem impleat, iustus legalis erit: qui vero vt seruet mores curiæ & nobilium, curialis esse dicetur. Sunt enim multi facientes opera virtutum vt bona sua alijs largientes, non agentes hoc quia eis placeat expendere; nec quod delectentur in dando, quod facit liberalis; nec quod ex hoc velint implere legem hoc precipientem, quod facit iustus legalis: sed quia volunt retinere mores curiæ & nobilium, quos decet datiuos esse; propter quod tales curiales dici debent. Aduertendum tamen quod licet curialitas sit omnis virtus, per quandam tamen antonomasiam largi, & affabiles, curiales dicuntur quia in curijs & in domibus nobilium, vbi multi conuersantur, & vbi communiter abundant exteriora bona, potissime largitas quantum ad sumptus, & affabilitas quantum ad conuersationem requiruntur in ipsis. Viso quid est curialitas, de leui patet quod decet ministros Regum & Principum curiales esse. Nam si decet Reges & Principes eo quod sunt in maximo nobilitatis gradu, habere mores nobiles & curiales, ministros, quos in bonis decet suos dominos imitari, oportet curiales esse.

Quomodo Reges & Principes erga suos ministros debent se habere. Cap. XIX.

OStensum est, quales debent esse ministri Regum & Principum, quia debent habere nobiles & curiales. nam sicut decet ciues vt debitam politiam seruent esse iustos legales, sic decet ministros dominorum vt seruent decentiam curiæ & honoris statum, curiales esse. quare si scimus quales oportet esse ministros, restat ostendere qualiter Reges & Principes & vniuersaliter dominantes erga eos debeant se habere. Debitus autem modus se habendi circa ipsos quasi in quinque videtur consistere. Primo, vt eis debite officia committantur. Secundo, vt ad officia commissa debite solicitentur. Tertio, vt sciatur qualiter cum eis est conuersandum. Quarto, qualiter ipsis communicanda consilia & apperienda sunt secreta. Quinto & vltimo oportet cognoscere, qualiter sunt beneficiandi, & quomodo sunt eis gratiæ impendendæ. Primum autem horum aliquo modo est ex habitis manifestum. nam si minister constituendus in aliquo officio vel in aliquo magistratu debet esse fidelis ne defraudet, prudens ne defraudetur: quanto plus constat de eius fidelitate & prudentia, tanto sunt ei maiora officia committenda. nullus autem ad plenum potest experiri de beniuolentia & fidelitate alterius nisi per diuturnitatem temporis, vt vult Philosophus 8. Ethi. vnde (vt ibi dicitur) in prouerbio est dicere, Non est scire ad inuicem, priusquam simul multos modios salis consumant. Sic etiam & de prudentia alicuius plene non constat, nisi per diuturnum tempus viderimus ipsum prudenter egisse. Hoc ergo modo sunt ministris officia committenda, quia primo præponendi sunt in paruis magistratibus, vt de eorum fidelitate & Eth. 8. c. 3.

te & prudentia experimentum habeatur: quod si contingat eos bene se habere in illis, poterunt eis vlteriora committi. Est tamen diligenter considerandũ, quod quia mores nuper ditatorum, & de nouo ascendentium ad altum statum, vt dicitur 2. Rhetor. vt plurimum sunt peiores moribus aliorum: vt si præpositi officiorum ex vili genere sunt assumpti, dato quod in aliquibus paruis magistratibus videantur prudenter & fideliter se gessisse, nó statim assumendi sunt ad officia nimis alta, sed gradatim & per diuturna tempora est habenda de ipsis experientia, prius quam ad aliud altum ascendant. Viso quomodo ministris sunt officia committenda, restat videre quomodo sunt in commissis officijs solicitandi. Per se enim ipsos habere curam & solicitudinem de ministris, non decet magnos dominos, nec Reges & Principes. nam (vt dicitur primo Polit.) & hoc non habet aliquod magnum vnde ibi concluditur, quod quibusdam est potestas, vt hoc vitent, procurator accipit hunc honorem: ipsi vero ciuiliter viuunt, aut philosophantur. Reges ergo & Principes quos decet esse magnanimos decet operari pauca & magna, vt decet ipsos solicitari circa ea quæ directe spectant ad bonum commune, & ad regnum regni. quæ autem sunt illa in tertio Libro patebit. Solicitari vero circa quosdam ministros & velle se de quibuscumque inimicis intromittere, nullatenus decet ipsos. Hoc viso restat ostendere tertium. videlicet qualiter cum ipsis sit conuersandum. quod aliquomodo tradit Philosophus 4. Ethi. vbi vult, quod ad humiles decet magnanimos se habere moderate, sed ad eos qui sunt in dignitatibus decet magnanimos ostendere se magnos. Reges ergo & Principes, quos decet esse magnanimos ad proprios ministros, qui respectu eorum sunt * inferiores & humiles, debent se ostendere moderatos: quia erga eos velle se habere in nimia excellentia (vt plane tradit Philosophos) non virtuosum, sed onerosum. Quid sit autem tenere in talibus

Eth. 4. cap. 3.

* Infirmiores

libus medium, & esse moderatum, sumi potest ex ijs quæ dicuntur 5. Polit. vbi dicitur, quòd persona Principis non debet apparere seuera, sed reuerenda. Non ergo decet Principem tam familiarem se exhibere ministris, vt habeatur in contemptu, & vt non appareat persona reuerenda: nec debet se sic excellentem ostendere, vt omnino appareat austerus & onerosus. In omnibus enim (vt traditur in Ethi.) medium laudatur, & extrema vituperantur. Est tamen aduertendum, quod aliqua familiaritas esset laudabilis in ciue vel milite, quæ non esset laudabilis in Rege: omnino enim decet Reges & Principes minus se exhibere quam cæteros, & ostendere se esse personas magis graues & reuerendas quam alios, non ad ostentationē, sed ne regia dignitas contemnatur. Ostenso qualiter ministris sunt officia committenda, & quomodo sunt erga eos solicitandi, & qualitater est cum ipsis conuersandum: reliquum est ostendere, qualiter sunt eis communicanda consilia, & quomodo sunt eis beneficia exhibenda. Dicebatur enim supra, diuersa esse maneries seruientium, quia quidam sunt serui naturaliter, quidam ex lege, quidam vero seruiūnt principaliter pro mercede, quosdam vero ad seruiendum principaliter mouet amor & dilectio Principis magis quam merces aliqua quam inde habituri essent. Cum seruis ergo naturaliter non sunt communicanda secreta neque consilia: quia (vt supra dicebatur) nunquam est quis naturaliter seruus, nisi sit inscius, & ab vsu rationis deficiat. De his autem loquens Philosophus circa finem primi Politicorum ait, quòd fœmina quidem habet consilium inualidum, puer autem habet sed imperfectum, seruus vero omnino habet nihil consiliatiuum. Sic etiam nec seruis ex lege communiter sunt communicanda consilia: quia tales vt plurimum magis seruiunt ex timore, quam ex amore. Nec etiā mercenarijs sunt communicāda secreta: quia tales non personam Principis, sed mercedem principaliter amant. Sed

Polit. 5. cap. 9.

Eth. 2. cap. 6.

ijs,

ijs, qui ex amore ministrant, si per diuturnitatem temporis constet ipsos esse beniuolos, fideles, & prudentes, poterunt aperire secreta magis, & minus, prout de eorum fidelitate, & prudentia, personæ Principis plus constabit. Qualiter autem pro laboribus sunt beneficia exhibenda ministris, quod vltimo dicebatur esse tractandum, de leui potest patere. Nam Reges & Principes, in quorum potestate est multa tribuere, mercedes ministrorum retinere non debent: sed debent ipsis maiora & minora beneficia tribuere, prout apparebit ipsos minus vel amplius meruisse.

Quòd in mensis Regum & Principum, & vniuersaliter nobilium, tam recubentes quam etiam ministrantes non decet in eloquijs abundare. Cap. XX.

Dicto quales debent esse ministri Regum & Principũ, & qualiter Reges & principes debeant se habere de ipsis: restat vt dicamus qualiter in mensis Principum circa eloquia habere se debeant tam ipsi Reges & Principes & omnes recumbentes cum eis, quam etiam ministrantes. Possumus autem duplici via ostendere, quod nõ decet in mensis Regum & Principũ & vniuersaliter omnium nobilium & etiam omnium ciuium abundare eloquijs. Prima via sumitur ex eo quod hoc repugnat ordini naturali. Secunda ex eo quod contradicit bonitati morum. Prima via sic patet, nam, vt dicitur primo Poli. tunc secundum naturam vnumquodque perficitur, quando vnum organum ordinatur ad vnum opus. Immo quia in operibus naturæ non debet esse confusio, cum opera eius sint ab ipso deo & intelligentijs ordinata: dato quod natura faciat idem organum ad duo opera, ne sit in operibus

bus confusio,& ne vnum impediat aliud, contra naturalem ordinem est cum per illud organum intendimus circa vnum illorum operum, si per illud tempus non cessemus ab alio. quare cum secundum Philosophum in tertio de Anima,lingua congruat in duo opera naturæ, vt in gustum,& locutionem:contra naturalem ordinem est,cũ huiusmodi organum exercemus ad illud opus quod est gustare, quod fit in mensa tempore comestionis, si tunc temporis non cessemus ab opere alio quod est loqui. repugnat ergo hoc ordini naturali. Secundo repugnat bonitati morum.nam si recumbentes in mensa ergà multiloquium insistant, quia vinum videtur eloquia multiplicare,& homines abundantes vino quasi calefacti & audaces,libenter in verba prorumpunt, videbuntur magis esse ebrij quam sobrij.Reges ergo & Principes, quos decet maxime temperatos esse,& obseruare ordinem naturalẽ omnino in suis mensis, ordinare debent vt recumbentes in multiloquia non prorumpant.decet etiam hoc vniuersaliter nobiles & omnes ciues, quia congruum est etiam & ipsos participare virtutes & bonos mores.Sed si recumbentes, ne tollatur naturalis ordo, & ne intemperati appareant,decet in mensis vitare sermonum multitudinem, decet etiam hoc ipsos ministrantes,ne negligatur, & impediatur ordo,& dispositio ministrandi.Immo si ad mensas Regum & Principum aliqua vtilia legerentur, vt simul, cum fauces recumbentium cibum sumunt, earum aures doctrinam perciperent;esset omnino decens & congruum. Ordinare igitur deberent Reges & Principes, vt laudabiles consuetudines regni, si tales sunt in scripto redactæ, vel etiam laudabilia gesta prædecessorum suorũ, & maxime eorum qui sancte & religiose se habuerunt ad diuina, & qui iuste & debite regnum rexerunt, legerentur ad mensam; vel legeretur ad mensam liber de regimine Principum,vt etiam ipsi principantes instruerentur,qualiter principari deberent; & alij docerentur, quomodo

modo est principibus obediendum. Hæc ergo, vel alia vtilia tradita secundum vulgare idioma, vt omnes per ea edoceri possent, in mensis Regum & Principum legenda essent. His ergo sic pertractatis circa regnum domus, licet quædam alia particularia tractari possent, tamen quia non omnia particularia sub narratione cadunt, proponimus ea silentio pertransire, imponentes finem huic secundo Libro, in quo de regimine domestico secundum modulum nostræ scientiæ artem tradidimus, immo eius auxilio, à quo omnis bonitas, & sufficientia habet esse.

Secundi libri de regimine Principum, in quo tractatur de regimine domus, finis.

D. AEGIDII ROMANI Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, De regimine Principum Liber tertius: in quo declaratur quomodo maiestas regia praeesse debeat ciuitati & regno.

Quod communitas ciuitatis est aliquo modo principalissima, & est alicuius boni gratia constituta. Cap. I.

QVONIAM omnem ciuitatem contingit esse communitatem quandam, cum omnis communitas sit gratia alicuius boni, oportet ciuitatem ipsam constitutam esse propter aliquod bonum. Probat autem Philosophus primo Polit. duplici via, ciuitatem constitutam esse gratia alicuius boni. Prima via sumitur ex parte hominum constituentium ciuitatem. Secunda ex parte ciuitatis constitutæ. Prima via sic patet. quia (vt dicitur primo Ethicorum) omnis actus & electio bonum quoddam appetere videtur. & primo Politicorum scribitur, quod gratia eius quod videtur bonum, omnia operantur omnes. Si ergo omnes homines ordinãt sua opera in id quod videtur bonũ, cum ciuitas sit opus humanum, ex parte hominũ constituẽtium ciuitatem oportet ipsam

Polit. 1. cap. 1.

constitutam esse gratia eius quod videtur bonum. nec sic est intelligendum, ciuitatem constitutam esse gratia eius quod videtur bonum, quod non sit constituta gratia eius quod existit bonum. Nam cum opera nostra ordinamus ad aliquod bonum, aliquando ad bonum illud habemus impetum à natura, aliquando quasi ex corruptione naturæ. Bonum autem illud, ad quod omnes homines habent impetum ex natura, sic videtur bonum, quod tamen existit bonum: huius autem est constitutio ciuitatis. nam (vt dicitur primo Poli.) natura quidem impetus in omnibus inest ad talem communitatem, qualis est communitas ciuitatis. igitur per respectum ad homines ciuitatem constituentes, eo quod habent naturalem impetum ad constitutionem eius, ciuitas non solum constituta est gratia eius quod bonum videtur, sed etiam quod bonum existit. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte ciuitatis constitutæ per comparationē ad ciuitatēs alias. nam licet omnis communitas naturalis ordinetur ad bonum, maxime tamen ordinatur ad ipsum communitas principalissima: huius autem est communitas ciuitatis, quæ respectu communitatis domus, & vici principalissima existit. quare si communitas domestica ordinatur ad bonum & etiam ad multa bona, vt supra in secundo libro diffusius probabatur: communitas vici, quæ est principalior communitate domestica, multo magis ordinatur ad bonum: & ad hoc communitas ciuitatis, quæ est principalissima communitas respectu vici, & domus, maxime ordinatur ad bonum. hoc est ergo quod dicitur primo Polit. quod si communitatem omnem gratia alicuius boni dicimus constitutam, maxime autem principalissimā omnium, & eam quæ est omnium maxime principalis, & omnes alias circumplectens, potissime gratia boni constitutam esse contingit: hæc autem est communitas politica, quæ communi nomine vocatur ciuitas. Aduertendū tamen, communitatem ciuitatis esse principalissimam

Polit. 1. cap. 1.

non

non simpliciter & per omnem modum, sed respectu communitatis domus, & vicio Est autem alia cõmunitas principalior ea, cuiusmodi est communitas regni, de qua suo loco dicetur: ostendemus enim communitatem regni vtilem esse in vita humana, & esse principaliorem communitate ciuitatis. Videtur enim suo modo communitas regni se habere ad cõmunitatem ciuitatis, sicut hæc communitas se habet ad domum, & vicum. Nam ciuitas sicut complectitur domum, & vicum; & est principalior communitatibus illis, & magis sufficiens in vita, quam communitates prædictæ: sic communitas regni circumplectitur communitatem ciuitatis, & est multo perfectior & magis sufficiens in vita, quam communitas illa.

Quot, & quæ bona homines consequuntur de constitutione communitatis politicæ, quæ ciuitas nuncupatur.

Cap. II.

NOn sufficit dicere ciuitatem constitutam esse gratia alicuius boni, vt in præcedenti capitulo probabatur; nisi ostendatur, quæ & quot sunt illa bona, quæ ex constitutione ciuitatis homines consequuntur. Huiusmodi autem bona (quantum ad præsens spectat) tria esse contingit. ordinatur enim ciuitas ad viuere, ad sufficienter viuere, & ad virtuose viuere. Viuere enim (secundum Philosophum) viuentibus est esse. sicut ergo aliud est esse, aliud sufficienter esse, aliud virtuose esse: sic aliud est viuere, aliud sufficienter viuere, & aliud virtuose viuere. Nam esse latissimum est, vt dicitur in libro de Causis: est enim prima rerum creaturarũ, & omnia aliquo modo esse participant. non tamen omnia participant sufficienter esse, sed solum illa dicuntur habere sufficiens esse secundum naturam suam, quæ secundum suam speciem habent esse

2. de anima. to. 37. Pro. 4.

completum. Si enim alicui rei deficiat aliqua perfectio competens suæ speciei, licet possit habere illa res esse aliquod, vt imperfectum esse: tamen sufficiens esse habere non dicitur. latius est ergo esse, quam sufficienter esse. Sic etiam latius est sufficienter esse, quam virtuose esse. nam virtute, quæ est habitus electiuus & moralis, de qua hic loqui intendimus, participare non possunt nisi rationalia & habentia intellectum. Irrationalia ergo & etiam inanimata secundum naturam suam possunt habere esse sufficiens, si habeant perfectiones competentes propriæ speciei: esse tamen virtuosum habere non possunt, quia nequeunt participare virtute. Illo ergo modo quo distinguimus esse, sufficienter esse, & virtuose esse; distinguere possumus viuere, sufficienter viuere, & virtuose viuere. Qualitercumque etiam homo habeat esse, viuit: non tamen dicitur sufficienter viuere, & habere vitam sufficientem, nisi habeat ea quæ congrue sufficiunt ad supplendam indigentiam corporalem, aliud est ergo viuere aliud sufficienter viuere. Sic etiam aliud est uiuere sufficienter, & viuere virtuose. multi enim habent sufficientiam ad vitam, qui propter corruptionem appetitus virtuose viuere negligunt. Multorum igitur & maximorum bonorum causa est constitutio ciuitatis, quia per eam homines consequuntur omnia tria prædicta bona. Nam ipsum viuere consequuntur homines ex communitate politica: quia sine ea vita hominis esse non potest. Loquimur enim hic de viuere hominis, vt homo est. Ostendendo ergo viuere politicum secundum aliquas leges & secundum aliquas laudabiles ordinationes, recusans sic viuere, non vult viuere vt homo, sed (vt supra patuit & infra patebit) talis vel est homine peior, vel homine melior: homo enim est naturaliter politicum animal & ciuile, vt infra patebit. ipsum ergo viuere (loquendo de viuere vt homo) consequuntur homines ex communicatione politica siue ex constitutione ciuitatis. Secundo ex tali constitutione

tutione

tutione homines non solum consequuntur viuere, sed etiam sufficienler viuere. nam in vna domo vel in vno vico non reperiuntur omnia quæ ad vitam sufficiunt, ideo fuit ciuitas constituta habens plures vicos, in quorum vno exercetur ars fabrilis, in alio textoria, in alio aliud, secundum quod varijs indigemus ad supplendam indigentiam vitæ: nunquam enim est ciuitas perfecta nisi habitatores eius ibi inuenire possint omnia sufficientia ad vitam. Consequimur ergo ex ciuitate non solum viuere vt homo, sed viuere sufficienter: eo quod si perfecta existit, est contentiua omnium eorum quæ ad vitam sufficiunt. Bene ergo dictum est, quod scribitur primo Politicorum quod communitas, quæ est ciuitas constans ex pluribus vicis, est communitas perfecta: quia iam (vt consequens est dicere) huiusmodi communitas est habens terminum omnis per se sufficientiæ vitæ. Tertio ex constitutione ciuitatis consequimur virtuose viuere. nam inceptio legislatoris & constituentis ciuitatem non solum debet esse, vt ciues in ciuitate habeant sufficientia ad vitam, sed vt viuant bene secundum leges & virtuose. Ideo dicitur primo Politicorum quod facta quidem igitur est ciuitas viuendi gratia: existens autem gratia bene viuendi forte primum motiuum hominum constituentium ciuitatem, fuit ipsum viuere, & habere sufficientia in vita. Videntes autem quod solitarie non poterant sibi in vita sufficere, constituerunt ciuitatem, vt vnus alterius defectum supplens haberet sufficientia in vita. constituta autem iam ciuitate, & homines perspicatius intuentes & videntes quod non satis est habere sufficientia in vita nisi viuant bene & virtuose, cum sine lege & iustitia constituta ciuitas stare non posset, ordinauerunt communitatem politicam, quæ facta erat ad viuere, & ad habendum sufficientia in vita; & ad bene viuere, vt ad uiuere secundum legem & uirtuose. Si ergo tot bona con-

sequimur ex constitutione ciuitatis, bene dictum est quod scribitur primo Politicorum, quod qui primus ciuitatem instituit, extitit causa maximorum bonorum.

Quod homo naturaliter est animal ciuile, non obstante quod contingat aliquos non ciuiliter viuere. Cap. III.

DVbitant nonnulli, An ciuitas sit aliquid secundum naturalem? & An homo sit naturaliter animal politicũ & ciuile? Nam ea quæ sunt secundum naturam videntur esse semper & vbique: vt ignis si adsit calefactibile, semper calefacit, & vbicumque est, habet exercere calefactionis actum, quare si ciuitas quid naturale esset, & homo naturaliter esset animal ciuile, nullus reperiretur homo nõ ciuilis. Videmus autem multos societatem politicam retinentes, eligere solitariam vitam, & campestrem. Sed hæ & aliæ dubitationes similes vidẽtur procedere, quia ignoratur, quomodo naturale est homini esse animal ciuile. Non enim hoc est sic homini naturale, sicut est naturale igni calefacere, & lapidi deorsum tendere: quia talia sic eis naturaliter competunt quod ad contrarium assuefieri non possunt, & competunt eis semper & vbique nunquã enim totiens posset lapis sursum proijci, vt assuesceret sursum ire: semper ergo lapis quantũ est de se deorsum tẽdit & semper ignis calefacit, homo ergo non sic naturaliter est animal ciuile, sed dicitur ei hoc naturaliter conuenire, quia habet quendam impetum & quandam aptitudinem naturalem, vt ciuiliter viuat. Quæ autem sic sunt naturalia, ex casu vel ex aliquo impedimento siue ex aliqua causa impediri possunt, vt licet naturale sit homini esse dextrum, multi tamen ex aliquo impedimento vel ex aliqua causa repeiuntur ambidextri: sic licet naturale sit homini viuere ciuiliter, reperiuntur tamen multi campe-

stre

ftre viuentes. Tangit autem Philosophus 1. Polit. tria, quare contingit alienos renuere ciuilem vitam. primum est fortuna, secundum nimia prauitas, & tertium nimia bonitas. Contingit enim primo aliquos esse non ciuiles ex fortuna: vt quia nimium pauperes existentes, non possunt ciuiliter viuere, sed cogũtur ciuitatem exire, & agros excolere. Secundum propter quod homo aliquando redditur non ciuilis est nimia prauitas. aliqui enim sic habent appetitum corruptum & voluntatem peruersam, quod nequeunt viuere in societate & secundum legem: ideo ciuitatem aliquando exeunt, vel si non exeant aliquando expelluntur. Hi autem sunt illi, quos (vt recitat Philosophus 1. Poli.) maledicebat Homerus, dicens, Maledictus insocialis, in legalis, sceleratus, affectator belli, veluti sicut sine iugo existens sicuti volatilia. Tertio aliqui non ciuiliter viuunt propter nimiam bonitatem. vita enim ciuilis & coniugalis est vita bona, sed est vita vt homo. Aliqui autem sunt tantæ perfectionis, quibus non sufficit viuere vt homo, sed renuentes coniugium & ciuilitatem, eligũt perfectiorem vitam. nam licet qui nubit, & qui ciuiliter viuit, bene faciat; tamen qui non nubit, & qui non ciuiliter viuit, vt liberius contemplationi vacet, melius facit. Est ergo homo naturaliter animal ciuile, non obstante quod contingat aliquos non ciuiliter viuere: nam quicunque non ciuiliter viuit (nisi ex paupertate, vel ex fortuna hoc accidat) vel est bestia & sceleratus & sine iugo, non valens legem & societatem supportare, vel est quasi deus idest diuinus, eligens altiorem vitam. propter quod scribitur primo Poli. quod non potens alijs communicare, nulla est pars ciuitatis, sed vel est bestia vel est deus.

Polit. 1. C. 2.

Polit. 1. cap. 2.

Quibus rationibus probari potest, ciuitatem esse quid naturale, & quod homo naturaliter est animal ciuile & politicum. Cap. IIII.

REmouebantur in præcedenti capitulo obiectiones cõtrariæ, per quas probari uidebatur, ciuitatem non esse aliquid secundum naturam,& hominem non esse naturaliter animal ciuile. Cum ergo non satis sit remouere omnes obiectiones contrarias ueritatem aliquam impugnantes, nisi adducantur rationes propriæ per quas illa ueritas confirmetur: intendimus in hoc capitulo adducere rationes ostendentes ciuitatem esse quid naturale, & hominem esse naturaliter animal ciuile. Possumus autem duplici uia ostendere communitatem politicam siue ciuitatem esse aliquid secundum naturam. Prima uia sumitur ex eo quod communitas complectitur domum & uicum. Secunda ex eo quod est illarum finis & complementum. Probabatur enim supra, quod uiuere erat homini secundum naturam; ut natura non deficiat in necessarijs, oportet quid naturale esse quicquid secundum se deseruit ad sufficientiam uitæ: communitas ergo domestica & etiam uici naturalia sunt, quia deseruiunt ad sufficientiã uitæ humanæ. Quare cum communitas ciuilis has communitates comprehendat, & perfectius deseruiat ad sufficientiam uitæ, quam communitates illæ, oportet eam esse secundum naturam. Secunda uia ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex eo quod ciuitas est illarum communitatum finis & complementum. Nam ut arguit Philosophus primo Politicorum quod est finis generationis naturalium, est quid naturale, & est natura ipsorum generatorum: ut quod est finis generationis hominis est quid naturale, & est natura eius. nam finis generationis rerũ est forma, quæ per antonomasiã est quid nãle, & est ipsa

Polit. 1. cap. 2.

est ipsa

est ipsa natura. Videmus autem quod communitas domus est quid naturale, non solum quia deseruit ad sufficientiam vitæ, sed etiam quia communitates illæ, quæ perficiunt domum, sunt quid naturale: constat enim domus ex communitate viri & vxoris, domini, & serui, patris & filij, quarum quælibet est secundum naturam. Sic etiam communitas vici est quid naturale, non solum quia deseruit ad sufficientiam vitæ, sed etiam quia generatio eius habet esse naturale: fit enim vicus naturaliter ex crescentia filiorum collectaneorum, & nepotum, vt vult Philosophus 1. Polit. propter quod si tale crementum est naturale, vicus ipse quid naturale erit. Ciuitas ergo, quæ est finis gñationis domus & vici erit, quid secundũ naturã, eo quod sit finis generationis nãliũ: generatio .n. domus, & vici, tanquã ad finẽ & cõplementũ, ordinatur ad ciuitatẽ. Viso, ciuitatẽ esse aliquid secundũ naturam: reliquum est ostendere, hominẽ esse nãliter animal politicũ & ciuile, quod etiã duplici via inuestigare possumus. Prima via sumitur ex parte sermonis. Secunda ex parte impetus naturalis. Probatur .n. in principio secundi libri, ex parte sermonis hominem esse naturaliter animal sociale, eo quod per sermonẽ acquirimus instructionẽ & disciplinam. Hoc aũt ex parte sermonis ostendere possumus hominem esse naturaliter animal politicum & ciuile, ex eo quod vox humana, quę dicitur sermo, est aliter significatiua, quam vox brutorum. Vnde Philos. ait 1. Pol. quod in alijs animalibus ab homine, vsque ad hoc eorum natura peruenit, vt vox sit eis signum delectabilis & tristabilis, vt habeant sensum delectabilem & tristabilem: hoc enim sibi inuicem per vocem significant. Canis enim eo quod latrat, aliter latrat cum delectatur: & cum tristatur potest alteri cani per suum latratum significare tristitiam, vel delectationem quam habet. Sed hominibus vltra hoc datus est sermo, per quem distincte significatur quid conferens, quid nociuum, & quid iustum, & quid iniustum. Si ergo commu-

Pol. 1. cap. 1.

In prin. 2. lib. c. 1

Polit. 1. cap. 2.

communitas domestica ordinatur ad prosequendum conferens, & ad fugiendum nociuum: communitas vero ciuitatis vltra hoc ordinatur ad prosequendum iustum, & ad fugiendum iniustum, oportet communitatem domesticā & ciuilem esse quid naturale. Nam si natura dedit homini sermonem, naturalis est illa communitas quæ ordinatur ad illa, quæ sunt apta nata exprimi per sermonem: iustum enim & iniustum non proprie habet esse in communitate domestica, sed in communitate ciuili. In ciuitate enim, vbi ciues habent possessiones proprias & distinctas, consurgunt lites & litigia, quid iustum & quid non iustum: quod non proprie fit in domo, vbi totum ad patremfamilias pertinere videtur. Differt ergo ciuitas à domo; quia in ea non solum quæritur quid conferens & quid nociuū, sed etiam quid iustum & quid iniustum: vtraque tamen communitas erit naturalis tam domestica quam ciuilis, eo quod per sermonem nobis datum à natura repræsentatur conferens & nociuum, & iustum & iniustum Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte impetus naturalis. Nam omnia animalia habent naturalem impetum ad conseruandum ea quæ sunt eis à natura tributa. quare si natura dedit homini viuere, dedit ei naturalem impetum ad faciendum ea per quæ possit sibi in vita sufficere. Hoc autem maxime contingit (secundum Philosophum) per communitatem ciuilem, eo quod ciuitas debeat esse contentiua omnium, quæ ad vitam sufficiunt. Inerit ergo hominibus impetus naturalis ad viuendum politice, & ad constituendum ciuitatem.

Pol. 1. cap. 2.

Sed cum id, ad quod habemus impetum naturalem, sit secundum naturam, oportet ciuitatem esse quid naturale, vel esse aliquid secundum naturam.

Quid

Quod præter communitatem ciuitatis, vtile fuit in vita humana esse communitatem regni. Cap. V.

POssumus autem triplici via ostendere, quod præter communitatem ciuitatis, vtile est humanæ vitæ statuere communitatem regni. Prima via sumitur ex parte sufficientiæ vitæ. Secunda ex parte adeptionis virtutis. Tertia ex parte defensionis & remotionis impedimentorum hostium. Prima via sic patet. nam cum ait Philosophus primo Polit. quod communitas perfecta, quæ est ciuitas constans ex pluribus vicis, est habens terminum omnis per se sufficientiæ vitæ. non sic intelligendum est, quod semper oporteat ciuitatem ex proprijs possessionibus habere omnia quæ requiruntur ad vitam: sed sufficit ciuitatem sic esse sitam, quod per mercationes, & ponderis portatiuam, & per humanam industriam faciliter habere possit sufficientia vitæ. Sicut ergo vicus, in quo exercetur ars fabrilis, indiget vico alio, in quo exercetur ars textoria, eo quod homines ad sufficientiam vitæ indigeãt tam operibus fabrorum quam textorum: sic quia contingit ciuitates aliquas abundare in vino, & deficere in frumento, in quo contingit ciuitates alias abundare; oportet ciuitatem vnam indigere auxilio alterius. Quare sicut vtile est vitæ humanæ in eadem ciuitate congregari diuersos vicos, vt facilius habeantur quæ requiruntur ad vitam: sic vtile est ciuitates plures congregari sub vno principatu aut sub vno regno, vt facilius & melius sibi inuicem subueniant quantum ad ea quibus indigemus in vita. Nam sicut diuersa membra corporis non eundem actũ habent, & vnum indiget alterius opere, propter quod vtile est ipsis membris congregari in vno corpore, vt sibi inuicem subueniant: sic quia non omnes ciuitates abundant

Pol. 1. cap. 2.

in eisdem, vtile est eis congregari sub vno regno, vt melius possint sibi inuicem subuenire in his quæ requiruntur ad sufficientiam vitæ. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte adoptionis virtutis. Intentio enim legislatoris (vt supra tangebatur) non solum esse debet, vt ciues habeant quæ requiruntur ad supplendam indigentiam corporalem: sed etiam vt viuant secundum legem & virtuose. Immo tanto principalius debet intẽdere hoc quàm illud, quanto anima est potior corpore, & quanto operationes virtuosæ excellunt exteriora bona. Oportet ergo rectores ciuitatis habere ciuilem potentiam, vt possint cogere & punire nolentes virtuose viuere, & turbantes pacem & bonum statum aliorum ciuium. Quare cum peruersi in ciuitate aliqua non audeant insurgere contra principem, si sciant ipsum magnam habere ciuilem potentiam, & dominare in ciuitatibus multis, si constet de principe quod iuste regat & quod non conuertatur in tyrannum, expedit ciuitatibus propter virtuose viuere, & propter corruptionem peruersorum congregari sub vno regno. quod si tamen Princeps tyrannizare vellet, quantò minorem haberet potentiam, tantò magis esset expediẽs ciuitati. Tertia via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte defensionis & remotionis impedimentorum hostium. Videmus enim quod cum aliqua ciuitas impugnatur confœderat se ciuitati alij, vt melius possit resistere impugnationem hostium: cum ergo regnũ sit quasi quædam confederatio plurium ciuitatũ, eo quod vniantur sub vno rege, cuius est quemlibet partem regni defendere, & ordinare ciuilem potentiam aliarum ciuitatum ad defensionem cuiuslibet ciuitatis regni; si contingat eã ab extraneis impugnari, propter faciliorem defensionem & tuitionem vtile fuit ex pluribus communitatibus politicis constituere communitatem vnam regni.

Quòd

Quod diuersi sunt modi generationis ciuitatis, & regni, & quod oportet hunc tertium librum in quo determinatur de huiusmodi regimine diuidere in plures partes. Cap. VI.

GEnerationis ciuitatis & regni duos modos possumus assignare, quorum quilibet est aliquo modo naturalis, aliter tamen est naturalior altero. Primus est ille de quo supra in secundo libro fecimus mentionem, vbi diximus quod propter excrescẽtiam filiorum collectaneorum & nepotum domus potest in vicum, vicus in ciuitatem, & ciuitas in regnum excrescere. Alius modus est ex concordia constituentium ciuitatem vel regnum. Nam vt recitat Philosophus 2. Politicorum, antiquitus homines morabantur dispersi, velut tempore Aristotelis contingebat circa quasdam gentes, quæ vocabantur Arcades, vbi quilibet per se morabatur. homines sic dispersi morantes aliquando concordabant in vnum, constituentes sibi ciuitatem aliqua, in qua simul morantes habere possent sufficientius quæ requiruntur ad indigentiam vitæ. Hoc ergo modo posset fieri constitutio regni, vt si multæ ciuitates & castra simul confœderarentur & concordarent, vt sub vno rege existerent, timentes inimicorum potentiam. Vterque autem horum modorum est naturalis: sed primus est naturalior secundo. Prima enim constitutio ciuitatis & regni est dupliciter naturalis. Primo enim naturalis est, quia cõstituitur ex generatione quæ est opus naturæ. Secundo naturalis existit, quia homines naturalem habent impetum ad constituendam ciuitatem & regnum. Si enim per generationem ex crescentibus filijs & nepotibus in eadem domo, & non valentibus simul habitare, faciant sibi plures domos, & constituant sibi vicũ; & *Polit. 2. cap. 1.* vlte-

vlterius & crescentibus & non valentibus habitare in vno vico, faciant sibi vicos plures, & constituant ciuitatem: amplius autem ipsis excrescentibus & non valentibus habitare in vna ciuitate, fabricent sibi ciuitates plures, & cōstituant regnum: talis constitutio regni & ciuitatis est maxime naturalis, non solum quia homines habent naturalem impetum ad talem constitutionem, sed etiam quia huiusmodi constitutio procedit ex generatione filiorum quæ est opus naturæ. Secundus autem modus constitutionis regni & ciuitatis, vt cùm ex concordia hominum talis constitutio habet esse, licet non sit adeò naturalis vt prima attamen naturalis est, quia homines propter viuere habent naturalem impetum, vt concordent ciuitatē constituere, in qua reperiuntur sufficientia ad vitam. Sic etiā habent naturalem impetum, vt constituant principatum & regnum; quia per talem constitutionem possunt magis pacifice viuere, & magis resistere hostibus volentibus impugnare ipsos. est enim huius impetus naturalis. nam sicut homines naturalem habent impetum vt viuant, & vt sufficiant sibi in vita, quod fit per ciuilem societatem: sic naturalem habent impetum vt pacifice viuant & vt naturaliter resistant hostibus, quod fit per societatem principatus & regni; videmus enim ciuitates non existentes sub vno rege plures guerras & discordias habere ad inuicem. Enumeratis autem duobus modis generationis ciuitatis & regni, quorum quilibet dici potest naturalis: possumus addere modum tertium, qui quasi est simpliciter violentus. Cum enim homines dispersi morabantur, poterat quis insurgere per tyrannidem & per violentiam, & dominari eis: & vt facilius eis dominaretur, poterat eos uiolenter congregare in unum, & constituere inde ciuitatem. Sic etiam & regnum per uiolentiam & per tyrannidem constitui posset, ut si quis dominans alicui ciuitati per tyrannidem & per ciuilem potentiam opprimat ciuitates alias, & faciat se Regem constitui super

illas

illas. Viſo diuerſos eſſe modos generationis ciuitatis & regni, reſtat uidere in quot partes oportet hunc tertium librum diuidere, in quo de huiuſmodi regimine tractaturi ſumus. Patet enim ex dictis naturalem generationem ciuitatis & regni ordinari ad bene uiuere, & ad pacifice uiuere, & ad reſiſtendum uolentibus turbare pacem, & impugnare ciues. Oſtendendendum eſt ergo qualiter poſſit bene regi ciuitas ſiue regnum tempore pacis, & qualiter impugnandi ſint hoſtes tempore belli. Verum *Met. 2.* quia ut patet per Philoſop. 2. Meta. & circa finem Elen- *Te. 1.* chorum, nullus ſibi ſufficit in inueniendo artem aliquam, ſed oportet ad hoc iuuari per auxilium præcedentiũ tradentium notitiam aliquam de arte illa: ideo oportet propter ſufficientiam artis regiminis ciuitatis & regni citare quid ſenſerũt Philoſophi de huiuſmodi regimine, & quomodo antiquitus regebantur ciuitates. Nam ex hoc aliqualiter manducemur ad ſciendum quid vitandum, & quid imitandum ſit in regimine regni & ciuitatis. Totum ergo hunc librum tertium diuidemus in tres partes. Nã primò narrabuntur opiniones Philoſophorum circa regimen ciuile, & reprobabuntur ea in quibus viſi ſunt non bene ſentire circa huiuſmodi regimen. recitabuntur ergo prima regimina inſtituta ab antiquis Philoſophis, ut per eorum notitiam manuducantur Reges & Principes, quomodo debeant regere ciuitates & regna. Secundo oſtendetur, quæ ſit optima politia ſiue optimum regnũ, & quibus cautelis uti debeant principantes, & quomodo tempore pacis propter uiuere ſufficienter & uirtuoſe regenda ſit ciuitas & regnum. Tertio manifeſtabitur quomodo eligendi ſunt pugnatores, & qualiter impugnandi ſunt hoſtes, & quomodo ordinandæ ſunt acies bellorum, & quibus cautelis uti debeant bellantes.

Quo-

Quomodo Socrates, & Plato dixerunt ciuitatem ordinandam esse, & quid senserunt de ciuili regimine. Cap. VII.

SOcrates autem quandiu philosophatus esset circa naturas rerum, videns circa naturalem scientiam magnam difficultatem esse, vt narrat Philosophus in Metaphysica sua, conuertit se ad Moralia, quem Plato suus discipulus in multis secutus est, propter quod Philoso. Platonem ipsum secundum Socratem appellauit. Determinando aũt Socrates & Plato de moralibus, quinq; tetigisse videntur circa ciuitaté & regnũ ciuile. Primum est, quia dixerunt ciuitatem debere esse maxime vnã. quod forte ideo hoc opinati sunt, quia semper multitudo ab vnitate procedit, & semper vnitas videtur esse potior multitudine. vnde prima causa Deus ipse quia est summe vnus, arguitur esse summe bonus. videtur ergo ciuitas esse potissime bona, si sit potissime vna. igitur quanto plus ad vnitaté procedit, tanto plus appropinquat ad terminũ bonitatis. Secunda aũt, quod circa ciuitatem statuerunt dicti Philosophi, est, quia dixerunt ciuibus omnia debere esse communia: ut quod haberent communes possessiones cõmunes uxores, ut quod quilibet accederet ad quamlibet, & per consequens haberent cõmunes filios. nã quia propter cõmunem usum fœminarum patres non certificarentur de proprijs filijs reputarent quẽlibet puerorum esse filium propriũ. uidebatur enim Socrati & Platoni totam dissensionem ciuium consurgere ex proprietate possessionum, & ex eo quod quilibet utitur dicere, Hoc est meũ. Quare (ut arguebat) si possessiones essent communes, & ciues nihil haberent proprium, cessarent eorũ propriæ lites, & eorum iurgia, & esset ciuitas optime ordinata. Volebant etiam uxores esse communes, quia ex hoc con-

consurgeret maxima dilectio inter ciues. nam vxoribus non existentibus proprijs, sed communibus, essent communes filij: & quia patrum ad filios est maxima dilectio, in ciuitate illa esset maximus amor, eo quod antiquiores diligerent omnes iuniores vt filios. & iuniores eos diligerent vt Patres. Posuerunt etiam huiusmodi communitatem vxorum & filiorum vt esset maxima vnitas & maxima coniunctio in ciuitate. nam cũ sit maxima vnitas, & maxima coniunctio patrum ad filios, antiquiores reputarent se habere maximam vnitatem cum iunioribus, & econuerso, & quod crederent eos esse suos filios, illi vero opinarentur eos esse suos patres. Tertium vero quod senserunt dicti Philosophi circa regimen ciuitatis est, quia dixerunt mulieres instruendas esse ad opera bellica, & debere bellare sicut & viros. Inducebantur enim ad hoc (vt Philosophus recitat 2. Polit.) ex ijs quæ videbant in bestijs & in animalibus alijs, in quibus non solum bellant masculi sed etiam fœminæ. Immo in bestijs & in auibus viuentibus ex rapina ferociores esse videntur fœminæ quam mares. nam si consideramus aues ipsas viuentes ex raptu, maiores corpore & audaciores corde & præstantiores viribus sunt fœminæ quam masculi: vt ancipitres, & austures, & aquilæ, vt dicitur, sunt omnes fœminę, quarum masculi sunt viliores eis. quare si in alijs animalibus hoc videmus quod nõ solum bellant mares sed fœminæ, quia maxime videtur esse secundum ordinem naturalem in quo communicamus cum animalibus alijs, videtur ciuitas maxime naturaliter ordinata si ad opera bellica ordinentur non solum viri sed etiam mulieres. Quartum quod dixerunt instituendum esse in ciuitate, est, quia semper volebant eosdem principari, & esse in magistratu. vt qui erant officiales, semper essent officiales; & qui præpositi, semper præpositi; & sic de magistratibus alijs. Assumebant etiam ad hoc exemplum de terra. Videmus enim partes terræ, in quibus abundat *Pol. 2. cap. 1.*

vena auri, semper quasi abundare ibi talem venam; & in quibus abundat vena argenti similiter se habere. si ergo natura sic agit quod venam auri non conuertit in venam argenti, vel in venam ferri, nec econuerso; quia maxime bene operamur si imitamur actiones naturæ, & maxime bene regitur ciuitas si imitatur ordinem naturalem: vena auri vt principantes maiori principatu, vel existentes in maioribus principatibus; & vena argenti vt existentes in minoribus, non debent conuerti in venam ferri, vt quod fiant subditi, & deponantur à magistratibus suis. Quintum autem quod dicti Philosophi senserunt statuendum circa ciuitatem, est, quia dixerunt ciuitatem quamlibet diuidendam esse in quinque partes. videlicet in agricolas, artifices, bellatores, consiliarios, & principem. Dixerunt enim agricolas necessarios esse ad constitutionem ciuitatis, propter ea quæ requiruntur ad victum. Artifices vero necessarij erant, propter vestimenta & domos & alia quæ requiruntur ad vitam. Bellatores quidem necessarij existebant, propter defensionem ciuitatis & reprimendos hostes dicebant autem ciuitatem (si bene ordinata erat) ad minus deberet habere mille bellatores, & ad plus quinque millia. Principes vero & consiliarij necessarij erant in ciuitate ad dirigendum ciues vt virtuose viuerent, & vt debite obseruarent leges. Tangebant autem dicti Philosophi quædam alia circa regimen ciuitatis, de quibus si locus occurrat mentio fieri poterit.

Quòd non oportet ciuitatem maximam vnitatem & conformitatem habere, vt Socrates & Plato statuerunt. Cap. VIII.

MAximam vnitatem & æqualitatē non oportet quærere in omnibus rebus. Nam si omnia essent æqualia, iam non essent omnia. Ad hoc enim quod sunt omnia quæ requiruntur ad vniuersum, & ad hoc quod vniuersum secundum suum statum sit maxime perfectum, oportet ibi dare diuersa secundum speciem. Nam quia tota bonitas vniuersi non potest reseruari in vna specie, oportet ibi dare species diuersas, vt in pluribus speciebus entium reseruetur maior perfectio, quam in vna tantum. Sic etiam in ciuitate ad hoc quod habeat esse perfectum, oportet dare diuersitatem aliquam, nec oportet ibi esse omnimodam conformitatem & æqualitatem, vt Socrates & Plato credebant. Tangit autem Philosophus 2. Polit. quasi sex rationes, probantes quod non oportet ciuitatem esse maxime vnitam, & maxime conformem. Prima sumitur quantum ad esse ipsius ciuitatis. Secunda per comparationem ad exercitium. Tertia, per comparationem ad partes. Quarta, per comparationem ad principantes & subiectos. Quinta per comparationem ad finem. Sexta, per comparationem ad ea quæ videmus in alijs totis. Prima via sic patet. Nam maior est vnitas vnius singularis hominis, quam totius domus, & domus quam vici, & vici quam ciuitatis, & ciuitatis quam regni. Constat enim domus ex pluribus personis, vicus ex pluribus domibus, ciuitas ex pluribus vicis, & regnum ex pluribus ciuitatibus. Si ergo tantum vniretur domus, quod omnes habitantes in ipsa fieret vna persona, iam non remaneret domus, sed fieret homo vnus aliquis singularis: sic si tantum vni- *Polit. 2. cap. 2.*

retur vicus, quod fieret vna domus, iam non remaneret vicus: eodem etiam modo si tantum vniretur ciuitas, & fieret vnius vicus vel vna domus, non vlterius remaneret ciuitas; requirit enim ciuitas aliquam diuersitatem, vltra quam si descendatur, perit esse eius. Dicere ergo in ciuitate vel in regno esse debere omnem vnitatem, est dicere ciuitatem non esse ciuitatem, & regnum non esse regnum. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur per comparationem ad exercitum, vel ad pugnationem. Nam vt dicitur 2. Polit. alterum est compugnatio, & alterum est ciuitas, nam hoc quidem scilicet compugnatio vtilis est secundum quantitatem, quamuis sit idem specie: est enim compugnatio auxilij gratia, sicut enim plures homines magis trahunt nauem, quantumcunq; illi plures sint eiusdem ritus & sint similes & conformes, sic plures homines magis bellant. Ciuitas autem non sic, sed constituta est ad sufficientiam vitæ. Quia ergo diuersis indigemus ad vitam, oportet in ciuitate diuersitatem esse. Tertia via declarans & manifestans vias prædictas, sumitur per comparationem ad partes. Nam sicut quia idem corpus diuersis indiget operibus, vt ambulatione, tactu, visione, & auditu; ideo oportet ibi dare diuersa membra exercentia diuersos actus: sic quia ad indigētiam vitæ indigemus domibus, vestimentis, & victualibus, & alijs huiusmodi; oportet in ciuitate dare diuersitatē aliqua, vt in ea reperiatur sufficiētia ad vitam. Sicut ergo si nō esset diuersitas in membris corporis, vt si omnia essent oculi, corpus imperfectum esset, quia licet videret, non posset audire, nec ambulare: sic si esset maxima conformitas in ciuitate, vt quod omnes essent textores vel coriarij, ciuitas imperfecta esset, quia ad sufficientiam vitæ non solum indigemus calciamentis, sed etiam indigemus victualibus, & domibus, & alijs quæ requiruntur ad vitam. Quarta via sumitur per comparationem ad principantes & subiectos. Nam cum ciuitas sit ordo ciuium ad aliquē prin-

cipantem vel dominantem, vt cum in ciuitate oporteat dare aliquos magistratus, & aliquas præposituras, quod non esset, nisi ibi aliqui essent dominantes, & aliqui subiecti. quare cum hoc diuersitatem requirat, oportet in ciuitate dare diuersitatem aliquam. Quinta uia sumitur per comparationem ad finem. Nam finis ciuitatis est bene viuere, & habere sufficientiam in vita; nam ciuitas est cõmunitas habens terminum omnis per se sufficientiæ vitæ: sed vt dictum est ad sufficientiam vitæ requiruntur diuersa, ideo oportet ciuitatem habere aliquam diuersitatẽ in se, & diuersos habere vicos, vt expediens ad vitam quod non reperitur in vno vico, reperiatur in alio. Sexta via sumitur per comparationem ad alia tota. vt nunquã melodia; quæ est multitudo vocum, est bene proportionata, si sint omnes voces æquales: sed ad rectam consonantiam oportet ibi dare diuersitatem tonorum. sic pictura nunquam est bene ordinata, nisi ibi sit diuersitas colorum. sic & ciuitas nunquam bene ordinata erit, nisi sit ibi diuersitas officiorum. Decet ergo hoc Reges, & Principes cognoscere, quod nunquam quis bene nouit regere ciuitatem, nisi sciuerit qualiter constituitur; & nisi cognoscat quòd oportet in ea diuersitatem esse.

Pol. 2. cap. 4.

Quòd non expedit ciuitati omnia sic esse communia, vt Socrates ordinauit: & quod Reges, & Principes hoc decet cognoscere. Cap. IX.

SErmo in principijs debet esse longus, eo quod paruus error in principio, maximus est in fine. Diu ergo sunt principia pertractanda, & longis sermonibus sunt excutienda, ne circa ipsa contingat error. Quare cum in regimine ciuitatis primo sit politia ordinanda, diu inuestigandum est, qualiter ciuitatem oportet esse vnam, & quam diuersitatem habere debet, & quomodo ciues decet se habere ad inuicem, quibus communicare debent, verum omnia deberent esse communia, & quid debeant habere proprium. Hæc enim sunt quasi principia & quasi quædam præambula ad sequentia. Volumus autem in hoc capitulo ostendere, quod non expedit ciuitati habere omnia communia vt Socrates ordinauit: nec sequerentur illa bona quæ opinabatur Socrates, si sic ordinaretur ciuitas: credebat enim si essent communes possessiones, uxores, & filij, cessarent litigia, quia crederent ciues omnes pueros esse filios suos, & sic esset in ciuitate maximus amor. Possumus ergo triplici uia ostendere, quod hoc non expedit ciuitati. Primo, quia non cessarent litigia. Secundo, quia ciues non reputarent omnes pueros proprios filios. Tertio, quia inter eos non esset magnus amor. Prima uia sic patet. nam quantumcunq; possessiones essent communes, usus tamen pertinentium ad uictum esset proprius: nam sicut fieri non potest, quòd ex omnibus ciuibus fiat unum corpus realiter; ita esse non potest, quod ille idem cibus qui nutrit corpus unius ciuis, nutriat corpus alterius. existentibus ergo possessionibus communibus oporteret cuilibet distribui quæ requiruntur ad sup-

plendam indigentiam corporalem: & quia homo nimis decipitur in proprio commodo, semper uidetur ei se plus debere recipere quam accipiat. Immo quia impossibile est omnes ciues æqualiter esse prudentes & bonos, & esse æqualiter utiles ciuitati, statim insurgeret rixa inter ciues, quia quilibet crederet plus esse accepturum: ut dum unus ciuis iudicaret se meliorem alio, uellet secundum dignitatem suam ei fieri retributionem. Hanc autem æqualitatem non de facili esset possibile reseruari inter ciues absque dissensione & lite, quia quilibet deceptus in iudicando de seipso, appreciatur se plus ualere quam ualeat. communitas ergo possessionis quam ordinabat Socrates ad uitandum lites, potius esset causa litigij quam pacis: nam (ut supra in secundo libro tetigimus) hæc est uita perfectorum, non habere proprium: perfecti autem sunt pauci. Lex ergo imponenda omnibus ciuibus & toti populo debet esse talis, secundum quam homines communiter possint uiuere. Vnde & Philosophus ait in Politicis ciues non esse applicandos legibus, sed leges ciuibus. Tales enim debent esse leges, & talis debet esse ordinatio ciuitatis, quæ competat omni populo & communi uitæ: cuiusmodi non fuit ordinatio Socratis, quia inter gentes communiter uiuentes absque multis litigijs obseruari nó posset. Dato tamen communitatem possessionum posse obseruare absque litigijs, communitatem tamen fœminarum, propter quam uolebat Socrates filios esse communes, non est possibile obseruare absque litigijs. Secunda uia sic patet: nam si omnia sic essent communia, non oporteret ciues omnes pueros reputare filios proprios. immo quia puerorum aliqui essent similes aliquibus ciuibus, & aliqui alijs, quilibet ciuis appropriaret sibi in filium, quẽ uideret sibi esse similẽ. Vnde & Philosophus narrat 2. Politicor. quod apud quasdam gentes, vt in superiori Libia, vxores sunt communes: filios tamen ciues diuidunt secundum similitudinem. quilibet enim appropriabat sibi

Polit. 2. cap. 2.

in filios, quos videbat ei esse similes. Nam & in alijs animalibus hoc contingit, quia multæ fœmelle reddunt filios similes patribus; quemadmodum in terra Pharsaliæ quædam equa (vt Philosophus recitat) semper reddebat filium similem patri, propter quod vocata est Iusta. Non ergo supposita communitate vxorum esset bonum illud quod opinabatur Socrates, videlicet, vt ciues omnes pueros crederent esse proprios filios. Tertia via sic patet. nã supposita communitate vxorum non esset tantus amor in ciuitate vt opinabatur Socrates: nam modica coniunctio plus inducit de amore, si sit certa & nota, quam multa, si sit ignota & dubia. licet enim maior sit coniunctio patris ad filium, quam patrui ad nepotem: plus tamen patruus diligeret nepotem, si firmiter crederet ipsum esse talem; quam pater filium, si rationabiliter dubitaret se eum genuisse. Nam plus est modò de dilectione in ciuitate, vt Philosophus innuit 2. Politicor. quia vnus diligit alium tanquam filium, alius tanquam fratrem, alius tanquam nepotem, alius tanquam fratruelem (appellat autem Philosophus fratueles qui sunt ex duobus fratribus nati) alius vero diligit ipsum tanquam contribulem idest tanquam natum ex eadem tribu) vel secundum aliquam aliam consanguineitatem, quam fuerit dilectio quam ponebat Socrates. Modica enim consanguineitas, si sit nota & certa, maiorem dilectionem causat, quam filiatio, si sit dubia & ignota. communitas ergo illa, quam ponebat Socrates, non est expediens ciuitati. Decet autem hoc Reges, & Principes diligenter aduertere, vt sciant sic ciuitatem ordinare, vt expedit communitati ciuium.

Quæ mala consequuntur, si in ciuitate vxores & filij ponantur esse communes.
Cap. X.

PHilosophus 2. Polit. probat multa mala sequi in ciuitate, si vxores & filij ponantur esse communes. Quantum auté ad præsens spectat, enumerare possumus quinque mala, quæ Philosophus tangit ibidem sequentia ex tali communitate. Primum est, iniuria cósanguineorum. Secúdum, vilificatio nobilium. Tertium, iniuria filiorum. Quartum, intemperantia venereorum. Quintum, abusio parentum. Primum sic patet: nam oportet in ciuitate consurgere lites, vulnerationes, & contumelias, quæ tanto detestabiliores sunt, quanto committuntur in personam magis coniunctam. expedit ergo ciuitati propter honestatem & bonitatem morum parentes esse certos de suis filijs, & quoslibet certificari de eorum consanguineis, ne propter ignorantiam filij in proprios parentes & consanguineos inter seipsos iniurias & contumelias inferant. quare cum communitas vxorum, quam Socrates ordinauit, collat certitudinem filiorum & notitiam consanguineitatis, non est commendanda: quia ex hoc consequitur aliquos de facili propter ignorantiam iniurari consanguineis suis. Secundum malum sic ostenditur. nam supposita communitate vxorum & filiorum sequeretur vilificatio nobilium, & exaltatio agricolarum, & personarum vilium. nam esse non potest vxores & filios communes, nisi æqualis cura geratur de filijs nobilium, & custodum ciuitatis, quæ geritur de filijs agricolarum & personarum vilium. quare filij nobilium deprimuntur, & vilium exaltabátur. non ergo erit amicitia inter ciues, quia secundum Philosophum in Ethic. proportionale & æquale

Polit. 2. C. 2. 3.

8. Eth. cap. 14.

æquale amicitiam soluit. cum ergo boni & nobiles sint supra viles & ignobiles, tunc est amicitia inter eos, quando quilibet se habet secundum proportionem suam, vt quando ignobiles seruient nobilibus, & nobiles eis retribuunt mercedem secundum proportionem seruitij. Velle ergo filios ciuium communes esse, & æqualem curam geri de filijs nobilium & ignobiliũ, est vilificare nobiles, & exaltare ignobiles, & non saluare amicitiam inter eos. Tertiũ malum sic declaratur. nam supposita prædicta communitate, sequeretur in curia filiorum nam vt dicit Philosophus 8. Ethic. multis esse amicum secundum perfectam amicitiam non contingit, nec contingit multas personas simul amare valde. nam valde amare, dicit quandam superabundantiam. Superabũdantia quidem magis est apta nata esse ad vnum quam ad multos. vnde in eodem 8. concludit Philosophus, quod multis placere valde, non est facile. Quare si quilibet ciuis crederet quemlibet puerorũ esse proprium filium, quia partiretur eius amor in tantã multitudinem, modicũ diligeret vnumquemque, & modicum curaret de vnoquoque. Immo quilibet ciuis, nisi esset fatuus, nullo modo suspicari posset omnes pueros esse suos filios. si ergo omnes diligerent tanquam filios, hoc esset ratione duorum vel trium puerorum, quos crederent esse proprios filios: & quia illi non essent eis certitudinaliter noti, opinabatur Socrates quod omnes alios intime diligerent propter illos. Sed vt arguit Philosophus 2. Politic. propter duos vel tres vel propter paucos pueros velle magnam multitudinem diligere puerorum tanquã proprios filios, hoc est ponere parum de melle in multa aqua. Sicut ergo parum mellis totum vnum fluuium non posset facere dulcem, sic amor duorum vel trium filiorũ innumerabilem multitudinem puerorum existentium in ciuitate vna, non posset reddere placibilem & dilectam. Sed non existente dilectione ciuium ad pueros, non habebitur eorum cura debita: sequitur quod supposita commu-

nitate,

nitate, quam ordinauerat Socrates, non habeatur debita cura, nec diligentia debita erga filios. Quartum malum sic ostendi potest. quia virtus generatiua est ita corrupta, & sic est insatiabilis concupiscentiæ appetitus, quod non habente viro nisi vnam vxorem, adhuc est valde difficile debite & temperate se habere erga illam. Sicut ergo prouocata gula per multitudinem ciborum difficile est esse abstinentes, sic prouocatis venereis per multitudinem fœminarum difficile est & quasi impossibile est esse temperatum. Quintum autem malum sic manifestari potest. nã non habentibus parentibus cognitionem de proprijs filijs & filiabus, de leui fieret abusus parentum & consanguineorum, vt quod filij cognoscerent matres, & patres filias. Socrates volens hoc inconueniens vitare, dixit, quod spectabat ad Principem ciuitatis habere curam & diligentiam, ne filij coirent cum matribus, & patres cum filiabus. Sed ait Philosophus, hoc non sufficit, quia si filij & filiæ communes erant, & non iudicabantur eis proprij parentes, dato quod prohiberetur filio actus venereus circa matrem, & patri circa filiam, non prohibebatur eis amor libidinosus & concupiscentia, ex quo non manifestabatur eis parentela illa. quare cum in personis tam coniunctis non solum detestabilis sit actualis commistio, sed etiam abominabilis sit concupiscentia & amor libidinosus, reprehẽsibilis erat opinio Socratis de communitate vxorum & filiorum. Decet ergo Reges & Principes sic ordinare ciuitatem, vt prohibita communitate fœminarum & vxorum certificentur parentes de proprijs filijs.

Quo-

Quomodo expediat ciuitati possessiones esse proprias, & non communes.
Cap. XI.

Polit. 2. cap 3. ESse res communes, vt ait Philosophus 2. Politic. Tripliciter potest intelligi. Nam in rebus deseruientibus ad victum est considerare duo: videlicet res fructiferas, vt agros, vineas, arbores: & fructum qui oritur ex talibus rebus, vt vinea, frumenta, poma. Quare si fit communitas ciuium erga talia, vel erunt communes res fructiferæ, & diuidentur fructus: vel possessiones erunt propriæ, & fructus redigentur in commune, quod antiquitus (vt recitat Philosophus) apud quasdam nationes fiebat: vel vtrunque erit commune tam res fructiferæ quã fructus, vt Socrates ordinauit: volebat enim vt superius tangebatur, quod si nihil esset proprium in ciuitate nec possessiones nec fructus ne filij nec vxores, quod nulla dissensio oriretur in ciuitate. Videtur autem hæc ordinatio Socratis (vt Philosophus aic) superficietenus considerata valde expediens ciuitati: cum enim quis audit ciuitatem sic ordinatam esse vbi est tanta communitas ciuiũ, reputat eam felicem esse, & existimat ciues se maxime diligere, & absque litigio viuere, inter quos tanta communitas obseruatur. sed vt dicitur secundo Politicorum in actibus particularibus oportet ad experientiam recurrere: experti enim sumus quod habentes aliqua communia, plura litigia inter se habent, quam si quilibet propria possideret. Possumus autem triplici via inuestigare, quod si res ciuium communes essent, plura litigia in ciuitate consurgerent, quam si gauderent possessionibus proprijs. Prima via sumitur ex parte possessionum communium. Secunda ex parte communicantium in rebus illis. Tertia ex parte imparitatis Ciuium. Prima via sic patet.

tet. nam cum aliquid est cõe aliquibus, cum vnus ab vsu & fructu illius rei communis propter alium impeditur, consurgit lis & discordia inter eos. Videmus enim fratres vterinos propter hæreditatem quam communẽ habent, multa habere litigia, dum vnus hæreditate illa non vtitur prout alteri expedire videtur. Si ergo fratres vterini qui pauci sunt & firmiter credunt se esse tanta consanguinitate coniunctos, multa habent litigia, quia hæreditatem habent cõem: quanto magis inter ipsos ciues, si omnia eis essent cũmunia, multa orirentur litigia, cum ipsi multi sint & diuersarum voluntatũ, nec sit inter eos tanta coniunctio consanguinitatis, sicut inter vterinos fratres. nã & si fieret vt Socrates dicebat, quod omnes ciues propter communitatem mulierũ & vxorum crederent se esse consanguinitate coniunctos; attamen inter eos secundũ rei veritatem non esset tanta consanguinitas, sicut inter fratres vterinos. Immo illa consanguinitas, quæ inter illos existeret, certa & nota esse non posset, vt in præhabitis probabatur. Si ergo certa consanguinitas non tollit dissensionem paucorum habentium hæreditatẽ communem, multo magis infra huiusmodi dissensionem non posset tollere inter multos, vt inter omnes ciues. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte communicantium in hæreditate communi. nam quãto aliqui plura habent communia, tanto magis ad inuicem conuersantur: sed cum esse non possit, aliquos valde & diu conuersari ad inuicem, nisi inter eos litigia oriantur, ex parte ipsorum communicantium in hæreditate communi, eo quod oporteat eos valde ad inuicem conuersari, ostenditur vt plurimum homines habere lites & iurgia propter quod Philosophus ait 2. Polit. quod ab ipsis famulis, quibus plurimũ indigemus propter ancillares administrationes, maxime offendimur, & indignamur erga illos, q̃a oportet nos habere ad illos multa colloquia, & diu cõuersari cũ illis. Quare si inter dominos & famulos quos habẽt

ita

ita subiectos propter diuturnam conuersationem tot litigia oriuntur, quanto magis orirentur inter ciues quorũ vnus alteri subesse non vellet, si haberent hæreditatem cómunem, & si oporteret eos valde ad inuicem conuersari. Tertia via sumitur, ex parte imparitatis ciuium. nam si omnibus ciuibus essent hæreditates communes, quia valde difficile esset & valde sumptuosum tantam multitudinem extraneorum quærere qui possent tantam terram colere: expediret ciuitati sic diuidi, vt aliqui ciuium terram colerent, aliqui vero insisterent circa custodiam ciuitatis, quæ & Socrates concedebat. cum ergo custodes ciuitatis nobiliores sint agricolis, tanquam meliores & nobiliores estimarent se plus esse accepturos de fructibus possessionum, quam illi. Insurgeret igitur dissensio inter eos, quia agricolæ magis laborantes circa possessiones, minus de fructibus caperent. Considerata ergo infirmitate hominum, & diligenter viso, quod communiter populus à via perfecta deuiare, expedit ciuitati, ne inter ciues oriantur dissensiones & iurgia, non sic esse possessiones communes, vt Socrates statuebat. Via autem Philosophi, si consideretur modus & status hominum, est expeditior ciuitati: ait enim possessiones & res ciuium debere esse proprias, & communes, proprias quidem quantum ad dominium, communes vero propter virtutem liberalitatis. Diligenter igitur inspecta humana conditione, prout communiter populus obseruatiuus est legum & laudabilium ordinationum, expedit cuilibet habere res & possessiones proprias quantum ad dominiũ: nam quilibet dominans bonis proprijs adhibebit debitam diligentiam circa illa. Expedit autem talia esse communia secũdum liberalitatem: quia ciues inter se debent liberales esse, communicando sibi inuicem propria bona. Vnde & apud Lacedæmones, vt recitatur secundo Politic. tanta erat liberalitas, quod licet quilibet haberet propria bona quantum ad dominium, tamen propter liberalitatem

quantum

quantum ad vſum erant illis ciuibus communes ſerui, & equi, & canes: quilibet enim ciuium cum indigebat, abſque alia requiſitione vtebatur alterius equis, canibus, & ſeruis.

Quod Reges, & Principes non debent diſponere ciuitatem ſic, quod mulieres ordinentur ad opera bellica, vt Socrates ſtatuebat. Cap. XII.

VT in præcedentibus dicebatur, Socrates ſtatuit mulieres inſtruendas eſſe ad opera bellica, & debere bellare, ſicut & viri: aſſumens exemplum ex beſtijs, ex quibus tam mares quam fœminæ bellant. Sed quod Reges & Principes, & vniuerſaliter illi quorum eſt ciuitatem diſponere, non debeant ordinare mulieres ad opera bellica, ſed viros, triplici via venari poſſumus, ſecundum tria quæ requiruntur ad bellum. Homines enim bellatores decet eſſe mente cautos & prouidos: corde viriles & animoſos: corpore robuſtos & fortes. Cautela enim & prouidentia eſt neceſſaria in bellis. nam aliquando propter cautelas adhibitas plus ſuperantur hoſtes ex ſagacitate quam ex fortitudine: pauci enim bellatores ſi ſint ſagaces & induſtres ſuperant multos non fortitudine ſed prudentia. Mulieres ergo, quia habent conſilium inualidum, & ab vſu rationis deficiunt, nec ſunt ita induſtres & prouidæ ſicut viri, non ſunt ordinandæ ad opera bellica. Nam in bellis magna cautela & induſtria eſt adhibenda, quia ſecundum Vegetium in De re militari, ſi alia male acta recuperari poſſunt; caſus tamen bellorum irremediabiles ſunt. ex ipſa igitur induſtria, quæ requiritur in bellantibus, arguere poſſumus mulieres inſtruendas non eſſe ad opera bellica. Secunda via ad inueſtigandum hoc idem, ſumitur ex virilitate & animoſitate, quæ requiritur in bellan-

Eth. 3. cap. 6. bellantibus. nam vt dicitur 3. Ethic finis & terminus omnium terribilium, est mors: opera ergo bellica requirunt hominem inpauidum & animosum, eo quod bellantes opponant se periculis mortis: mulieres autem communiter sunt pauidæ & inuiriles, quod contingit eis tam ex fragilitate corporis quam ex frigiditate complexionis: nam (vt dicebatur supra) frigiditas viam timori præparat; frigidi enim est costringere & retrahere; animosi vero & virilis est ad alia se extendere, calor enim reddit habentem animosum & virilem, frigiditas vero timidum & pusillanimum. quare mulieres, quæ sunt pauidæ & pusillanimes, ad opera bellica destinari non debent. In bellis enim melius est pauidos expellere, quam eos in societate habere nam cum humanum sit timere mortem, viriles etiam & animosi trepidant videntes timidos trepidare: ne igitur reddantur bellantes pusillanimes, quos constat esse timidos oportet ab exercitu expelli. Tertia via sumitur ex parte fortitudinis corporalis. nam cum bellantes oporteat diu sustinere armorum pondera, & dare magnos ictus, expedit eos habere magnos humeros & renes ad sustinendum armorum grauedinem, & habere fortia brachia ad faciendum percussiones fortes: mulieres igitur eo quod habent carnes molles & deficiunt à fortitudine corporali, ad opera bellica ordinari non debent. Ratio autem quæ mouit Socratem ad hoc ponendum sumpta à similitudine bestiarum, insufficiens est: quia secundum Philosophũ 2, Poli bestijs nihil attinet œconomice, nec participant ratione. Hominis ergo est secundum debitam œconomiam & secundum debitam dispensationem ordinare domum & ciuitatem. quare in ijs, in quibus bestiæ præter rationem agunt, eas sequi non debent.

Quod

Quod Reges & Principes non sic debent disponere ciuitatem, vt semper idem in eisdem magistratibus præponantur. *Cap. XIII.*

DIcebat Socrates semper eosdem debere esse Principes in ciuitate. Loquebatur enim de principatu prout sumitur pro quolibet dominio, vel pro quolibet magistratu, siue pro qualibet præpositura. Possumus autem triplici via ostendere, quod non sit expediens ciuitati semper præponere eosdem in eisdem magistratibus. Prima via sumitur ex parte regiæ maiestatis, vel cuiuscunque alterius cuius est tales dignitates tribuere. Secunda ex parte ipsorum præpositorum. Tertia ex parte ciuium. Prima via sic patet. nam vt dicitur 5. Ethic. principatus virum ostendit. prius enim quam assumantur homines ad aliquam dignitatem, non sic manifestatur eorum bonitas & malitia. nam quia persona priuata non sic potest iniustificare, vt publica & habens potestatem; & quia non tot oculi respiciunt personam priuatam quam publicam, non scitur qualis sit vir, donec est persona priuata non habens potestatem, sicut cognoscitur postquam ad aliquam præposituram vel ad aliquem magistratum assumitur. Quare cum deceat regiã maiestatem & vniuersaliter omnem ciuem, cuius est magistratus & præposituras distribuere, cognoscere quales præficiant præpositos & magistros; si principatus & magistratus & vniuersaliter quælibet præpositura virum ostendit & manifestat, expedit tribuentem præposituras & magistratus super ciues prius experiri quales sint, quos præfecit in præpositos vel magistros, & postea experimento assumpto debet eos in dictis officijs affirmare, vel ad maiora assumere prout ei videbitur melius expedire. Secunda via

Eth. 5. cap. 1.

Ee ad

ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte ipsorum præpositorum. nam multa mala & multas iniustitias cōmitterent præpositi ciuitatem, si scirent se esse perpetuò tales, à quibus cauerent si considerarent se esse ab huiusmodi officio remouendos. Tertia via sumitur ex parte ipsorum ciuium, quibus huiusmodi præpositi præponuntur. Nam sicut medici non est consiliari de sanitate, sed eius est intendere sanitatem tanquam finem: sic cuius est ciuitatem ordinare, non est consiliari de pace & de concordia ciuium. nam vt dicitur 3. Ethic. consilium non est de fine, sed de ijs quæ sunt ad finem. pacem enim & concordiam ciuium debet intendere rector ciuitatis tanquā finem. sic ergo disponenda est ciuitas, vt conseruetur in pace, & vt ibi seditiones non insurgant. Mutare autem aliquando magistratus & principatus, & distribuere eos diuersis personis, vt innuit Philosophus 2. Polit. videtur facere ad quietum & pacificum statum ciuium. nam si spretis alijs semper ijdem in magistratibus & præposituris præficiantur, alij videntes se esse despectos ad seditionem consurgunt, & ciuitatem turbant. Hanc autem tertiam rationem improbantem ordinationem Socraticam tangit Philosophus 2. Poli. cum ait, Socrates semper facit eosdem Principes. quod est seditionis causa apud nullam dignitatem possidentes: videntes enim nullam dignitatem possidere, si contingat eos esse viriles & animosos, seditiones mouent.

Polit. 2. Cap. 3.

Quòd

Quod non sic ordinanda est ciuitas, sicut Socrates statuebat. Cap. XIV.

QVia credimus Philosophos determinantes de Politijs, & de ordine ciuium, nō sine ratione locutos fuisse: ideo bene se habet eorum opiniones tractare, non ostentationis causa, sed quia hoc requirit præsens methodus, quam intendimus tradere de regimine ciuitatis, & regni. Viso enim quid circa hoc senserunt Philosophi, & pertractatis eorum opinionibus, clarius apparebit quid circa huiusmodi regimen sit censendum. Quare cum patefactum sit in præcedentibus, non expedire ciuitati possessiones, vxores, & filios esse communes, vt Socrates statuebat; nec esse decens, mulieres ordinari ad opera bellica; nec esse vtile, eosdem semper in eisdem magistratibus præfici, vt Socrates statuisse videbatur. Restat ergo exequi de iussione & ordine ciuitatis, quam Socrates ordinauit. Dicebat enim Socrates, vt supra tangebam, ciuitatem quinque in se debere habere. videlicet Principem, cōsiliarios, bellatores, artifices, & agricolas. Volebat enim bellantes esse partem ciuitatis distinctam ab alijs ciuibus. Numerum autem bellantium statuebat, dicens, in qualibet ciuitate debere esse ad plus quinque millia, ad minus mille. Huiusmodi autem statutum quantum ad bellatores tripliciter improbari potest, secundum tria quæ de ipsis bellantibus Socrates statuebat. Primo enim dicebat eos esse alios & distinctos ab alijs ciuibus. Secundo statuebat magnam multitudinem bellatorum. Tertio ponebat eos in quodam determinato numero. Prima via sic patet. nam semper bonum commune præponendum est bono priuato: naturale enim est partem se exponere periculo pro toto, vt brachium statim exponit se periculo pro defensione corporis, præter ergo ordinē naturalem

2. Polit. cap. 4.

agit quilibet ciuis, si non exponat se periculo pro defensione patriæ. non ergo sic separandi sunt bellatores ab artificibus & ab alijs ciuibus, quod ciues alij pro defensione patriæ bellare non oporteat. melius est ergo dicere in ciuitate tot esse bellatores & defensores patriæ, quot sunt ibi ciues valentes portare arma, quam seperare bellatores ab alijs ciuibus. Secunda via sic patet, nam constituere tantam multitudinem bellatorum in qualibet ciuitate vt quinque milia, vel etiam mille, esse valde difficile & onerosum ipsis ciuibus. Onerosum enim & difficile esset ciuibus vnius ciuitatis sustentare mille viros in stipendijs communibus, quorum nullum esset aliud officium, nisi bellare, cum adesset oportunitas: & onerosius & quasi omnino importabile esset sustentare sic quinque milia: oporteret enim ciuitatem illam habere possessiones quasi ad votum, vt posset ex communibus sumptibus tantam multitudinem pascere. propter quod Philosophus 2. Politicorum reprehendens Socratem de huiusmodi ordine ciuitatis, ait, quod oportet ciuitatem illam sic institutam esse in regione Babilonica, vbi forte propter magnitudinem desertorum est magnum spatium terrarum, ex quo posset magna multitudo pasci. Difficile est enim, vt Philosophus innuit, præter ipsos ciues & præter mulieres, famulos & liberos, pascere tantam multitudinem bellatorum. Tertio delinquebat Socrates in ordinando ciuitaté, in constituendo determinatum numerum bellatorum. nã secundum Philosophum secundo Politicorum, volens ponere leges vel facere ordinationem aliquam in ciuitate, ad tria debet respicere. scilicet ad homines, ad regionem, & ad loca vicina. Si quis ergo vellet præter ciues statuere aliquos bellatores viuentes ex communibus fructibus ciuitatis, ad tria deberet respicere. Primo ad ciues: nam si ciues ipsi essent pusillanimes & inutiles ad bellũ, indigeret maiori copia bellatorum sic se habentium. Secundo inspiciendum esset ad regionem: nam quanto ciuitas

Polit. 2. Cap. 4.

uitas illa maiori regione & maiori terrarum spatio potiretur, tanto sustentare posset maiorem numerum bellantium. Tertio aspiciendum esset ad loca vicina, vt vtrũ ciuitas illa haberet circa se vicinos amicos vel inimicos, pusillanimes vel viriles. nam variatis conditionibus vicinorum, oportet aliter & aliter determinare de conditionibus bellantium. Quare cum ars & scientia non possit esse circa particularia signata, volens tradere artem de regimine ciuitatum, non potest statuere determinatum numerum bellatorum: sed talia relinquenda sunt iudicio prudentis rectoris considerantis conditionem ciuium, modum regionis, & circumstantias vicinorum.

Quomodo positio Socratis circa regimen ciuitatis trahi possit ad bonum intellectum. Cap. XV.

NArrabatur autem supra, quod Socrates & discipulus eius Plato dixerunt, ciuitatem sic esse regendam & gubernandam, vt ciuibus communes essent vxores, & filij, & possessiones. Quod si intelligitur vt verba sonant, stare non potest, vt est per habita manifestum. Quia modus fuit Platonicorum metaphorice loqui quem modum loquendi forte ipse Socrates habebat, cũ Plato eius discipulus fuisset. Si volumus non vt verba sonant intelligere dicta Socratica, saluare poterimus positionem eius. Omnia enim esse ciuibus communia secundum rei veritatẽ non possibile neque utile: tamen secundum amorẽ, & dilectionem debet ibi saluari cõmunitas. Sicut enim quilibet ciuis debet diligere ciues alios, sicut seipsum: sic debent diligere uxores, filios, & possessiones aliorum, sicut & proprias: Hoc ergo modo ciuibus omnia debent esse cõ-

munia,vt quilibet intẽdat bonum commune & bonũ omnium,& sit solicitus (cum adest facultas) de rebus aliorum,ac si essent suæ.In vxoribus autem ex filijs debet reseruari communitas quantum ad amorem: sed in possessionibus non solum debet reseruari communitas quantũ ad amorem vt quod omnes ciues communiter bonum diligant vniuscuiusque ciuis,sed etiam quantum ad communicationem & quãtum ad liberalitatem: quia quilibet ciuis debet alijs ciuibus (vt dictat ratio) bona sua communicare.Saluauimus igitur dictum Socraticum quantũ ad communitatem ciuium : sic etiam saluare possumus dictum eius quantum ad vnitatem ciuitatis.Nam cum dixit ciuitatem debere esse maxime vnam,forte non intellexit de vnitate habitationis , vt quod omnes ciues habitare deberent in vna domo,ita quod in ciuitate non essent plures domus vel plures vici:nec de vnitate artificum,vt quod non essent in ciuitate diuersæ artes, vel diuersi artifices:nec de vnitate eorum quæ requiruntur ad sufficientiã vitæ,vt quod non essent in ciuitate plura & diuersa prout requirit indigentia vitæ . Sed forte vnitatem huiusmodi ad amorem & dilectionem referre volebat, vt quod tunc esset ciuitas optima, quando ciues se amando & diligendo maxime vnirentur . Sic ergo exposita mente Socratis de communitate rerum & de vnitate ciuium, verum est quod ipse opinabatur,quod in ciuitate esset maxima pax, & non orirẽtur ibi litigia. nam proprius amoris effectus, esse videtur pax,& concordia. Quod vero Socrates addebat de mulieribus,quod ordinandæ essent ad opera bellica.saluari potest non intelligendo hoc simpliciter , sed in casu.Posset enim casus contingere,quod & mulieres bellare oporteret . Multotiens autem circa partes Italiæ hoc contigit,quod viris deserentibus ciuitatem,& euntibus in exercitium supra ciuitatem aliquam , dum viri etiam in exercitu existerent , inuasa est eorum ciuitas ab hostibus , propter quod oportuit & mulieres propter penu-

riam ciuium defendere ciuitatem. Quod autem vlterius addebat, quod semper oportet eosdem in magistratibus præferri, vt quod semper debent esse idem præpositi & baliui: forte sic debet intelligi, vt semper principentur ijdem, idest ornati eisdem virtutibus. Quod autem ciuitatem diuidebat in agricolas, artifices, & bellatores, volens ciuitatem ad minus mille continere bellatores. forte per bellatores intendebat nobiles, quorum non est manibus operari. Cum enim in ciuitate quidam manibus opererentur vt colentes terram, & artifices: quidam vero non, vt nobiles: hi videlicet nobiles potissime debent defendere patriam, & eorum maxime est vacare circa armorum industriam. Volebat ergo Socrates politiam aliquam non debere nominari ciuitatem, nisi saltem contineret mille nobiles, quos per quandam excellentiam vocabat bellatores.

Quomodo Philosophus Phaleas statuit ciuitatem ordinandam esse. Cap. XVI.

PRæter Socratem & Platonem quidam alius nomine Phaleas, vt narrat Philosophus 2. Politicorum intromisit se de ordine ciuitatis, statuens quomodo posset optime politia ordinari. Dicebat autem, quod inter cætera quæ debet intendere legislator & rector politiæ, est, quomodo ciues habeant possessiones æquatas. Volebat enim tunc esse ciuitatem optime ordinatam, si nullus ciuium haberet plures redditus, vel maiores possessiones, quam alter. quod vt dicebat à principio quando ciuitas constituitur, faciliter fieri poterat: quia viso numero ciuium & computata multitudine camporum, de facili rector ciuitatis posset diuidere æqualiter possessiones illas inter ciues. Sed ciuitate iam constituta, & ciuibus iam habentibus

Pol. 2. cap. 5.

possessiones inæquales, difficilius erat hoc ad æqualitatẽ reducere. Statuit enim Phaleas ciuitatis rectorẽ hoc modo reducerę hanc inæqualitatẽ ad æqualitatem mediantibus dotibus, statuendo quod pauperes contrahant cum diuitibus: & in contrahendo accipiant dotes, & non dent. pauperes ergo accipiendo magnas dotes à diuitibus poterunt æquari eis in possessionibus. Potuit autem Phaleas triplici via moueri ad hoc statuendum Primo quidem moueri potuit, vt cessarent litigia. Secundo, vt remouerentur iniuriæ & contumeliæ. Tertio, ex his quæ videbat in politijs alijs. Prima via sic patet, nam ciues valde litigant pro possessionibus: sunt enim cõiter nimis cupidi ad habendum redditus, & possessiones; vnde & propter hoc multa litigia oriuntur. quare si ciues haberent possessiones æquales, & scirent se non posse excedere suos cõciues in possessionibus, frustra propter hoc insurgerent lites & placita. nam dato quod alter litigantium causam obtineret, non multũ ex hoc gaudere posset, quia oporteret ipsum per dationẽ dotium æquari in possessionibus alijs ciuibus. Sic etiam perdens placitum, non multum amitteret: quia accipiẽdo dotes, æquaretur alijs in diuitijs. viderentur ergo omnino cessare placita, si ciues haberent possessiones æquatas. Secunda via sumitur, vt tollantur de ciuitate iniuriæ & contumeliæ. nam ex eo quod ciues libenter sibi possessiones appropriant, dicente, Hoc est meum, non solum insurgunt lites & placita; sed etiam iniuriæ & contumeliæ. nam pro acquirendis possessionibus inferunt sibi ciues iniurias & contumelias in personis proprijs. fiunt autem in ciuitate furta, rapinæ & homicidia propter cupiditatem possidendi diuitias. quare si ciues non possent se excellere in possessionibus, & haberent æquales diuitias, vt videtur, omnia hæc cessarent. Tertia via sumitur ex his quæ videbat in ciuitatibus alijs. nam in multis politijs bene ordinatis magna cura fuit legislatoribus de possessionibus ciuium: ideo Phalas forte mo-

Pol. 2. cap. 5.

nus ex his quæ videbat in politijs alijs, statuit potissime curandum esse de possessionibus ciuium, volens eos æquatas possessiones habere.

Quòd non oportet possessiones in ciuitate esse æquatas, vt Phaleas statuebat. Cap. XVII.

SI considerentur dicta Philosophi 2. Politicorum, quantum ad præsens spectat, possumus triplici via venari, quod non oportet possessiones æquatas esse, vt Phaleas statuebat. Prima via sumitur ex parte procreationis filiorum. Secunda, ex parte iniuriarum. Tertia, ex parte virtutum, quas decens est habere ciues. Prima via sic patet. nam ad rectum regimen ciuitatis non potest imponi lex, vt ciues habeant possessiones æquatas, nisi statuatur quod habeant æquales filios: frustra enim ponitur lex quæ conseruari non potest. nam secundum Philosophum 4. Politicorum non solum debet esse cura quòd leges instituantur, sed etiam quod legibus obediatur, & quod leges obseruentur. Quare si singuli ciues possessiones æquatas habeant, & vnus habeat plures filios quam alter, succedentibus filijs in hæreditates parentum soluta erit lex Phaleæ. quare non habebunt possessiones æquales. Cum ergo quanto aliquid in plures partes diuiditur, tanto minus percipiat vnusquisque de illo, esse non potest, quòd semper ciues habeant possessiones æquatas, nisi totidem filij procedant ab vno ciuium, quot procedunt ab alio: sed quia aliqua connubia sunt omnino sterilia, aliqua vero sunt foecundiora quam alia, non est possibile statuere in ciuitate omnes ciues habere æqualem numerum filiorum. propter quod ex parte procreationis prolis manifeste ostenditur prædictam legem non esse congruentem; eo quod congrue obseruari non possit.

Polit. 2. cap. 5.

Polit. 4. cap. 8.

Secun-

Secunda via sumitur ex parte iniuriarum, quæ possunt in ciuitate consurgere, quas legislator summo studio cauere debet. Spectat enim ad principem, omnem curam habere ne ciues sint insolentes, & ne sibi inuicem iniurias inferant: sed si in ciuitate statuitur pauperes æquari diuitibus in possessionibus, accipiendo magnas dotes ab eis, & non dando dotes illis, contingit multotiens diuites fieri pauperes, & econuerso. Nam si diuites aliqui plures habent filios quam pauperes, diuiditur possessio diuitum in plures partes, quam pauperum: & filij diuitum pauperiores erunt, quam filij pauperum. Ex hoc autem dupliciter contingent iniuriæ, & iurgia in ciuitate. Primo quia pauperes cum ditantur nesciunt fortunas ferre, vt plane ostendit Philosop. 2. Rhet. Iniuriabuntur ergo alijs. Filij enim pauperum inflati, eo quod videant se plus alijs in diuitijs abundare, iniustificabunt in eos, & fient iniuriæ in ciuitate. Rursus, huiusmodi iniuriæ & contumeliæ orirentur inter ciues non solum ex parte filiorum pauperum, sed etiam ex parte filiorum diuitum: quia vt dicitur 2. Polit. opus est ad pacem ciuitatis filios diuitum non esse insolentes. quare cum filij diuitum vt plurimum sint magnanimi & magni cordis si videant se esse despectos & pauperes exaltatos non valentes se continere, fient insolentes, & turbabunt alios. Tertia via ad ostendendnm legem Phaleæ non esse decentem de æquatione possessionum, sumitur ex parte virtutũ quas decet habere ciues: decet enim ipsos esse liberales & temperatos: non ergo bene dictum est quod ad bonũ regimen ciuitatis sufficit ciues habere possessiones æquatas, nisi aliquid determinetur de quantitate possessionum illarum: possent enim ciues adeò modicas possessiones habere, quod oporteret eos ita parce viuere quod opera liberalitatis de facili exercere non valerent. Rursus habendo possessiones æquatas possent ita abundare in eis, & adeò deliciose viuere, quod non contingeret ipsos temperatos esse.

Rhet. 2. cap. 2.

Polit. 2. cap. 5.

Quòd

Quòd principalis intentio legislatoris debet esse circa repressionem concupiscentiarum, & non circa æqualitatem possessionum, vt Phaleas ordinauit. Cap. XVIII.

Reges & Principes, & vniuersaliter eos quorum est leges ferre, decet aliquas leges statuere circa possessiones ciuium: nam & Solon, qui circa ferendas leges dicebatur peritus & doctus, multas statuit possessiones ciuium. Sic etiam apud Locros, vt recitat Philosophus 2. Politic. lex erat, quod ad hoc vt antiquæ sortes seruarentur illesæ, nulli licebat possessiones vendere, nisi posset sufficienter ei ostendere aliquod magnum infortunium accidisse. Sunt enim multa determinanda in legibus circa possessiones, sed non expedit hoc lege statui circa ipsas, vt ciues possessiones æquatas habeant; nec intentio legislatoris principaliter esse debet circa possessiones, sed principalius debet intendere reprehensionem concupiscentiarum, eo quod radix malitiarum non sunt possessiones exteriores, sed concupiscentia: radix enim omnium malorũ est cupiditas. Si ergo morbus magis curari debet in radice & in causa quam alibi, magis debent intendere rectores ciuium circa reprimendas concupiscentias quam circa alia, vt plane probat Philosophus 2. Polit. Sed de hoc inferius diffusius dicemus. Meminimus tamen, nos edidisse quendam tractatum. De differentia Ethicæ Rhetoricæ & Politicæ, vbi dicta superficialiter considerata contradicere videntur his quæ nunc diximus. Sed illa controuersia infra tolletur. Ad præsens autem scire sufficiat, principalem intentionem legislatoris non debere esse circa possessiones exteriores mensurandas. quod triplici via venari possumus. Prima sumitur ex parte bonorum, quos homines

Polit. 2. cap. 5.

1. ti. 6.

Polit. 2. cap. 5.

mines appetunt. Secunda ex parte delectationum, quas insequuntur. Tertia ex parte tristitiarum, quas fugiunt. Prima via sic patet, credebat enim Phaleas omnia iurgia ciuitatis insurgere propter possessionem & dominium exteriorum rerum: & sic opinando fallebatur, quia & si pauperes homines eo quod minus egent exteriori substantia, vt plurimum litigant propter exteriorum substantiam, personæ tamen nobiles & gratiosæ magis turbantur & indignantur, si non possint consequi honorem debitum & condignum. Quare si ciuium quidam personæ sunt pauperes, quidam gratiosæ & honorabiles: spectat ad legislatorem non solum statuere, vt possessiones debite ordinentur, sed etiam vt honores decenter & iuste distribuantur. & tanto principalius debet hoc intendere circa honores, quanto litigia inter personas honorabiles sunt magis detestanda, quam inter personas alias. Secunda via ad inuestigandum hoc idem sumitur ex parte delectationum, quas homines vt plurimum insequuntur. non enim homines solum iniustificant, & iniurias inferunt in res exteriores propter auaritiam: sed etiam iniuriantur in filias, & in vxores ciuium propter delectationem, & intemperantiam. Decet ergo Reges, & Principes nō omnes leges ferre circa possessiones mensurandas, vt quod quilibet quod suum est possideat: sed multa ordinare decet circa possessiones reprimendas, ne ciues sint intemperati, & iniurientur in vxores, & in filias aliorum. Immo tantò magis solicitari debent circa hoc quam circa illud, quantò vxores & filiæ sunt quid magis coniūctum quam exteriores substantiæ. Tertia via sumitur ex parte tristitiarum, quas homines pro viribus fugiunt. volunt enim homines gaudere delectationibus absq; tristitijs, ideo iniuriantur alijs in se non solum propter supplendam indigentiam, vt propter tollendam famem, & repellendum frigus: sed quia existimant alios posse eorum delectationibus impedire, vel quia existimant eis posse tristitiam in-

fer-

ferre. non ergo solum propter possessiones sunt instituendæ leges, vt statuebat Phaleas: sed & propter alia, vt est per habita sufficienter expressum.

Qualis fuit politia Hippodami & quid Hippodamius Philosophus statuit circa regimen ciuitatis. Cap. XIX.

PRæter Socratem & Phaleam fuit quidam alius Philosophus nomine Hippodamus, intromittens se de regimine ciuitatis, statuens multa pertinentia ad regimen ciuium. Videntur autem quasi ad sex reduci quæ statuebat circa huiusmodi regimen. Primo enim statuit quædam pertinentia ad multitudinem & distinctionem ciuium. Secundo determinat de distinctione possessionum. Tertio de distinctione iudiciorum. Quarto de distinctione iudicantium. Quinto de modo iudicandi. Sexto & vltimo statuit quasdam leges tangentes diuersa genera personarum. Hippodamus autem statuens suam politiam, primo intromisit se de multitudine & distinctione ciuium, dicens quod optima quantitas ciuium est circa decem millia virorum. Hanc autem quantitatem distinxit in tres partes, videlicet in bellatores, artifices, & agricolas. Volebat autem bellatores debere habere arma, & non terram. Agricolas vero terram, sed non arma. Artifices quidem nec terram nec arma. Videtur enim homo (quantum ad præsens spectat) tribus indigere. videlicet victu, potu, & cibo propter calorem naturalem consumentem huiusmodi radicale. Secundo indiget domo, & vestitu, & & alijs artificis propter intemperiem aeris, Tertio indiget defensione propter hostes extrinsecos, & propter seditiones, & litigia, quæ possunt in ciuitate contingere. Ad hæc enim tria deseruiunt præ-

dicta

dicta tria genera virorum. Quia quantum ad victum satisfaciunt agricolæ:vt intelligamus per agricolas, omnes colentes terras & vineas, & vniuersaliter omnes pastores animalium. Sed quantum ad domos, & vestimenta, & alia artificia satisfaciunt artifices. Quãtum vero ad defensionem deseruiũt bellatores. Sic ergo determinauit dictus Philosophus de multitudine & de distinctione ciuium. Secundo intromisit se & determinauit de distinctione possessionum, diuidens totam regionem idest totum territorium ciuitatis in tres partes. videlicet in partem sacram, communem, & propriam. Partem sacram attribuebat cultui diuino, communem bellatoribus, propriam agricolis. Dicebat autem tunc territorium ciuitatis optime diuisum esse, si pars tribueretur ministrantibus in templis diuinis, quam appellabat sacram: pars vero bellatoribus. quam appellabat communem, eo quod bellatores communi bono vt defensioni patriæ vacare debeant: pars vero esse propria ipsis agricolis: artificibus quidem nullam partem tribuebat territorij, eo quod ex arte sufficienter viuere possent: nec etiam bellatoribus tribuebat territorium tanquam proprium, sed solum tribuebat eis arma. dicebat autem debere esse aliquod territorium commune, de quo bellatores viuerent quasi de communi ærario. Tertio intromisit se de distinctione iudiciorũ. dicebat enim omnia iudicia debere esse de tribus, secundum quod de tribus litigant ciues: videlicet de nocumento, iniuria, & morte. quicunq; enim iniustificat in alium, vel iniustificat in res nocendo & damnificando ipsum: vel in personam. & hoc dupliciter, vel dehonorando eam, faciendo ei opprobria & vituperia: vel offendendo ipsam, faciendo ei percussiones & vulnera. Iniustificationes autem quantum ad res appellabat nocumentum: sed iniustificationẽ quantum ad honorationem personæ vocabat iniuriam: offensionem quidem ipsius personæ quantum ad percussiones & vulnera nominabat mortem, quia talia ad mor-

tem

tem ordinantur, eo quod omnis passio magis facta abijciat à substantia. Quarto intromisit se de distinctione iudicantium. dicebat enim debere esse duo genera iudicantium, & duplex prætorium. vnum ordinarium, in quo discuterentur causæ: & aliud principale, ad quod reducerentur appellationes. uolebat quidem principale prætorium, vt narrat Philosophus 2. Politicorum, debere esse ex senibus electis: ut si causæ male iudicatæ fuerunt in prętorio ordinario, senes illi electi & boni testimonij rectificant ipsas. Quinto intromisit se de modo iudicandi. volebat enim in utrisque prætorijs tam in principali quam in ordinario iudicia fieri debere sine collatione iudicum inter se. Dicebat autem quod audita causa quilibet iudex per se cogitaret, & postea in pugillaribus scriptam adduceret suam sententiam: ut si incusatus simpliciter condēnandus esset, iudex simpliciter condemnationem scriberet: si uero simpliciter absoluendus, pugillarem portaret uacuum: sed si aliquo modo condemnandus & aliquo absoluendus, per scripturam determinaret illud. Philosophus autem 2. Politicor. ubi positionem dicti Philosophi narrat, assignat, quare Hippodanus sic statuit. Credebat quidem quod si iudices iuramento essent astricti ut dicerent quod sentirent, forte degenerarent timendo coram alijs dicere quod sentiunt. Ideo ordinauit quod quilibet priuatim sententiam suam scriberet. Sexto statuit quasdā leges, tangentes diuersa personarum genera. statuit autem quatuor, quarum prima tangebat sapientes, secunda bellatores, tertia tantum populum, quarta principem. Quantum ad sapientes statuit, quod quicunq; inueniret aliquid, quod esset expediens ciuitati, quod retribueretur ei debitus honor. Quantum ad bellatores ordinauit, quod filij eorum, qui morerentur in bello facto pro defensione patriæ & pro bono ciuitatis, acciperent cibum de ærario publico. Tertio quantum ad totum populum statuit, ut totus populus uidelicet tam bellatores quam artifices &

Polit. 2. cap. 6.

Polit. 2. cap. 6.

agri-

agricolæ conuenirent ad electionem principis: nolebant enim (vt apparet ex dictis suis) principem debere esse per hæreditatem, sed per electionem, quam electionem toti populo attribuebat. Quarto quantum ad principem electum statuit, vt princeps principalem curam haberet de tribus, videlicet de rebus communibus, de peregrinis, & de orphanis. appellabat autem orphanos vniuersaliter omnes personas impotentes, non valentes per se ipsas sua iura conquirere. Spectat enim ad Regem & Principem, qui debet esse custos iusti, de rebus communibus, & etiam de peregrinis, & personis impotentibus specialem curam gere: eo quod talibus alij de facili iniuriantur, cum non possint defendere iura sua.

Quæ, & quot sunt reprehensibilia in his quæ statuit Hippodamus circa gubernationem ciuium. Cap. XX.

Multa bona consequimur ex opinionibus antiquorum Philosophorum, eo quod ipsi in suis dictis multa bona & vera dixerunt. Dato tamen quod nihil veri dixissent, recitandæ tamen sunt opiniones eorum, & secundum sententiam Philosophi 2. Metaphysicæ debemus gratias reddere eis qui à veritate deuiant, & discordant ab opinionibus nostris: excitant enim talia aliquando intellectum: mala quidem aliorum dicta multotiens intellectum excitant, vt recte iudicet. Hippodami ergo opinionem recitauimus, quia in sua politia multas bonas sententias promulgauit: aliqua tamen incongrue statuit. Possumus aũt quantũ ad presens spectat, sequendo dicta Philos. 2. Pol. increpare Hippodamũ quantũ ad tria. Primo, quãtũ ad impossibilitatẽ statutorũ. Secũdo quantũ ad modũ, quẽ statuit in iudicãdo. Tertio quantũ ad modũ, quẽ statuit, tãgẽtes diuersa genera personatũ. Primo .n. dictus Phil. deferre

Met. 2. cap. 1.

Polit. 2. cap. 6.

fecit ſtatuendo impoſſibilia. nam ſtatutum de diſtinctione ciuium ſtare non poterat cum ſtatuto de electione principis. Si enim ciuitas ſecundum ipſum diſtingui debeat in tres partes, videlicet in bellatores, artifices, & agricolas; & ſoli bellatores habeant arma, vt poſſent ſeditiones & iurgia facta in ciuitate remouere, & patriam ab hoſtibus defendere: oportebat bellatores habere maiorem potentiam, quam agricolæ, & artifices ſimul ſumpti: & quia ſemper potentiores dominantur, & homines libenter iniuſtificant cũ poſſunt; hoc poſito artifices, & agricolæ non haberent partem in politia; & bellatores non permitterent eos participare in electione principis. ſtatuere ergo quod totus populus eligat principem, ſtare non poteſt cum ſtatuto de bellatoribus, vt quod ipſi ſint potentiores alijs, & ſint ſoli habentes arma. Secundo deficiebat Hippodamus quantum ad modum quem ſtatuit in iudicando; volebat enim iudices non debere conferre in prætorio de ſententia ferenda: tamen (vt ait Philoſophus) non negabat quin domi priuatim conferre poſſint. hoc autem duplici via improbari poteſt. Primo, quia ex iſto modo iudicandi ſequitur maior peruerſio & maior degeneratio iudicum, nam citius peruertuntur iudices, ſi poſſunt ſibi loqui in priuato, quam ſi loquantur publice in prætorio: & ſi iurauerunt dicere quod ſentiunt, citius degenerabunt hoc modo quam aliter. Vnde & Philoſophus innuit, quod in quibuſdam bonis politijs econtrario ſtatuitur quam ordinauerit Hippodamus: vbi ordinantur iudices poſſe loqui ſibi inuicem publice, non tamen poſſe ad inuicem habere conſilium in priuato. Rurſus deficit dictus modus, quia in aliquibus iudicijs oportet collationem habere ad inuicem; vt ſi iudices diſcordarent, oporteret collationem habere ad inuicem, quorum ſententia tenenda eſſet. Tertio deficiebat dictus Philoſophus quantum ad leges quas ſtatuit, tangentes diuerſa perſonarum genera, & ſpecialiter quantum ad legem quam ſtatuit erga ſapientes.

 nam

nam si quicunq; sapiens inueniens aliquid expediens ciuitati, deberet ex hoc debitum honorem accipere; conarentur sapientes ad inueniendum nouas leges, & ad ostendendum nouas leges inuentas esse proficuas ciuitati: quare continue mutarentur leges, quod est valde in ciuitate periculosum, quia leges assidue magnam efficaciam habent ex diuturnitate temporis quare si assidue innouentur leges, tolletur virtus & efficacia ipsarum. statutum igitur Hippodami de eo qui inuenit aliquid expediens ciuitati (vt ait Philosophus) superficialiter visum, apparet bonum, est tamen periculosum. In his autem deficit. Vtrum autem defecerit in alijs, & vtrum principatus debeat ire per electionem vel per hæreditatem, & vtrum leges sint innouandæ dato quod aliquem defectum contineant, & alia quæ circa istam materiam sunt quærenda, infra diffusius tractabuntur: ad præsens tamen sufficiat hoc tetigisse de opinionibus Philosophorum. Et in hoc terminetur prima pars huius tertij libri, in quo agitur de regimine ciuitatis & regni.

Primæ partis, in qua dictum fuit, propter quod bonum inuenta fuit communitas ciuitatis & regni, finis.

SE-

SECVNDA PARS TERTII Libri de regimine Principum, in qua tractatur quomodo regenda est ciuitas aut regnum tempore pacis.

Quomodo regenda sit ciuitas tempore pacis, & quæ, & quot consideranda sunt in tali regimine. *Cap. I.*

POSTQVAM (auxiliante Deo) compleuimus primam partem huius tertij libri, præmittendo quædam præambula ad propositum, & recitando opinioné diuersorum Philosophorum instituentium politiam, & tradentium artem de regimine ciuitatis & regni: restat nunc exequi de alijs duabus partibus, videlicet de regimine regni & ciuitatis tempore pacis, & de huiusmodi regimine tempore belli. Sciendum igitur, quod tempore belli defendenda est ciuitas per arma; sicut tempore pacis gubernanda est per leges iustas, & per consuetudines approbatas, quæ vim legum obtinent. Videntur ergo sic se habere arma ad tempus belli, sicut leges ad tempus pacis. Viso igitur, tempore pacis gubernandam esse ciuitatem & regnum per leges iustas, & consuetudines approbatas: de leui patere potest, quæ & quot consideranda sunt in tali regimine. Videtur aũt Philos. 3. Polit. tangere, quatuor *Polit. 3. cap. 1.*

quæ consideranda sunt in regimine ciuitatis. Hæc autem sunt princeps, consilium, prætorium, & populus. Possumus autem ex ipsis legibus quibus regenda est ciuitas tempore pacis duplici via, inuestigare, quòd de prędictis quatuor considerandum est in regimine quo regenda est ciuitas tempore pacis. Prima via sumitur ex his quæ requiruntur ad legem: Secunda, ex fine quo intenditur in ipsa lege. Prima via sic patet. nam ad hoc quod per leges recta gubernatio habeatur, quantum ad præsens spectat, quatuor requiruntur. Primo vt leges per sapientiam sint bene inuentæ. Secundo vt per ciuilem potentiam sint bene custoditæ. Tertio vt per leges inuentas & custoditas acta ciuiũ sint rectę iudicata. Quarto & vltimo vt propter pacificũ statum populi quæ traduntur in legibus sint debite obseruata. Bene autem custodire leges per ciuilem potentiam spectat ad principem. Vnde & Philosophus 5. Ethicor. ait, quod princeps esse debet custos iusti, idest iustarum legum & statutorum: nam statuta ipsa legalia leges quædã dici possunt. Bene quidem inuenire leges per sapientiam spectat ad consilium: decet enim princeps adeò sapientes consiliarios habere, vt debite inuenire possint quæ populus obseruare debet. Bene vero iudicare secundum leges inuentas per consiliarios, & custoditas per principẽ, spectat ad pretorium siue ad iudices: ipsi enim sunt qui secundum huiusmodi leges acta ciuium iudicare debent. Sed bene obseruare leges spectat ad omnes ciues, siue ad totum populum. Quare si considerentur quæ requiruntur ad hoc quod tempore pacis per leges bene gubernetur ciuitas, oportet in huiusmodi regimine de prædictis quatuor considerationem facere. Secunda via ad inuestigandum hoc idem sumitur ex fine qui in legibus intenditur: debet enim intendere legislator vt per leges consequamur conferens, & vitemus nociuum: faciamus iustum, & vitemus iniustum: & consequamur laudabile, & fugiamus vituperabile. De conferenti autem & nociuo est cõsilium:

Eth. 5. cap. 9.

de

de iusto & iniusto est prætorium;sed de laudabili & vituperabili est exclamatio siue concionatio,quæ potest respicere totum populum: populus enim ad bene agendum, per leges maxime inducendus est, eo quod ipsis legibus præcipiuntur laudabilia,& prohibentur turpia. Volentem ergo determinare qualiter regenda sit ciuitas tempore pacis, non solum considerare debet qualis debeat esse princeps cuius est leges ferre & custodire, sed etiam quales debeant esse consiliarij quorum est cognoscere quid conferens & quid nociuum, & quales debeant esse iudices quorum est iudicare quid iustum & quid iniustum,& qualis debeat esse populus qui inducendus est vt sequatur pulchrum & laudabile & fugiat vituperabile & turpe. De omnibus ergo his quatuor, videlicet de principatu, consilio,prætorio, & populo,breuiter (vt ad propositum spectat) dicemus in hac secunda parte huius tertij libri: primo tamen dicemus de ipso principatu.

Quot sunt species principantium, & qui illorum sunt boni, & qui mali. Cap. II.

TErtio Politicorum distinguit Philosophus sex modos principantium, quorum tres sunt boni, & tres sunt mali. Nam regnum aristocratia, & politia sunt principatus boni: tyrannides, oligarchia, & democratia sunt mali. Docet enim idem ibidem discernere bonum principatum à malo. Nã si in aliquo dominio aut principatu intenditur bonum commune & omniũ ciuiũ secundum suum statũ,sic est æquale & rectum. Sed si intenditur ibi bonum aliquorum & aliorum oppressio, sic est corruptũ & peruersum. Hoc enim modo secundum viam Philosophi accipere possumus sufficientiã principantium tam peruersorũ quam rectorũ.Nam in ciuitate, vel in aliqua

Polit. 3. cap. 5.

gente vel dominatur vnus, vel pauci, vel multi. Si vnus vel intendit bonum commune & subditorum, vel intendit bonum proprium. Si intendit bonum commune & subdi-

Monar. torum, tunc dicitur Monarchia siue Regnum: regis autem est intendere commune bonum. Si vero ille vnus dominans non intendit commune bonum, sed per ciuilem potentiam opprimens alios, omnia ordinat in bonum proprium & priuatum, non est rex sed Tyrannus. Duo ergo principatus consurgunt ex dominio vnius, vnus rectus, vt cum propter bonum commune dominatur Rex: & alius peruersus, vt cum propter bonum priuatum principatur

Tyran. Tyrannus. Contingit tamen aliquando ciuitatem aliquam non regi vno aliquo dominante, sed Regi aliquibus paucis tantum. Vidimus enim pluries in ciuitate Romana, quòd deficiente senatu, tempore illo intermedio, antequam alius senator eligeretur, regebatur totus Romanus populus quibusdam paucis viris: eligebantur enim duodecim viri approbati & boni testimonij, quos vocabant duodecim bonos homines: & horum gubernatione tota ciuitas regebatur: vnde & maleficia facta distinguebantur ex diuersitate principatuum. Dicebatur autem de aliquo maleficio fuisse factum tempore senatoris, de aliquo vero tempore bonorum hominum. Si ergo regatur ciuitas non per vnum solum, sed per quosdam paucos, tunc illi pauci vel sunt virtuosi & boni, & intendunt commu-

Aristo ne bonum; & tunc talis principatus dicitur Aristocratia, quod idem est quod principatus bonorum & virtuosorũ. Inde autem venit vt maiores in populo, & qui debent populum regere vocati sunt optimates, quia optimi debent esse qui alijs præesse desiderant. Sed si illi pauci non sunt virtuosi, nec intendũt commune bonum, sed sunt diuites, & opprimentes alios intendunt proprium lucrum huius-

Oligar. modi principatus Oligarchia dicitur, quod idem est quod principatus diuitum. Consurgit igitur duplex principatus ex dominio paucorum, vnus rectus, vt cum dominan-

tur

tur aliqui, quia sunt virtuosi & intendentes commune bonum: & alius peruersus, vt cum dominantur aliqui, non quia sunt boni, sed quia sunt diuites & alios opprimentes. Tertio possunt distingui principatus, ex eo quod in ciuitate dominantur multi. communiter enim in ciuitatibus Italiæ dominantur multi, vt totus populus: ibi enim requiritur consensus totius populi in statutis condendis, in potestatibus eligendis, & etiam in potestatibus corrigendis. licet enim semper ibi adnotetur potestas, vel dominus aliquis, qui ciuitatem regat; magis tamen dominatur totus populus, quam dominus adnotatus, eo quod totius populi est eum eligere & corrigere, si male agat: etiam eius totius est statuta condere, quæ non licet dominium transgredi. In tali ergo principatu, vbi dominantur multi, vt totus populus, vel intenditur bonum commune egenorum, mediarum personarum, & diuitum, & omnium secundũ suum statum: & tunc est rectus & æqualis. & quia talis principatus non habet nomen proprium, vocat eum Philosophus nomine communi, & dicit ipsum esse Politiam. *Timocr.* Politia enim quasi idem est, quod ordinatio ciuitatis quantum ad omnes principatus qui sunt in ea, & principaliter quantum ad maximum principatum qui dominantur omnibus alijs. Politia enim consistit maxime in ordine summi principatus, qui est in ciuitate. Omnis ergo ordinatio, ciuitatis Politia dici potest. Principatus tamen populi si rectus sit, eo quod non habeat commune nomen, Politia dicitur. Nos autem talem principatum appellare possumus gubernationem populi, si rectus sit. Sed si populus sic dominans non intendit bonum omniũ secundum suũ statum, sed vult tyrannizare & opprimere diuites, est principatus peruersus, & in græco nomine dicitur Democratia. *Democ.* Nos autem ipsum appellare possumus peruersionem populi. Patet ergo quot sunt principatus, & qui illorum sunt boni, & qui peruersi.

Quòd melius est ciuitatem & regnum regi vno quam pluribus, & quod regnum est optimus principatus.

Cap. III.

QVia intendimus ostendere quæ sit optima politia, & quis sit optimus principatus. Postquam distinximus modus principandi, & declarauimus qui illorum sunt recti, & qui peruersi: restat ostendere inter principatus rectos quis sit melior. Assignantur autem communiter quatuor viæ quod regnum est optimus principatus, & quod melius est ciuitatem aliquam, siue prouinciam regi vno, quam pluribus, siue illi plures sint pauci, siue multi. Prima via sumitur ex vnitate & pace, quæ debet intendi in regno & ciuitate tanquam finis. Secunda ex ciuili potentia, quæ requiritur ad regnum ciuitatis. Tertia ex ijs quæ videmus in natura. Quarta ex his quæ vidづmus, & experimento didicimus in regiminibus ciuitatum. Prima via sic patet. nam pax & vnitas ciuium debent esse finaliter intenta à legislatore, sicut sanitas & æqualitas humorum est finaliter intenta à medico: hanc autem vnitatem & concordiam magis efficere potest quod est per se vnum. magis autem per se vnitas reperitur in vno principatu, si dominetur vnus princeps, quam si dominentur plures. Immo cum plures principantur, nunquam potest esse pax in huiusmodi principatu, nisi illi plures sint vniti & concordes. & propter quod autem vnumquodque, & illud magis. Si ergo est pax & concordia inter ciues, si plures principes sint quam vnum: ergo si solus vnus principaretur inter eos, non sic de facili turbari posset pax ipsorum ciuium. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex ciuili potentia, quæ requiritur in regimine ciuitatis.

1. Poste. tir. ss. c. 1.

 Nam

Nam quanto virtus est magis vnita, fortior est seipsa dispersa, vt declarari habet in libro de Causis, & in propositionibus Procli. Videmus autem quod si multi homines trahant nauem, nisi iuuantur in tractu, vt cum vnus trahit, alius trahat; nunquam nauem traherent. Immo si omnes vires, quæ sunt in pluribus trahentibus, congregarentur in vno, quia ille magis vnitè traheret, virtuosior esset in trahendo. quare si tota ciuilis potentia, quæ est in pluribus principantibus, congregaretur in vno Principe, efficacior esset; & ille principans propter abundantiorem potentiam melius posset politiam gubernare. Tertia via sumitur ex his quæ videmus in natura. Vbicunque est regnum naturale, semper totum illud regnum reducitur in aliquod vnum principans. Vt si in eodem corpore vbi sunt diuersa membra ordinata ad diuersa officia & diuersos motus, est dare aliquod vnum membrum vt cor, ex cuius motu sumit originem omnis motus animalis factus in toto corpore. Rursus si ad constitutionem eiusdem concurrunt diuersa elementa, est dare ibi vnum aliquid, vt animam regentem & retinentem elementa in corpore animalis, ne dissoluatur prædictum corpus animalis: vnde dicitur circa finem primi de Anima, quod anima magis continet corpus, quam econuerso. Sic etiam vnum cæleste corpus primum mobile, est illud per cuius motum reguntur & causantur motus facti inferius: & in toto vniuerso est vnus deus singula regens & disponens. Si apes etiam quia naturale est eis in societate viuere, naturaliter sunt sub vno rege. Si igitur singula naturalia considerentur, semper videmus multitudinem quamlibet reduci in vnum aliquod principans & gubernans. Nam sicut naturale est, quod multitudo ab vno procedat: sic etiam est naturale, quod in vnum aliquod reducatur. Bonum est igitur regimen populi siue multitudinis, si sit rectum: melius est tamen regimen paucorum, eo quod magis ad vnitatem

 tem

tem accedat: optima est autem monarchia siue gubernatio vnius Regis, eo quod ibi perfectior vnitas reseruetur. Quarta via sumitur ex his quæ experimento videmus in regiminibus ciuitatum. Experti enim sumus ciuitates & prouincias non existentes sub vno rege esse in penuria, non gaudere in pace, molestari dissensionibus & guerris: existentes vero sub vno rege, econtrario, guerras nesciunt, pacem sectantur, abundantia florent.

Quibus rationibus ostendi potest, quod appareat melius esse ciuitatem aut prouinciam regi pluribus quam vno, & quomodo solui possunt rationes illæ.
Cap. IV.

Polit. 3. cap. 7.

PHilosophus 3. Politicorum videtur tangere tres rationes, per quas probari videtur, quod melius sit ciuitatē aut prouinciam regi pluribus, quam vno. Videntur enim in Principe tria esse necessaria, vt bene regat populum sibi commissum. Primo enim debet habere perspicacem rationem. Secundo rectam intentionem. Tertio perfectā stabilitatem. Ex his autem sumi possunt tres viæ, ex quibus venari possumus, quod bonum sit principari plures, & non vnum tantum. Prima via sic patet. nam plures oculi plus vident quam vnus, & plures manus plus possunt quam vna, & plures intellectus superant vnum in cognoscendo: quare si dominentur plures, erit ibi perspicatior ratio, quia plura cognoscent, quam si principaretur vnus tantum: vnde Philosophus 3. Politicorum ait, quod plures homines sic principantes quasi constituunt vnum hominem multorum oculorum & multarum manuum. quare melior erit huius principatus, quia homo sic constitutus & multitudo sic principans, efficacior erit in principando. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur

ex recta intentione quæ requiritur in principante. Tunc enim principans rectam habet intentionem, si non intendat bonum proprium sed commune: quanto igitur minus intenditur commune bonum, tāto peior principatus: sed si dominentur multi dato quod intendant bonū proprium; quia bonum multorum est quasi bonum commune, intendendo sic bonum proprium, non omnino recedunt ab intentione communis boni. Sed si dominaretur vnus solus, & ille intenderet bonum proprium: quia bonum vnius est quasi bonum omnino priuatum, sic intendens recedit quasi omnino à communi bono. peius est igitur principari vnum, quam plures. Tertia via sumitur ex stabilitate quæ requiritur in principante. decet enim Principem esse regulam rectam & stabilem, vt per iram & concupiscentias & per alias passiones non corrumpatur nec peruertatur. Sed (vt ait Philosophus) facilius corrumpitur vnus, quam plures: melius est ergo dominari plures, quam vnum. Sciendum igitur quod hanc dubitationē quam Philosophus 3. Politicorum venatur, dubitando, assignans rationes multas, quod melius sit dominari multitudinem: postea in eodem 3. tangit quædam, per quæ obiectiones huiusmodi solui possunt. Non enim intelligendū est, simpliciter fuisse de intentione Philosophi, dominium plurium esse comendabilius dominio vnius, dum tamen vtrunque sit rectum, cum ipse pluries dicat in eisdem politicis, regnum esse dignissimum principatum: inter principatus enim rectos, principatus vnius, qui dicitur regnum, est optimus: inter peruersos vero principatus, principatus vnius, qui communi nomine tyrannis nuncupatur, est pessimus. Sed de hoc infra dicetur: ostēdetur enim quod sicut monarchia regia est optima; ita quia maiori bono maius malum opponitur, monarchia tyrannica est pessima. Dominari autem plures dominio recto, non est dignius, quam dominari vnum; cum nunquam plures recte dominari possint, nisi inquantum tenent locum vnius,

&

& prout habent ad se inuicem concordiam & vnitatem: sed (vt supra dicebatur) propter quod vnumquodque & illud magis. Quare si dominari plures in tantum est rectum & dignum, inquantum tenent locum vnius: dominari vnum & facere monarchiam, si debito modo fiat, erit omnino rectior & dignior. censendum est igitur, regnum esse dignissimum principatum, & secundum rectum dominium melius est dominari vnum, quam plures. Sed vt soluantur obiectiones prætactæ, sciendum quod quia plura cognoscunt plures quam vnus, & citius corrumpitur vnus quam plures, & multi non sic deuiare possunt ab intentione communis boni; sicut forte faceret vnus solus: ideo si fiat monarchia & dominetur vnus Princeps vel vnus Rex in toto principatu vel in toto regno, ille Princeps vel ille Rex (secundum Philosophum 3. Politicor.) debet sibi associare multos sapientes, vt habeat multos oculos & multos bonos & virtuosos, vt habeat multos pedes & multas manus: & sic fiet vnus homo multorũ oculorum, multarum manuum, & multorum pedum. Non ergo dici poterit talem vnum monarchiam non cognoscere multa; quia quantũ spectat ad regimen regni, quicquid omnes illi sapientes cognoscunt, totum ipse Rex cognoscere dicitur. Nec etiam dici poterit ipsum de leui posse corrumpi & peruerti: nam si Rex recte dominari desiderat, non est possibile ipsum peruerti, nisi totum consilium & omnes sapientes, & bonos quos sibi associauit, contingeret esse peruersos: talis enim maxime intendit cõe bonũ; ideo si sic se habeat, omnino dignũ est ipsum principari. Si aũt aliter se haberet, vt si spreto cõsilio, & dimissa societate sapientũ & bonorũ, vellet sequi caput proprium, & appetitum priuatum, iam non esset Rex sed tyrannus: talem ergo dominari non esset melius quam plures: immo pessimum esset eius dominium, eo quod (vt patet ex habitis, & vt infra planius ostendetur) tyrannis est pessimus principatus.

Quod

Quod melius est regimen regni & principatus ire per hæreditatem & successionem filiorum, quàm per electionem aliquam.
Cap. V.

VIderetur forte alicui omnino esse melius & dignius dominationem regiam & principatum ire per electionem quàm per hæreditatem. Nam superficialiter cõsiderata veritate quæsiti, dubitans An melius sit regiam dignitatem ire per electionem, an per hæreditatem: dubitare videtur, an melius sit constituere dominium arte, vel sorte. Nam si per electionem præficiatur aliquis in Regẽ, videtur tale regnum non esse expositum casui & fortunæ, sed factum esse per artem, eo quod præficietur melior & industrior. Sed si per hæreditatem hoc fiat, exponetur regnum quasi sorti, casui, & fortunæ: nam incertũ est qualis debeat esse filius, ad quem spectabit habere regiam dignitatem. Absolute ergo loquendo, melius est Principem præstituendum esse per electionem, quam per hæreditatem. Tamen quia vt plurimum homines habent corruptum appetitum, consideratis gestis & conditionibus hominum, quas experimentaliter videmus, videtur esse censendum magis expedire regno vel ciuitati, vt dominus præficiatur per hæreditatem, quam per electionem. Possumus autem triplici via ostendere, quod consideratis conditionibus hominum melius est, huiusmodi regimen per hæreditatem ire. Prima via sumitur ex parte ipsius regis regentis populum. Secunda ex parte filij, qui debet in hæreditatem succedere. Tertia ex parte populi, qui debet per tale regimen gubernari. Prima via sic patet, nam secundum Philosophum 2. Politic. inenarrabile est quantam dilectionem habeat, & quantum differat pa-

tare

tare aliquid proprium: nam quod est naturale, ociosum & vanum esse non potest; naturaliter autem quilibet habet amicitiam ad seipsum: naturale est igitur tanto regē magis solicitari circa bonum regni, quanto credit ipsum regnum magis esse bónum suum & bonum proprium: quare si Rex videat debere se principari super regnum non solum ad vitam, sed etiam per hæreditatem in proprijs filijs magis reputabit bonum regni esse bonum suū, & ardentius solicitabitur circa tale bonum. Immo quia tota spes patris requiescit in filijs, & nimio ardore mouentur patres erga dilectionem filiorum: ideo omni cura qua poterit mouebitur ad procurandum bonum statum regni, si cogitet ipsum prouenire ad dominium filiorum. Polit. 3. cap. 7. Philosophus tamen 3. Politic. vbi de hac materia determinat, ait, quod hoc est difficile. videlicet quod sic patres possint tradere regimen regni proprijs filijs. Innuit enim hoc esse quasi virtutis diuinæ, & excedere humanum modum. Sed forte ideo hoc Philosopus dixit, quia antiquitus vt plurimum reges conuertebantur in tyrannos & non diu durabant, vt filij hoc modo succederent in hæreditatem paternam. Vel simpliciter dicitur hoc esse diuinum, quia nisi Reges & Principes bene se habeant erga diuina, raro contingit filios regnare post patres: & si regnant filij, vix aut nunquam regnabunt filij filiorum. Ex parte ergo regis vt magis solicitetur circa bonum regni, arguere possumus, quod expediat regale regimen in filios per hæreditatem succedere. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex parte filij, ad quem spectat suscipere curam regni. Nam sicut mores nuper ditatorum vt plurimum peiores sunt moribus eorum, qui fuerunt diuites ab antiquo: sic mores nuper potentum & de nouo eleuatorum per adeptionem ciuilis potentiæ, peiores sunt moribus aliorum. nesciunt enim tales fortunas ferre. nuper enim esse exaltatum in Regem, est quasi quædam inerudi tio regiæ dignitatis. tales quidem vt plurimum tyranni-

zant,

zant,& inflati corde & inerudite regnant. Sed si regale regimen per hæreditatem vadat. filij ex hoc non inflantur nec efficiuntur elati. quia non reputant magnum, si illud habeant quod patres possederant: quare ex parte filiorum debentium succedere in hæreditatem paternam, expedit regno ne inerudite regatur, & ne regale regimen conuertatur in tyrannidem, vt regia dignitas per hæreditatem transferatur ad posteros. Tertia via sumitur ex parte populi qui debet per tale regimen gubernari. nam consuetudo est quasi altera natura: propter quod regimina ex consuetudine efficiuntur quasi naturalia. Populus ergo si per diuturnam consuetudinem obediuit patribus, filijs, & filiorum filijs, quasi naturaliter inclinantur vt voluntarie obediant: quare cum omne voluntarium sit minus onerosum & difficile, vt libentius & facilius obediat populus mandatis regis, expedit regiæ dignitati per hæreditatem succedere. Determinare igitur domum & prosapiam, ex qua assumendus est rex, sedat litigia, tollit tyrannidem, efficit quasi dominium naturale. Litigia enim sedat, quia multotiens inter eligentes dissensiones oriuntur propter electionem Principis: propter quod turbatur pax regni. Tyrannidem tollit, quia dominantes per electionem (vt patet per habita) non sic diligunt bonum regni sicut hæreditarie principantes: & quia hoc est esse tyrannum, non intendere bonum regni, tales facilius tyrannizant. Facit etiam hoc dominium naturale, quia populus quasi naturaliter inclinatur vt obediat iussionibus talis Regis. Ex hoc autem patere potest, quod non solum expedit regno determinare prosapiam, ex qua præficiendus est dominus, sed etiam oportet determinare personam. Nam sicut oriuntur dissentiones & lites, si ignoretur ex qua prosapia assumendus sit Rex: sic etiam litigia oriuntur, si non determinetur quæ persona in illa prosapia debeat principari. talem autem determinare personam, difficultatem non habet. nam si dignitas regia per hæreditatem transferatur

tur ad posteros, oportet eam transferre in filios, quia secundum lineam consanguinitatis filij parẽtibus maxime sunt coniuncti; oportet autem talem dignitatem magis transferre ad masculos quam ad fœminas, quia masculus est fœmina ratione præstantior, corde animosior, passionum minus insecutor. Inter masculos autem oportet talẽ dignitatem tribuere magis primogenito quam alijs: quia (vt ait Philosophus in Politijs) decet iuniores senioribus obedire. Immo quia patres plus communiter primogenitos drligunt; vt magis sit curæ regi de bono regni, expedit statuere regnum succedere primogenito: vt pater ampliori solicitudine curet de bono regni, sciens ipsum peruenire ad filium plus dilectum. Et si eicatur quod contingit aliquando magis diligere minores. Talibus obiectionibus de facili respondetur: quia facta humana & gesta particularia omnino sub recta regula, & sub certa narratione non cadunt: sufficit ergo in talibus pertransire probabiliter, & leges statuere quæ vt in pluribus continent veritatem. Quod vero superius tãgebatur, videlicet quod ire per hæreditatem, dignitatem regiam, est exponere fortunæ, eo quod ignoretur qualis regius filius sit futurus. Dici debet quod vix sunt aliqua gesta humana, quæ ex aliqua parte non exponantur periculis. Illa tamen magis cauenda sunt, quæ pluribus periculis exponuntur. Videmus autem per experientiam plura mala oriri in ciuitatibus & regnis, vbi non est dominus aliquis naturalis: nam contingit ea aliquando diu carere gubernatore, & cum gubernatorem habent vt plurimum tyrannizant: plura enim huiusmodi mala in talibus regiminibus vidimus, quæ enumerare per singula longum esset. Dicere ergo possumus quod expedit regno, filium succedere in regimine patris: & si aliquis defectus esset in filio regio, ad quem deberet regia cura peruenire, suppleri poterit per sapientes & bonos, quos tanquam manus & oculos debet sibi Rex in societatem coniungere: valde tamen reprehensibiles

sibiles

sibiles sunt Reges & Principes, si non nimia cura solicitétur quod filij ab ipsa infantia & disciplina & bonis moribus sint imbuti; cum bonum commune & totius regni in hoc consistat. Nec sufficit quod quia solus primogenitus regnare debet, vt de eo solo cura habeatur diligens: ignoratur enim quid diuina prouidētia statuit, & nescitur cui filiorum succedit regnum. Ideo ne periclitetur bonū cōe, de omnibus filijs Regis cura diligens est habenda.

Quæ sunt in quibus Rex alios debet excedere, & quomodo differat Rex à tyranno. *Cap. VI.*

PHilosophus 5. Politic. narrat tria, in quibus Rex alios debet excedere. Dicit enim, quod antiquitus Reges à triplici excessu constituebantur. Primo ab excessu beneficij. nam quia populus non percipit nisi sensibilia bona, quos videt esse liberales & beneficos, nimis ardenter mouetur in eorum amorem, & optat eos habere in dominos. Inde est quod antiquitus plures sic præficiebantur in Reges. nam si aliquis fuerat primo beneficus, gens illa tracta ad amorem eius præficiebat ipsum in Regem. Secundo potest aliquis præfici in Regem ab excessu virtuosarū actionum: nam quia bonorum virtuosorum est diligere bonum commune potius quàm priuatum, ideo reputatur dignus vt præficiatur in Regem qui à populo creditur virtuosus. Tertio consueuit præfici aliquis in Regem ab excessu potentiæ & dignitatis. nam quia probabile est nobiles & potentes, magis verecundari operari turpia quam alios; & quia tales vt plurimum vel sunt vel creduntur esse magis apti ad principandum, ideo pluries per hunc modum antiquitus aliqui regna obtinuerunt. Si ergo ex talibus excessibus Rex generatur & præficitur, si recta sit generatio eius, oportet huiusmodi excessū per amplius & *Polit. 5. cap. 9.*

perfectius reperiri in rege iam in dignitate regia constituto. Sic enim videmus in generationibus naturalium, quod si generatur ignis per rarefactionem & caliditatē, quia materia tunc ignitur cum calefit & rarefit, oportet raritatem & calorem perfectius reperiri in igne iam generato & in esse cōstituto. quare si excessus beneficij actionis virtuosæ & potentiæ possunt esse causa vt rite aliquis constituatur in regem, decens est tales excessus in ipsa monarchia perfectius reperiri. Decet enim ipsum regem volentem recte regere (quantum ad præsens spectat) ad tria solicitari. Primo, vt ametur à populo. Secundo, vt cura peruigili procuret commune bonum. Tertio, vt castiget & puniat mouentes seditiones & turbantes populum. Quare expedit regem habere prædictos tres excessus. Nā si abundet in beneficijs tribuendis, diligetur à populo. Si excellat in actionibus virtuosis, procurabit commune bonum: quia si virtutis est, tendere in bonum, eius erit magis tendere in maius bonum, bonum ergo gentis & commune quod est diuinius quam aliquod bonum singulare, magis procurabit vir bonus & virtuosus, quam bonum aliquod proprium & priuatum. Tertio expedit eum abundare in ciuili potentia, vt possit corrigere volentes insurgere, & turbare pacem regni. Viso in quibus Rex alios debet excedere: restat ostendere, quomodo differat à Tyranno, Tangit autem Philosophus 5. Politicorum quatuor differentias inter tyrannum & regem. Prima est, quia Rex respicit bonum commune: tyrannus vero bonum proprium. Nam regnum est principatus rectus, tyrannis vero est dominium peruersum. Cum ergo bonum gentis sit diuinius bono vnius, peruerse dominatur qui spreto bono communi intendit bonum proprium. Ex hac autem differentia prima sequitur secunda. videlicet quod tyrannus intendit bonum delectabile: Rex verò bonum honorificum. Nam sicut inenarrabile est quanto quis delectatur in bono proprio, sic quasi inenarrabile est quantus ho-

Polit. 5. cap. 10.

nor

nor sequitur, & quanto honore est dignius intendens cōmune bonum. Quare si tyrannus intendit bonum proprium & priuatum, sequitur quod eius intentio versetur circa bonum delectabile. Sed intentio Regis versatur circa bonum honorificum, eo quod ipse intendat commune bonum. Ex hac autem secunda differentia sequitur tertia. videlicet quod intentio tyrannica est circa pecuniam. Tyrannus quia spreto communi bono non curat nisi de delectationibus proprijs, maxime versatur sua intentio circa pecuniam, credens se per eam posse huiusmodi delectabilia obtinere. Sed regis intentio versatur circa virtutem, & vt ciues sint virtuosi: quia ex hoc maxime resultat bonum honorificum, & commune. Ex hac autem differentia tertia sequitur quarta videlicet quod tyrannus non curat custodiri à ciuibus, sed ab extraneis: Rex vero vult custodiri ab ipsis ciuibus, & à genitis in proprio regno. Nam tyrannus eo quod spreto communi bono non curat nisi de delectationibus proprijs, videns se esse onerosum & tediosum ab ijs qui sunt in regno, totam suam custodiam corporis committit extraneis: sed Rex econuerso eo quod videat se maximam curam habere de bono regni & communi, maxime confidit de his qui sunt in regno. Ideo facit se custodiri à proprijs, non ab extraneis.

Quod tyrannis est pessimus principatus, & quod summe debent cauere Reges & Principes, ne eorum dominium in tyrannidem conuertatur. Cap. VII.

QVadruplici via venari possumus, tyrannidem esse pessimum principatum. Prima sumitur ex eo quod tale dominium maxime recedit ab intentione communis boni. Secunda, ex eo quod est maxime innaturale. Tertia, ex eo quod est efficacissimum ad nocendum. Quarta, ex eo quod impedire habet maxime bona ipsorum ciuium. Prima via sic patet: quia si dominatur Rex, non receditur ab intētione communis boni; eo quod Rex non est, nisi sit virtuosus, & nisi intendat commune bonū. Vnde 3. Polit. dicitur, quod principari talem, est quasi partiri principatum in multos. Vel (quod idem est) est quasi principari multitudinem, eo quod in tali principatu intendatur bonum multorum. Sic etiam si dominentur plures, quia diuites, vel quia creduntur virtuosi, vel si dominetur totus populus, dato quod sic dominantes non intenderent nisi bonum proprium, non omnino recederent ab intentione communis boni, eo quod plures essent sic principantes: omne autem bonum plurium, est quodammodo bonum commune. Sed si tyrannus dominetur, cum vnus sit dominans, & non intendat nisi bonum proprium; omnino receditur ab intentione communis boni. Principatus ergo quia non est rectus nisi sit quodammodo quid diuinum, & quia in eo principaliter debet intendi bonum commune quod est diuinius quam aliquod singulare; tantò tyrannis est principatus peior, quanto in eo plus receditur ab intentione communis boni. Hanc autem rationē tangit Philosophus circa principium 4. Politicorum vbi ait, quod sicut Regnum est optima & dignissima politia,

Polit. 3. cap. 7.

sic tyrannis est pessima: cuius causa est (vt ibi dicitur) quia tyrannis plurimum distat à politia, idest à communi bono. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex eo quod tale dominium maxime est naturale. Nam illa est naturalis operatio erga aliquid, quando sic agitur vt est aptum natum agi: quare tunc regnum naturaliter agitur, quando homines existentes in ipso sic reguntur vt sunt apti nati regi: homo autem quia libero arbitrio & ratione participat, tunc naturaliter regitur & vt est aptus natus regi, quando voluntarie seruit & libere obedit: quare quanto dominium aliquorum magis est inuoluntarium, magis debet dici in naturale: tyrannis igitur est pessima, quia maxime est inuoluntaria, & maxime contra naturam, eo quod sit maxime subditorum afflictiua. Hanc autem rationem tangit Philosophus in eodem 4. Politicorum vbi ait, tyrannidem esse pessimum principatum, quia nullus liberorum voluntarie sustinet principatum talem. Tertia via sumitur ex eo quod talis principatus est efficacissimus ad nocendum. Nam sicut principatus Regis eo quod sit maxime vnitus, est efficacissimus ad proficiendum: sic tyrannis efficacissima ad nocendum. Monarchia enim quia ibi dominatur vnus, & est ibi virtus vnita, ideo vel est optima, vel est pessima: nam si monarchia habet intentionem rectam, tunc est Rex & est optimus principatus: quia propter vnitatem virtutes potest multa bona efficere: si vero monarchia habet intentionem peruersam, tunc est tyrannus & est pessimus, quia propter suam vnitam potentiam potest multa mala efficere. Hanc autem rationem tangit Philosophus quinto Politicorum vbi ait, tyrannidem esse oligarchiam extremam idest pessimam: quia est maxime nociua subditis. Quarta via sumitur ex eo quod per tale dominium impediuntur maxima bona ipsorum ciuium. Tyrannus enim non solum procurat mala eorum qui sunt in regno, sed etiam sa-

tagit impedire eorum maxima bona. Tangit autem Philosophus 5. Polit. tria maxima bona, quæ satagit impedire tyrannus, videlicet pacem, virtutes, & scientias. Tyranni enim nolunt ciues habere pacem & concordiam adinuicem: rursus nolunt eos esse magnanimos & virtuosos: nec etiam volunt ipsos esse sapiẽtes & disciplinatos. Quare autem tyranni prædicta bona impediunt in ciuibus, infra dicetur. sufficiat autem ad præsens scire, tyrannidem esse pessimum principatum propter rationes tactas. Quod autem reges summo opere cauere debeant, ne principentur principatu tyrannico, videre non est difficile. nam tanto peior est Princeps, quanto peiori dominio principatur: quare si omnem diligentiam adhibere debet Rex ne sit pessimus, summe curare debet ne dominetur per tyrannidem qui est pessimus principatus.

Quod est officium Regis, & qualiter Rex se habere debeat in regimine ciuitatis & regni. Cap. VIII.

SI Rex aut Princeps gentem sibi commissam vult debite gubernare, & scire desiderat quod sit eius officiũ: diligenter considerare debet in naturalibus rebus. Nam si natura tota administratur per ipsum Deum, qui est Princeps summus, & Rex regũ, à quo rectissime regitur vniuersa tota natura: quare à regimine, quod videmus in naturalibus, deriuari debet regimen, quod trahendum est in arte de regimine regum; est enim ars imitatrix naturę. In naturalibus autem sic videmus, quod natura primo dat rebus ea per quæ possunt consequi finem suum. Secundo dat eis ea per quæ possunt prohibentia remouere. Tertio per huiusmodi collata naturaliter intendunt in suos fines siue in suos terminos. Vt natura dat igni leuitatem, per quam potest tendere sursum. Secundo dat ei

calorem, per quem agit & resistit contrarijs. Tertio ignis per ea quæ accepit à natura, naturaliter tendit sursum. Ergo ad hoc quod regimen sit bonum & naturale, tria requiruntur. Primo, vt populus taliter disponatur & ordinetur, vt possit consequi finem intentum. Secundo, vt remoueantur prohibentia & deuiantia ab huiusmodi fine. Tertio, vt dirigatur & promoueatur in finem prædictum. Sic enim videmus in sagitta dirigenda in signum aliquod: quia primo efficitur recta, vt possit melius in finem tendere: secundo efficitur pennata, vt melius aerem scindat ne prohibeatur tendere in ipsum signum: tertio à sagittante sagittatur & dirigitur in signum intentum. Rex igitur & quilibet director populi, est quasi sagittator quidam: populus vero, est quasi sagitta quædam dirigenda in finem & in bonum. Tria igitur spectant ad regis officium. Quia primo solicitari debet, vt gens sibi commissa habeat per quæ possit consequi finem intentũ. Secundo debet prohibentia remouere. Tertio gentem ipsam debet in finem dirigere. Ea vero quæ deseruiunt vt populus possit consequi finem intentum & bene viuere, sunt tria, videlicet, virtutes, scientia, & bona exteriora. Debet igitur Rex solicitari vt in suo regno uigeat studiũ litterarum, & vt ibi sint multi sapientes & industres. Nã vbi viget sapientia & fons scripturarum, oportet quod inde totus populus aliquam eruditionem accipiat: ne ergo existentes in regno sint tenebris ignorantiæ inuoluti, spectat ad Reges & Principes valde esse solicitos de studio litterarum. Immo (vt infra patebit) si dominator regni non promoueat studium, & non uelit sibi subditos esse scientes; non est Rex, sed tyrannus. Secundo ad consequendum finem intentum deseruiunt boni habitus & virtutes. Non enim sufficit finem cognoscere, & habere illuminatum intellectum; nisi sit quis virtuosus, & habeat ordinatum appetitum, vt velit consequi finem illum: spectat igitur ad rectorem regni ordinare suos subditos ad

virtutes. Tertio ad consequendum finem qui intenditur in vita politica, organice deseruiunt res exteriores. Decet ergo Reges & Principes sic regere ciuitates & regna, vt sibi subiecti abundent rebus exterioribus prout deseruiũt ad bene viuere, & ad consequendum finem intentum in vita politica. Hoc antem quomodo fieri possit, & quomodo ordinanda sit ciuitas vt in ea reperiri valeant quæ deseruiunt ad sufficientiam vitæ: licet per præcedentia sit aliqualiter manifestum, clarius tamen infra dicetur. Viso quod spectat ad Regis officium solicitari circa ea per quæ possit populus consequi finem intentum: restat ostendere, quomodo spectat ad Reges & Principes huiusmodi prohibentia remouere. Quæ etiam tria sunt, quorum vnum quasi sumit originem ex natura, aliud vero ex peruersitate ciuium, tertium quidem ex maleuolentia hostium. Primum sic patet, nam homines in seipsis sunt naturaliter corruptibiles: inde est ergo quod quia in seipsis durare non possunt, naturaliter appetunt perpetuari in suis filijs siue sint naturales siue adoptiui. Videtur enim homini quasi post mortem viuere, si eo decedente secundum suam institutionem alius in hęreditatem succedat. Valde ergo turbari potest tranquillus status & pax ciuitatis & finis intentus in politica, si Reges & Principes non solicitentur qualiter posteriores succedant in hæreditatem priorum: remouere igitur vnum maxime prohibentium bonam vitam politicam, est bene ordinare quomodo hæreditates decedentium perueniant ad posteros. Secundo, status tranquillus ciuitatis & regni aliquando impeditur ex peruersitate ciuium: sunt enim aliqui adeo peruersi vt semper velint alios molestare. solicitari ergo debent Reges & Princeps ne impediatur pax regni vt exterminentur malefici, & corrigantur delinquentes. Tertium huiusmodi impeditiuum sumit originem ex malitia hostium: quasi enim nihil esset vitare interiora discrimina, nisi prohibentur exteriora pericula. spe-

la. ſpectat igitur ad regis officium ſic ſolicitari circa ciuilem potentiam; & circa induſtriam armatorum, vt poſſint hoſtium rabiem prohibere. Quomodo autem hoc fieri habeat, in tertia parte huius tertij libri, vbi agetur de bellis, plenius oſtendetur. Oſtenſo quomodo Reges & Principes ſolicitari debent, vt populus ſibi commiſſus habeat per quæ poſſit finem conſequi, & quomodo debeant prohibentia remouere: reſtat oſtendere quomodo eos debeant in finem dirigere. hæc etiam tria ſunt. Nam primo commiſſa ſunt ſupplenda: vt ſi viderint aliquid deeſſe ad bonum regimen ciuitatis, illud eſt ſupplendum: hoc autem fieri poteſt per conſilium ſapientum, de quo infra dicetur. Secundo, bonæ ordinationes, & bona ſtatuta debent eſſe obſeruanda. Tertio, bene operantes & maxime facientes ea per quæ reſultat commune bonum, ſunt remunerandi & præmiandi: nam licet commiſſa ſupplere, & bene ordinata conſeruare, multum deſeruiat vt populus recte dirigatur in finem, maxime tamen deſeruire videtur, bene apta remunerare. Nam (vt dicitur 3. Ethicorum capitulo de fortitudine) apud illos ſunt fortes, apud quos maxime honorantur: apud illos ſunt ſapientes & boni, apud quos tales remunerantur, & honorantur. Solicitari igitur circa prædicta nouem, ad Regis officium pertinere videtur. *Rhet. 3.*

Quot

Quot & quæ sunt illa, quæ debet operari verus Rex, & quod eadem simulat se facere Tyrannus. Cap. IX.

NArrare autem possumus decem quæ debet operari bonus Rex, & quæ Tyrannus se facere simulat. Illa enim decem licet aliquo modo in vniuersali contineantur in dictis, tamen quia (vt pluries dictum est) circa morale negocium vniuersales sermones proficiunt minus, ideo bene se habet illa decem narrare per singula. Est autem primum quod spectat ad verum Regem facere, vt maxime procuret bona communia, & regni redditus studeat expendere in bonum commune, vel in bonum regni: tyranni vero hoc simulant facere, non tamen faciunt: sed (vt ait Philosophus) eos tribuunt meretricibus, & adulatoribus, & alijs personis inutilibus. Secundo spectat ad rectum rectorem regni non solum redditus & oblationes ordinare in bonum commune regni, sed etiam bona communia & iura regni debet maxime custodire & obseruare. quod tyranni licet se facere simulant, non tamen faciunt, immo bona aliorum rapiunt, & iura regni non obseruant. Tertio decet Regem, & Principem non ostendere se nimis terribilem & seuerum, nec decet se nimis familiarem exhibere, sed apparere debet persona grauius & reuerenda, quod congrue sine virtute fieri non potest: ideo verus Rex vere virtuosus existit: tyrannus autem non est, sed esse se simulat. Quarto spectat ad Regem, nullum subditorum contemnere, nulli iniuriari, nec in filiabus, nec in vxoribus, nec in persona, nec in aliquibus alijs: & si contingeret aliquem ex regno fore facere, non propter contumeliam vel propter aliquam libidinosam voluntatem explendam, sed propter bonum commune & iustitiæ ipsum punire debet. hoc autem tyranni non faciunt, sed

quia

quia ipsi intendunt bonum pecuniosum & delectabile, iniuriantur ciuibus in vxoribus, & in filiabus, & rapiunt eorum bona. Quinto decet Reges & Principes non solum habere familiares, & diligere nobiles,& barones, & alios per quos bonus status regni conseruari potest, sed etiam vt ait Philosophus in Polit. inducere debent vxores proprias vt sint familiares & beniuolæ vxoribus prædictorum: nam mulieres valde inclinant viros ad voluntates proprias, eo quod quilibet valde inclinatur vt nolit proprias delicias contristare. quare si vxores nobilium & aliorum per quos bonus status regni conseruari habet, viderent se contemni ab vxore Regis aut Principis. inducerent viros vt seditiones mouerent in regno aut principatu. sic ergo gerere se debet bonus rector regni aut ciuitatis. Tyrannus autem non sic se habet, sed corde elatus alios contemnit; propter quod nec ipse nec personæ sibi coniunctæ alijs sunt beniuolæ. Ea igitur quæ habet verus Rex, licet simulate illa videatur habere Tyrannus, inquantum tamen huiusmodi est secundum veritatem caret illis. Sexto decet verum Regem esse moderatum in cibis, & venereis, ne à subditis habeatur in contemptu: nam vt dicitur 5. Polit. non contemnitur qui est sobrius, sed qui ebrius, tyranni autem hoc non faciunt: nam cum non intendát nisi commodum proprium vt bonum pecuniosum & delectabile, quia maxima delectatio sensibilis est in cibis & venereis, tyranni absq; fræno fruuntur voluptatibus illis. Immo (quod peius est) vt narrat Philosophus 5. Politic. multi tyrannorum non solum temperati non sunt, sed nolunt videri temperati esse. Existimant autem reputari ab hominibus felices, si singulis diebus aspiciantur esse in commessationibus, & ebrietatibus, & in conuiuijs affluentibus: non tamen sic se habere deberent. dato enim quod temperamento carerent ne contemnantur à populis, non deberent suam intemperantiam ostendere: laudatur enim sobrietas & temperantia, vituperatur autem

Polit. 5. cap. 10.

tem

tem auaritia & gulositas. Septimo decet verum Regem ornare & munire ciuitates & castra existentia in regno, vt appareat magis esse procurator communis boni, quam tyrannus quærens vtilitatem propriam Octauo decet verum Regem (vt ait Philosophus) sapientes & bonos, etiã extraneos adeo honorare, vt putetur non sic honoratos esse à ciuibus proprijs, si inter ipsos existerent. quod tyranni non faciunt: nam sapientes & bonos, vt infra patebit, non honorant, sed perimunt. Nono decet verum Regem per vsurpationem & iniustitiam non dilatare suum dominium. Nam vt dicitur Polit. durabilius est regnare super paucos, quam super multos. Quod maxime verum est si huiusmodi multitudo ciuilis potentiæ acquisita sit per vsurpationem & iniustitiam. Recitat autem Philosophus 5. Polit. quod cum quidam Rex partem sui regni dimisisset, quia eam forte iniuste tenebat: increpatus ab vxore dicente, quod verecundari deberet, quia minus regnum dimitteret filijs, quam accepisset à patre, respondit Rex ille, quod si dimittebat eis minus in quantitate regnum, dimittebat tamen maius & diuturnius tempore. Tyranni autẽ hoc non faciunt; nam licet semper se simulent iuste agere, tamen in multis suum dominium iniuste ampliant, & aliorum hæreditates sine ratione vsurpant. Decimo & vltimo decet veros reges bene se habere circa diuina. Populus enim (vt recitat Philosophus) omnino est subiectus Regi quem credit esse deicolam, & habere amicum Deum: existimat enim talem semper iuste agere, & nihil iniquũ exercere. Possumus tamen ad hoc aliam meliorem rationem adducere dicentes quod si Rex habeat amicum Deũ diuina prouidentia cui omnia sunt nota, & eius potentia cui nihil potest resistere, continget eum vt expedit suæ saluti semper in suis actibus prosperari. Immo propter sanctitatem regis, multotiens Deus multa bona confert existentibus in ipso regno. Vltimo autem diximus quod decet regiam maiestatem bene se habere circa diuina: quia

C. 11. à princ. Theopopus Spartanorũ Rex.

3. Pol cap 10.

hoc

hoc debet esse finis & complementum aliorum, ad hoc, enim sunt singula ordinanda. Verus ergo Rex secundum veritatem bene se habet erga diuina; tyrannus vero non talis est, sed simulat se talem esse.

Quæ & quot sunt cautelæ, quibus tyrannus nititur se in suo dominio præseruare. Cap. X.

MVltas cautelas tangit Philosophus 5 Polit. ex quibus quantum ad præsens spectat, possumus enumerare decem per quas nititur tyrannus se in suo dominio præseruare. Prima cautela tyrannica, est excellentes perimere. Cum enim tyrannus non diligat nisi bonum propriũ, excellentes & nobiles existentes in regno non valentes hoc pati, insurgunt contra ipsum: tyrannus autem ex quo talem se esse cognoscit, non cogitat nisi quomodo possit excellentes perimere. Immo cum aliqui tyrannizare cupiunt, non solum excellentes alios, immo etiam proprios fratres, & nimia sibi consanguinitate coniunctos venenãt, & perimunt: quod signum est tyrannidis pessimæ. Verus autem Rex econuerso intendens commune bonum, & cognoscens se diligi ab ipsis qui sunt in regno, excellentes, & nobiles, & multo magis cognatos proprios, per quos bonus status regni conseruari potest, non perimit, sed saluat. Secunda cautela tyrannica, est sapientes destruere. Vident enim se contra dictamen rectæ rationis agere, & nõ intendere bonum commune sed proprium: ideo vellent omnes suos subditos esse ignorantes & inscios, ne cognoscentes eorum nequitiam, incitent populum contra ipsos: semper enim qui male agit, odit lucẽ, & non diligit sapiẽtes, ne arguantur opera eius: quare tyrannus, cuius sunt opera mala, sapiẽtes pro posse destruit. Verus autẽ Rex econtra-

Polit. 5. cap. 11.

trario ſciens ſe ſecundum rectam rationem agere, ſapiente, ſaluat, promouet, & honorat, eo quod ipſi cognoſcentes bona opera ipſius, populum commouent ad amorem eius. Tertia, eſt diſciplinam & ſtudium non permittere. Tyrannus enim (ſecundum quod huiuſmodi eſt) non ſolum ſapientes deſtruit, ſed etiam truncat viam, & inhibet ſtudium & diſciplinam, ne efficiantur aliqui ſapientes: ſemper enim timet per ſapientiam reprehendi. Verus autem Rex econtrario ſtudium promouet, & conſeruat, videns quod per ipſum, bonum commune, & bonus ſtatus regni, quem principaliter intendit, meliorari habet. Quarta, eſt nullas ſodalitates, nec etiam aliquas congregationes permittere. Vult enim tyrannus ciues, & eos qui ſunt in regno non eſſe ſodales, nec eſſe ad inuicem notos: nam (vt ait Philoſophus) notitia fidem facit: eo enim ipſo quod quis habet notitiam alterius, confidit de illo: hoc autem tyrannus non diligit: timet quidem ne ciues de ſe confidentes propter iniurias quas eis infert, contra ipſum inſurgant. Verus autem Rex econtrario permittit ſodalitates ciuium, & vult ciues ſibi inuicem eſſe notos, & de ſe confidere; nam cum intendat bonum ipſorum ciuium & ſubditorum, naturale eſt vt diligatur ab eis: quare vult eos eſſe confœderatos & coniunctos, quia tunc magis vnanimiter diligunt bonum Regis. omnino enim eſſet peruerſus populus, ſi cognoſceret ſe habere verum Regem, & diligere commune bonum, ſi viceuerſa non diligeret ipſum Regem. Quinta cautela tyrannica, eſt habere multos exploratores, & tenptare nnn latere ipſum quicquid à ciuibus agitur. Cum enim tyranni ſciant ſe non diligi à populo, eo quod in multis offendant ipſum, volunt habere exploratores multos, vt ſi viderent aliquos ex populo machinari aliquid contra eos, poſſint obuiare illis. Immo eo ipſo quod ciues credunt tyrannum habere exploratores multos, non audent congregari vt machinentur aliquid contra eum: nam & ſi inter eos ſic cógregatos

nullus

nullus exploratorum existeret, semper tamen timerent ibi exploratores esse. Huiusmodi autem exploratores verus Rex habere non curat ad ciues, & ad eos qui sunt in regno: sed ad hostes, & ad extraneos. Verum autem deceat Reges habere exploratores in regno propter aliam causam, quãne populus insurgat in ipsum, infra dicetur: ad præsens autem scire sufficiat, quod non sic Rex eget exploratoribus, vt tyrannus. Sexta cautela tyrannica, est non solum non permittere fieri sodalitates & amicitias, sed etiam amicitias iam factas, & sodalitates turbare, & peruertere. Volunt enim tyranni turbare amicos cum amicis, populum cum insignibus, insignes cum seipsis. Vident autem quod quandiu ciues discordant a ciuibus, & diuites à diuitibus: tamdiu non potest æque de facili eius potentiæ resisti: nam tunc quælibet partium timens alteram, neutra insurgit contra tyrannum. Verus autem Rex econtrario non procurat turbationem existentium in regno, sed pacem & concordiam: aliter enim non esset verus Rex, quia non intenderet commune bonum. Septima, est pauperes facere subditos adeò vt ipse tyrannus nulla custodia egeat. Volunt enim tyranni subditos esse intantum pauperes, vt sic occupentur circa cotidiana quibus indigent, vt non vacet eis aliquid machinari contra ipsos, nec oporteat ipsos habere aliquam custodiam propter illos. Verus autem Rex quia intendit bonum subditorum non affligit & depauperat ipsos, sed magis procurat eorum bona. Octaua, est procurare bella, mittere bellatores ad partes extraneas, & semper facere bellare eos qui sunt in regno: quatenus semper circa bellorum onera intenti, non vacet eis aliquid machinari contra tyrannum. Verus autem Rex non intendit affligere subditos, suscitando & procurando bella, eo quod intendat bonum regni: non vult ergo eos qui sunt in regno assumere arma nisi pro defensione regni, vel pro aliquo alio iusto bello. Nona, est custodiam corporis exercere non per eos qui sunt in

co

eo regnò, eo qood diffidat de illis, ſed per extraneos. Verus autem Rex econuerſo ſe habet, vt ſupra plenius dicebatur. Decima cautela tyrannica, eſt quod poſtquam procurauit diuiſiones & partes in regno, cum vna parte affligit aliam vt clauum clauo retundat. Rex autem econtrario non procurat diuiſiones & partes in regno, ſed ſi quæ ibi exiſtunt, eas amouere deſiderat.

Quot ſunt illa, ad quæ reducuntur cautelæ tyrannicæ: & quod Reges cauere debent ne efficiantur tyranni, quia opera regia ſunt optima, tyrannica vero peſſima. Cap. XI.

OMnes cautelas tyrannicas, quas in præcedenti capitulo numerauimus, philoſophus reducit ad quatuor: tyranni enim quatuor intendunt. Primo, vt ſubditi ſint inſcij. Secundo, vt ſint puſillanimes. Tertio, vt de ſe inuicem non confidant. Quarto, vt ſint adeo depauperati & afflicti, vt contra eos non poſſint inſurgere. Ad hæc autem quatuor, prædicta omnia reducuntur: nam quantum ad præſens ſpectat, ad hoc quod aliquis inuadat vel machinetur aliquid contra tyrannum ex aliquo prædictorum quatuor videtur procedere. Primo enim poteſt hoc accidere ex magnanimitate, vt quia inſurgens eſt tanti cordis vt nihil reputet magnum. Secundo ex induſtria & ſagacitate, vt quia credit ſe tot adinuenire vias & verſutias poſſe, vt valeat tyrannum perimere. Tertio poteſt contingere ex potentia, vt ſi inſurgens confidat de alijs ciuibus, & credat ſe iuuari ab eis, propter ciuilem potentiam tyrannum inuadit. Quarto hoc poterit accidere ex nimio ocio, vt ſi ciues nimis ſint opulenti, & vacent nimio ocio. quia mens humana neſcit ocioſa eſſe, dū

non

non occupantur ciues circa cotidianas indigentias, excogitant seditiones, quomodo possint turbare ciuitatem, & insurgere contra rectorem ciuium. Contra hæc ergo quatuor procurant tyranni perimere excellentes, ne sui subditi sunt magnanimi: destruere sapientes, impedire scholas, & studium, vt existentes in regno sint ignorantes & inscij: non permittere sodalitates; turbare ciues inter se vt de se inuicem non confidant: depauperare eos: occupare eos in bello, & in alijs exercitijs, vt non vacent ocio. Hæc ergo sunt cautelæ tyrannicæ. Verum quia nullus forte est omnino tyrannus, quia malum seipsum destruit, & si integrum sit, importabile fit vt dicitur 4. Ethicorum, & forte vix aut nunquam reperitur aliquis, qui sit omnino Rex quin in aliquo tyrannizet: esset enim quasi semideus, si nihil de tyrannide participaret. Inde est ergo quod dominantes aliquid participant de cautelis regijs, & aliquid de versutijs tyrannorum: & tanto est melius dominium, quanto plus accedit ad regnum, & est longius à tyranno. Voluimus quidem vtriusque opera enarrare, & vtrasque cautelas describere: quia opposita iuxta se posita magis elucescunt; magis enim apparet opera regia esse optima, ostendendo tyrannica esse pessima. Ex hoc autem manifeste patet, tyrannidem maxime esse fugiendã à regibus; quia pessimum de se, est maxime fugiendum, & optimum maxime prosequendum. Ethic. 4. c. 5.

Quòd detestabile est, regiam maiestatem declinare in tyrannidem: & quicquid corruptionis est in alijs peruersis Principatibus, totum in tyrannidem congregatur. Cap. XII.

ADeò sensus hominum sunt ad malum proni, vt valde vtile sit in via morum multis vijs ostendere, & multis rationibus probare malum, & vitium de se esse quid vile & fugiendum, vt quem vna via non inclinat, vt malum vitet, alia inducat ipsum ad fugiendum malum. Postquam ergo ostendimus tyrannidem fugiendam esse à Regibus, eo quod opera tyranni sunt pessima: probare volumus Reges summa diligentia cauere debere ne conuertantur in tyrannos, quia quicquid corruptionis & iniquitatis est in alijs peruersis principatibus, totum in tyrannidem congregatur. Sunt enim (vt patet ex habitis) tres principatus boni, & tres peruersi. Dicebatur autem quod si dominatur vnus propter bonum commune, est principatus rectus, & vocatur regnum. Si vero propter bonum proprium, est peruersus, & vocatur tyrannis. Si vero principentur pauci, & dominentur quia boni & virtuosi, est rectus principatus, & vocatur aristocratia siue principatus bonorum. Si vero dominentur non quia boni, sed quia diuites, est peruersus & vocatur oligarchia. Sed si dominatur totus populus & intendat bonum omnium tam insignium quam aliorum, est principatus rectus, & vocatur regimen populi. Si vero populus tyrannizet & intendat opprimere diuites, est principatus corruptus, & vocatur Democratia. quod idem est quod quasi peruersio & corruptio populi. Tyrannis vero corruptus principatus diuitū, & iniquum dominium populi, sunt regimina peruersa. Tyrannis tamen est peruersior principatus: quia vt probat

bat Philosophus 5. Polit. quicquid peruersitatis est aliquo principatu diuitum, & in peruerso dominio populi, totũ congregatur in tyrannidem. Quod sic patet: nam diuites si inique dominari cupiant, quantum, ad præsens spectat, tria intendunt. videlicet pecuniam, corporales delicias, & custodiam corporis. Intendunt enim pecuniam: quia quilibet principans intendit augmentum illius, secundum quod se principari videt: Si ergo aliquis principatur quia bonus & virtuosus, semper intendit ad opera magis bona, & ad virtutem, vt efficiatur melior & virtuosior. Sed si principatur quia diues, vt magis principari possit, intendit augmentum diuitiarum, & congregationem pecuniæ. Quare si diuites inique dominãtes non principantur quia boni, sed quia diuites, tota eorum intentio erit circa pecuniam congregandam. Rursus diuites inique principantes intendunt delicias corporales, & habere voluptates sensibiles. nam si quis vult aliquid, vult & ea multo magis, ad quæ illud ordinatur: vt si quis vellet potionem, multo magis sanitatem vellet, ad quam potio ordinatur. Cum ergo homines communiter & maxime habentes voluntatem peruersam, ordinent pecuniam & diuitias ad delectamenta corporea, & ad voluptates sensibiles, sequitur diuites inique dominantes, & intendentes non commune bonum, sed pecuniam, intendere corporales delectationes. Tertio diuites sic principantes maxime solicitantur circa custodiam corporis. nam nullus spreto communi bono intendit ad pecuniam & voluptates corporis, nisi in multis offendat populum: nam talis vt pecuniam habeat deprædatur ciues, vt vero voluptatibus fruatur fore facit, & infert contumeliam ciuibus quantum ad vxores & filias. Videt ergo se esse odiosum populo, ideo non credit se multitudini, sed semper dubitans de furia populi, maxime solicitatur circa custodiam corporis. Omnia autem huiusmodi mala reperta in peruerso principatu diuitum, congregantur in tyrannide. Nam tyrannus vt supra dice-

batur non intendit bonum commune, sed pecuniam. Rursus vt supra dicebatur non intendit bonum honorificum, sed delectabile. Tertio tyrannus maxime delectatur circa custodiam corporis, eo quod videat se plurimos offendisse. Legitur enim de quodam tyranno, qui cum à fratre suo cotidie increparetur, quare ipse semper tristis existeret, & quare nunquam hylarem vultum ostenderet. Tyrannus ille volens reddere causam quæsiti, eum expoliari fecit, & ligari: & supra caput eius acutissimum gladium pendentem tenuissimo filo apponi fecit: circa ipsum quosdam homines cum ballistis, sagittis appositis, stare faciebat. Et cum frater eius timore horribili inuaderetur, timens ab acuto gladio vulnerari, & à ballistis perfodi, ait Tyrannus, Gaude frater, hylarem ostende vultum. Respondente illo quod non posset propter imminentia pericula: inquit Tyrannus quod nec ipse gaudere poterat, eo quod in maiori periculo existebat, quia in tot forefecerat quod semper sibi de morte dubitabat. Valde ergo cauere expedit Regi ne conuertatur in tyrannum. nam tyranni cum hoc quod perdunt æternam vitam, in hac temporali vita vix vnam diem bonam habent, eo quod semper videant sibi pericula imminere. Rursus, pecuniam non tantam habent tyranni, quantam veri reges: tum quia oportet eos multa expendere superuacue, tum etiam quia veris regibus plus donatur ex amore quam tyrannis proueniat ex prædatione populi. Experti enim sumus tyrannizantes plus vixisse in egestate, quam alios veros reges. Delectamenta etiam corporea non tot habent tyranni, quot veri reges. Nam habere amicos, & diligi a populo, est maxime delectabile: non confidere de aliquo & credere se odiosum esse multitudini, est maxime tristabile. Priuatur ergo tyrãnus à maxima delectatione, cũ videat se esse populis odiosũ. Viso tyrannidẽ cauendam esse, quia iniqui principatus dinitũ congregãtur in ea: restat videre esse eam cauendã, eo

quod

quod etiam in ipsa congregantur mala peruersi principatus populi. Cum enim populus principatur peruerse, non intendit quodlibet seruare in suo statu, sed satagit opprimere nobiles, & insignes. Hoc etiam tyrannus facit, quia vt patet ex habitis ipse pro viribus nititur opprimere excellentes, & perimere diuites & insignes. Summe ergo est cauenda tyrannis à Rege, in qua tot mala congregantur.

Quòd summe expedit Regibus & Principibus recte gubernare populum, & cauere ne tyrannizent, quia multis de causis contingit subditos insidiare tyrannis. Cap. XIII.

Quoniam hunc librum composuimus propter eruditionem Regum & Principum, vt recte & debite gubernent populum sibi commissum: cum deuiare à recto regimine sit tyrannizare, & iniuriari subditis, & non intendere commune bonum; licet pluribus vijs ostenderimus per iam dicta detestabile & periculosum esse regiæ maiestati tyrannizare, & non recte gubernare populum: non piget adhuc nouas vias adducere ad ostendendum hoc idem. Volumus autem declarare in hoc capitulo quod quia multis de causis subditi insidiantur tyrannis, & quia valde est periculosa vita tyrannica & deuiatio à recto regimine, reges cura peruigili studere debent, ne delinquentes rectum gubernaculum, tyrannizent. Narrat autẽ Philosophus 5. Polit. sex causas, quare subditi tyrannis insidiantur. Prima est propter timorem. nam multi pusillanimes existentes, cum nimis timent, & non credunt se posse euadere, quasi desperantes inuadunt alios, & efficiuntur probi. Vnde & prouerbialiter dicitur, quod *Polit. 5. cap. 10.*

nimis fugans timidum, vi compellit esse audacem. Sic etiam & alia animalia quasi communiter timent hominem, & nisi crederent se lædi ab eo, raro aut nunquam inuaderent ipsum: bestiæ ergo vt plurimum timore compulsæ insidiantur homini & inuadunt eum: hoc ergo modo multotiens subditi insidiantur tyranno, & perimunt ipsum tyrannum, timentes se offendi ab eo. Secunda causa propter quam subditi tyrãno insidiantur, est iniuria quam passi sunt ab ipso: naturale est enim desiderare vindictam, propter quod Homerus dicebat, iram dulciorem esse melle, quia est appetitus pœnæ in vindictam: quia ergo sic est delectabile vindictam exposcere, multi insidiantur tyranno, & propter vehementem iram aliquando inuadunt ipsum volentes latas iniurias vindicare. Tertio insidiantur aliqui tyranno, & aliquando perimunt ipsum: quia vt plurimum tyranni faciunt ea per quæ se contemptibiles reddunt. Nam cum non quærant bonum commune, sed delectationes corporis, vt plurimum non sunt sobrij sed gulosi, vel non sunt casti, sed dant operam venereis: & quia hoc agentes se contemptibiles reddunt, de facili inuaduntur. Exemplum horum recitat Philosophus 5. Politicor. vbi habemus de Sardinapalo rege, qui spreto communi bono totum se dedit venereis. quidam vero dux contemnens eum, eo quod vitam pecudum elegisset, inuasit, & peremit ipsum. Sic etiam Dionysius posterior tyrannizans, & curans magis de gula quam de bono communi, contemnebatur à subditis, eo quod quasi semper esset ebrius: quidam enim nomine Dion videns ipsum quasi semper esse ebrium, propter despectionem insurrexit in ipsum. Quarto hoc fieri contingit propter honorem aut propter lucrum adipiscendum. Nam cum honor & gloria inter bona exteriora sint bonum maximum, multi videntes tyrannum non quærere nisi honorem & gloriam propriã, & non honorare subditos, & non quærere cõmune bonũ, volentes adipisci honorem & gloriam quam conspiciunt in ty-

1. Rhet. cap. 11.

Eth. 5. cap. 10.

in tyranno, inuadunt eum, & perimunt ipſum. Sic etiam quia multi reputant pecuniam eſſe maximum bonum, videntes tyrarannum non intendere niſi ad lucrum propriũ, & ad congregandam pecuniam inuadunt ipſum, & accipiunt theſauros eius. Vnde dicitur 5. Polit. quod quidam tyrannos inuadunt, videntes lucra magna, & honores magnos exiſtentes in ipſis. Quinto fiunt inſidiæ tyrannis ab aliquibus, non vt poſſideant monarchiam, ſed vt videantur facere actiones aliquas ſingulares. Volunt enim aliqui eſſe in aliquo nomine vel in aliqua fama, ideo vt nominétur faciunt aliquid mirabile & aliquod ſingulare factum: & quia inſurgere contra tyrannum reputant populi valde ſtupendum, ideo contra ipſum inſurgunt. Sed tales, qui propter hanc cauſam facientes impetum in tyrannum (vt ait Philoſ.) ſunt pauciſſimi numero, ſupponi oportet eos nihil curare, vt ſaluentur. Sexto contingit aliquos inſidiari tyrannis & perimere ipſos, vt liberent patriam ab oppreſſione eorum. His ergo de cauſis fiunt inſidiæ contra tyrannum. Ne ergo fiant inſidiæ contra regiam maieſtatem, & ne Rex ſemper dubitet ne perimatur à ſubditis, ſumma diligentia cauere debet, ne conuertatur in tyrannum. Nam ſi non iniuriatur ſubditis, ſi eſt continens & ſobrius, & non eligit vitam beſtialem & contemptibilem, ſi honorat inſignes, & alios exiſtentes in regno vt requirit eorum ſtatus; non depauperet nec opprimat eos, & in omnibus ſe habet non vt tyrannus, ſed vt verus rex: inducit omnes exiſtentes in regno ad amorem eius, & tollit ab eis omnem materiam & cauſam quare inſidientur ipſi.

Quòd maxime Rex cauere debet ne efficiatur tyrannus: eo quod pluribus modis corrumpatur tyrannis quam regius principatus. Cap. XIIII.

LIcet per multa capitula præcedentia induxerimus Reges & Principes vt non tyrannizent, sed vt recte regant populum sibi commissum: adhuc in hoc capitulo volumus alias rationes adducere, ostendentes quod si reges cupiant suum durare dominium, summo opere studere debent ne efficiantur tyranni, eo quod tyrannis & principatus peruersus pluribus modis corrumpitur, quam rectus & regius principatus. Narrat autem Philosophus 5. Politicorum tres modos corruptionis tyrannidis, dicens, Tyrannidem corrumpi a se, a tyrannide alia, & a regno. Corrumpitur enim tyrannis a seipsa. nam (vt dicebatur supra) malum seipsum corrumpit, & si integrum fit importabile fit. Tyrannis ergo propter peruersitates & nequitias quæ congregantur in ipsa, corrumpitur & durare non potest. Ideo dicitur in Polti. quod tyrannis quanto intensior, tanto minus durat: iustitia enim vrbanitates seruat. quare cum a iustitia receditur, præparatur via vt corrumpatur principatus ille. Politia ergo quanto de se magis a iustitia recedit, tanto ex se habet vt facilius corrumpatur. Reges ergo & principes si volunt suum durare dominium, summe cauere debent ne à instiția deuiantes in tyrannidem conuertantur: & si eos aliquo modo tyrannizare contingat, suam tyrannidem pro viribus moderare debent, quia quanto remissius tyrannizabunt, tanto durabilius principabuntur. Secundo tyrannis corrumpitur ab alia tyrannide contraria. nam licet bonum non contrarietur bono, eo quod bonum sit vno modo: malum

Polit. 5. c. 10.

c. 11. huius 2. p.

lum tamen potest contrariari malo, eo quod esset habet multipliciter: contingit enim vno modo percutere signũ, propter quod in hoc non est diuersitas nec contrarietas: sed contingit multipliciter deuiare ab ipso. quare in deuiationibus contrarietas esse potest, vt si multum opponitur pauco, proiectio vltra signum contrariatur proiectioni citra: & proiectio in dextrum proiectioni in sinistrum. Sic etiam in proposito, principatus rectus non contrariatur recto principatui: sed peruersus peruerso. Vna ergo tyrannis potest contrariari alij, & corrumpere ipsam; vt tyrannis populi contrariatur tyrannidi monarchiæ: & vna monarchia tyrannica contrariatur alij. Cum enim aliquis monarcha vel aliquis vnus Princeps tyrannizet in populum, gens illa oppressa non valens sustinere tyrannidem Principis, insurgit & tyrannizat in ipsum, eum perimens vel expellens. totus ergo populus efficitur quasi vnus tyrannus contra Principem, & tyrannis populi corrumpit tyrannidem monarchiam. Sic etiam vna tyrannis monarchia corrumpit aliam: quia multotiens vnus monarcha tyrannus insurgit in alium, vt obtineat principatum eius. Debent ergo cauere Reges & Principes ne tyranizent, cum tot modis dissoluatur tyrannicus principatus. Tertio dissoluitur tyrannis non solum propter seipsam vel propter tyrannidem aliam, sed etiam propter regnum. Nam non solum malum contrariatur malo, sed etiam bonum malo contrariatur: non solum enim tyrannus tyranno obuiat, sed etiam & Rex (si viderit expedire) tyranno se opponit. tot ergo discriminibus oppositus est tyrannus, & tot modis habet dissolui eius principatus. Regium autem dominium non tot periculis exponitur, nec tot modis habet dissolui. Nam licet tyrannus satagat pro viribus verum regem opprimere, nullus tamen verus Rex vero Regi se opponit: nã nullus bonus & virtuosus insequitur alios bonos & virtuosos, sed eos pro posse saluat & promo-

uet;

uet: eo enim ipso quod aliquis bonis & virtuosis se opponeret, deficeret esse bonus & virtuosus. Decet ergo regiã maiestatem summo studio cauere tyrannidem, ne prædictis periculis exponatur.

Quæ sunt quæ saluant dominium regium, & quot oporteat Regem facere vt se in suo principatu conseruet.

Cap. XV.

Polit. 5. cap. 11. Tangit autem Philosophus 5. Polit. decem quæ politiã saluant, & quæ oportet facere Regem ad hoc vt se in suo principatu præseruet. Primo est, non permittere in suo regno transgressiones modicas. nam multæ modicæ transgressiones (vt ait Philos.) æquantur vni magnæ, sicut multæ paruæ expensæ æquiualẽt vni magno sumptui; paruæ enim transgressiones si multæ sint, disponunt ad trãsgressiones magnas. Nã qui minima negligit, paulatim defluit in maiora. Principijs ergo est obstandum, & inhibendæ sunt obliquitates, etiam modicæ. Secundum præseruans politiam & regnum regium, est bene vti ijs qui sunt in regno, introducendo eos ad aliquos principatus, honorando eos, & non iniuriando eis. Nam vt innuit Philosophus in poli. bene vti ciuibus non solum præseruat politiam rectam, sed etiam principatus ex hoc durabilior redditur, dato quod in ipso sit aliquid obliquitatis admixtum. Tertium est, incutere timorem ijs qui sunt in politia: nam corruptiones longe secundum rem, prope autem secundum timorem politiam saluant: ciues enim magis sunt subiecti Principi & plus ei obediunt, si ex timoribus corruptionem timeant. Guerra enim exterius tollit seditiones intrinsecas, & reddit ciues magis vnanimes & concordes. Exemplum huius habemus in Romanis.

nis, qui postquam defecerunt exteriora bella, intra seipsos bellare cœperunt. Est autem hæc cautela vtilis solum duobus principatibus: vt principatui constituto ex hominibus assuetis ad bella, & principatui in quo quis nouiter principari cœpit. Homines enim bellatores & assueti ad prælia, quibus non fuit curæ de virtutibus alijs nisi de fortitudine, secundum Philosophum 7. Politicorum assimilantur ferro, quod dum est in continuo exercitio claritatem habet, sed si diu remanet inofficiosum, rubiginem contrahit. sic & tales bellantes fiunt obedientes Principi: vacantes vero nesciunt debite se habere: quare talibus vt debite se habeant semper incutiendi sunt timores bellici, & correptiones extrinsecæ. Rursus, si quis super aliquos de nouo principari cœpit, quia contra talem principatũ facilius insurgitur; ne ciues insurgant in Principem, & vt magis vnanimiter obediant, incutiendi sunt illis timores de extrinsecis periculis imminentibus: sed si regnum diu in statu perstiterit, & dominus ille sit naturalis, ita quod quasi non sit in memoria hominum ex quo ille & antecessores sui obtinuerunt huiusmodi principatum, tanta cautela non magnam vtilitatem habere videtur. Quartum autem quod politiam saluare videtur, est cauere seditiones & contentiones nobilium; & hoc ponendo eis leges, quia legibus non de facili contradicitur. Sunt enim in regno tales leges instituendæ, vt per eas sedari possint contentiones nobilium. Nam baronibus dissentientibus fiunt seditiones in regno, & per consequens fit præparamentũ vt dissoluatur regius principatus. Quintum, est diligenter aspicere, quomodo se habeant, quos maiestas regia honorauit, & promouit ad aliquam præposituram, vel ad aliquem principatum, aut magistratum. Nihil enim adeò regnum conseruat & politiam saluat, sicut præficere homines bonos & virtuosos, & conferre eis dominia & principatus. Quare maxime saluatiuum politiæ est, regiam maiestatem considerare diligenter quos præficit in aliquibus

magi-

magiſtratibus: & ſi bene ſe habuerint, augere eorum dominia: ſi male, minuere: vel adeò male ſe habere poſſent, quod eſſent totaliter à dominio remouendi, vel etiam capitali ſententia condemnandi. Sextum eſt, nulli valde magnum dominium conferre. Nam magna dominia ex nimia bonitate & fortitudine vt plurimum corrumpunt mentes hominum, vt fiant tranſgreſſores iuſtitiæ. Eſt autem hæc cautela maxime vtilis ad homines, de quibus Rex certam & diuturnam experientiam non accepit. Ideo potiſſime obſeruandum eſt, ne repente conſtituatur aliquis in maximo principatu. Septimum ſaluãs regnum & politiam, eſt Regem ſiue principantem habere dilectionem & amorem ad bonum regni, & ad politiam, in qua principatur. Quicunque enim amat, ſolicitatur, & timet, ne aliquod inconueniens accidat circa amatum. timor autem conſiliatiuos facit, vt dicitur 2. Rhet. ibi enim eſt magna ſalus, vbi & multa conſilia. quare ſi Rex bonum regni diligat, ſaluabitur regnum; quia timens ne in regno aduerſa contingant, adhibebit multa conſilia qualiter poſſit bona regni promouere, & periculis imminentibus obuiare. Octauum ſaluans regnum & politiam, eſt habere ciuilem potentiam. Nam (vt dicitur in Magnis moralibus) iuſtitia vrbanitates conſeruat. Sed iuſtitia in regno conſeruari non poteſt, niſi per potentiam ciuilem puniantur tranſgreſſores iuſti. Debet enim Rex aut Princeps ſi vult ſeruare iuſtitiã & vult punire tranſgreſſores iuſti, habere multos exploratores, & multos inquiſitores inueſtigantes facta ciuiũ, & inquirentes vnde ciues accipiunt quod expendunt, & quomodo poſſunt reddere rationem ſui victus: nam qui huiuſmodi rationem non poteſt reddere, ſignum eſt quod ex furto vel ex male ablato viuat. Sic enim faciendo iſta, poterit ſeruare iuſtitiam, & præſeruare regnum à maleficis, & tranſgreſſoribus iuſti. Nonum maxime ſaluans regnum, eſt eſſe regem bonum & virtuoſum. Nam vt

Rhet. 2. cap. 5.

dicitur

dicitur 5. Politicorum, maior virtus requiritur in custodia ciuitatis & regni, quam in duce exercitus. Nam in duce exercitus requiritur potissime experientia, sed custos ciuitatis & custos regni totius oportet quod sit virtuosus & epijkis idest super iustus: decet enim talem esse quasi semideum, vt sicut alios dignitate & potentia excellit, sic eos bonitate superet. hoc enim maxime saluabit regnum & politiam, si Rex sit bonus & virtuosus, quia intendet bono regni & communi. Decimum, est Regem non ignorare qualis sit illa politia secundum quam principatur, & quæ eam possunt saluare & corrumpere. Talia autem maxime sciri poterunt per experientiam: nam cum quis diu expertus est regni negocia, de leui arbitrari poteritque bonum statum regni corrumpũt, & saluant. Decet ergo Regem frequenter meditari & habere memoriam præteritorum quæ contigerunt in regno, quomodo iudicata fuerunt, & quomodo temporibus retroactis melius conseruatus fuerit bonus status regni, vt sciat cognoscere qualiter principari debeat, & quæ corrumpunt & saluant regnum & gubernationem regni: quia his ignoratis recte regum gubernare non poterit.

Qua

Quæ sunt consiliabilia, & circa quæ oportet consilia adhibere. Cap. XVI.

DIcebatur supra, quatuor consideranda esse in regimine ciuitatis. videlicet Principem, consilium, prætoriū, & populum. Postquam ergo auxiliante deo determinauimus de Principe, & distinximus quot sunt genera principatus, & qui illorum recti & qui illorum peruersi, & declarauimus regnum esse optimum principatum, & tyrannidem pessimum; manifestauimus item quod sit Regis officium, & quæ oporteat ipsum facere vt recte regat populum sibi commissum: probauimus etiam multis vijs decere Regem vigilem curam assumere, ne couertatur in tyrannum: & tandem, quantum spectat ad præsens negocium, sufficienter tractauimus quæ circa Principem sunt dicenda. Restat ergo de consilio pertransire quæ tractanda sunt circa ipsum. Sed, cum dicat Philosophus 3. Ethic.
Eth. 3. cap. 3. consiliabitur vtique aliquis non pro quibus consiliatur insipiens, & insanus, sed pro quibus sapiens, & intellectum habens. Ideo primo videndum est quæ sunt consiliatiua, & circa quæ debent fieri consilia, ne tanquam ignorantes consiliari velimus de quibus non sunt consilia adhibenda. Possumus autem tangere sex, quantum ad præsens spectat, quæ sub consilio non cadunt. Primo enim quæcunque sunt immutabilia consilium nostrum subterfugiunt. Nam ideo consiliamur, vt regulemur in actionibus nostris, & vt vitemus mala, & vt consequamur bona: quæ ergo vitari non possunt, & quæ mutationi non subiacent, sub consilio non cadunt. Ideo dicitur 3. Ethi. quod de æter-
Eth. 3. cap. 3. nis idest de immutabilibus nullus consiliatur: nullus enim quærit consilium de diametro si est commensurabilis costæ, vel de quocunque immutabili. Secundo etiam consiliabilia non sunt quæcunque mobilia, si semper vniformiter

ter moueantur. Nam quæ semper vniformiter mouentur (secundum quod huiusmodi sunt) quandam necessitatem habent: consiliabilia autem non sunt necessaria, sed contingentia. Ideo dicitur in Ethic. quod de his quæ semper sunt in motu, & quæ semper vniformiter mouentur, puta de versionibus solis, & de ortibus syderum nullus consiliatur: sydera enim licet moueantur, tamen quia semper sunt in motu, nec propter nostra opera immutari possunt eorum cursus, ideo circa talia non est consiliũ adhibendum. Si autem circa talia cadit consilium; hoc non est secundum se, sed prout deseruiunt actionibus nostris: vt quia aliqua humana opera congruentius fiunt tempore calido, aliqua vero tempore frigido: cursus syderum quæ inducere habet secundum diuersa tempora calorem & frigiditatem, non per se, sed per accidens potest sub cõsilia cadere, vt sciamus quo tempore quæ opera sunt fienda. Tertio non sunt consiliabilia etiam quæ fiunt frequenter, si fiunt à natura. Ideo de imbribus quæ semper fiunt tempore hyemali, & de caumatibus quæ sepe contingũt tempore æstiuali, non habet esse consilium: quia talia naturalia sunt, & non dependent ex operibus nostris, ideo de eis non consiliamur, nisi vt deseruiũt operibus nostris. Hoc ergo modo est consilium circa ipsa sicut & circa cursus syderum, & circa quæcunque alia deseruientia humanis actibus. bene ergo dicitur in Ethic. quod de siccitatibus, & imbribus non est consilium. Quarto non sunt consiliabilia quæ etiam fiunt raro, si ex fortuna contingant. Nam quicunque consiliatur, vult ex electione vel ex intẽtione aliquid adipisci: quæ ergo præter intentionem eueniunt, consiliabilia esse non possunt. Ideo dicitur in Ethic. non esse consilium de his, quæ sunt à fortuna, puta de thesauri inuentione. Quinto non sunt consiliabilia etiam omnia humana opera: quia non cadunt sub consilio nostro opera illorum hominum, quæ propter nostra facta mutari non possunt. Ideo dicitur in Ethic. quod qualiter

Eth. 3. cap. 3.

vtique

vtique Scythæ optime conuersentur, nullus Lacedæmoniorum consiliatur: nec etiam nulli Gallici consiliantur qualiter optime viuant Indij. Consiliabilia ergo non sunt immutabilia, nec vniformia semper, nec quæ sunt à natura, nec quæ à fortuna, nec omnia humana cadunt sub consilio, sed solum consiliamur de ijs quæ sunt operabilia per nos: nam vt dicitur 3. Ethicorum singuli autem hominum consiliantur de ijs operabilibus, quæ fieri possunt per ipsos. Sexto non sunt consiliabilia omnia quæ per nos fieri possunt. Nam quæcunque finaliter per opera nostra adipisci intendimus, sub consilio non cadunt. nam consilium non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem: oportet enim in consilio præsupponere finaliter intentum, & non consiliari de ipso, sed de ijs per quæ consequi possumus illud. Medicus enim quia finaliter intendit sanitatem, non consiliatur vtrum debeat sanare egrum sed hoc accipit tanquam certum & notum, egrum sanandum esse: & consiliatur de uijs per quas facilius & melius sanetur. Sic rector ciuitatis & regni non consiliatur vtrum ciues inter se pacem debeant habere, & vtrum regnum oporteat esse in bono statu: sed hæc accipit tanquam certa & nota, & consiliatur quomodo melius fieri possint. Sunt ergo consiliabilia quæ dependent ex operibus nostris, & non sunt finaliter intenta, nec se habent vt finis; sed vt ea quæ sunt ad finem.

6. Eth. cap. 5.

Quid

Quid est consilium, & qualiter consilia sunt fienda. Cap. XVII.

Est autem omne consilium quædam quæstio, quia (vt dicitur 6. Ethicorum) consilians siue bene siue male consiliatur; quærit aliquid, & ratiocinatur. propter quod quicunque consiliatur, quærit, non tamen econuerso: nam, vt dicitur 3. Ethicorum, licet omne consilium sit quæstio, non tamen omnis quæstio est consiliũ. Si enim consiliabilia sunt solum quæ dependent ex operibus nostris, consilium erit quæstio non de quibuscunque, sed solum de agibilibus humanis: possunt autem circa speculabilia, & circa naturas rerum, & circa æterna fieri quęstiones multæ, sed huiusmodi quæstiones consilia dici non debét. Viso quid est consilium, quia est quæstio agibilium humanorum: restat videre qualiter est consiliandum, & quem modum in consilijs habere debemus. Sunt autem (quantum ad præsens spectat) sex obseruanda, vt sciamus qualiter sit consiliandum. Primum est, quia quanto aliquid est magis determinatum, tanto minori eget consilio: immo si omnino determinatum esset, nullius egeret consilio. Ideo dicitur tertio Ethicorum quod circa certas operationes disciplinarum non est consilium puta de litteris, non enim consiliatur scriptor (nisi sit omnino ignorans) qualiter debeat scribere litteras, quia hoc sufficienter determinatum est per artem scribendi. De his ergo sunt consilia, quæ possunt fieri per nos; & non sunt omnino certa & determinata qualiter fieri debeant, ideo dubitamus & consiliamur circa ipsa. Est ergo vnus modus in consilijs adhibendus, quod quando aliquod factum regni proponitur, quanto pluribus modis fieri potest & quanto minus habet certas & determinatas vias, tanto per plus tempus est con-

Eth. 6. cap. 9. itē circa finem li. de me. & remin. cap. 3.

 silian-

siliandum, vt de illis vijs facilior & melior eligatur. Secundo est in consilijs attendendum, vt non consiliemur de quibuscunque minimis, sed de magnis. Dicebatur enim supra, quod timor consiliatiuos facit: qui ergo consiliatur, videtur timere & dubitare ne aliquo infortunio contingente deficiat à consecutione optati boni, vel incurrat aliquod damnum, vel aliquod aliud malum. Quæ ergo sunt valde modica, vt quæ sunt apta nata efficere paruum bonum, vel prohibere modicum malum, non sunt consiliabilia. Est ergo modus attendendus in consilijs, vt de magnis consilietur negotijs. Tertio cum consiliari volumus, debemus alios assumere nobiscum, inter quos conferamus de negocijs fiendis. Nam licet homo inter seipsum possit inuenire vias & modos ad aliquid peragendum, attamen imprudens est qui solo suo capiti innittitur, & renuit aliorum audire sententias. Magnæ enim prudentiæ est in consilijs hunc habere modum: vt cum alijs conferamus quid agendum, quod ex duobus patet; Nam consilia (vt dictum est) esse debent de rebus magnis. In talibus autem nullus debet omnino sibi credere, & proprio sensui inniti: sed debet alios ad se vocare, sciens quod plura cognoscere possunt multi, quam vnus. Ideo dicitur 3. Ethicorũ
Eth. 3. C. 3. consiliatores assumimus in magna discernentes, nobis ipsis velut non sufficientibus dignoscere. Rursus hoc idem patet ex eo quod consilium est circa agibilia particularia, in quibus multum valet experientia. Nam in talibus,
In proœ. vt dicitur primo Meta. plus proficit expertus, quam artifex. Quare cum plures plura experti sint, quam vnus solus: decet ad huiusmodi negocia alios aduocare, vt per eorum consilium possit eligi via melior quales autem esse debeant consiliarij aduocandi, in prosequendo patebit. Quarto est in consilijs attendendum, vt secreta habeantur, quæ ibi dicuntur. nam multa negocia disturbantur ex reuelatione consiliorum. Inde forte consilium nomen accepit. Dicunt enim aliqui, quod consilium quasi idem

est

est quod considium: dictum est autem consilium, quia ibi plures simul consedere debent. Sed forte melius dicere possumus, quod consilium dictum sit à Con,& Sileo. vt illud dicatur esse Consilium, quod simul aliqui plures silét & tacent. Nam maxime est hoc in consilijs attendendum, & maxime in consilijs vbi tractantur negocia communia & facta regni: vt vnusquisque consiliarius adiecta dilectione priuati boni, solum aspiciat ad communem profectum: & vt regni profectus impediri non possit, secreta tenere debet quæ ibi sunt tradita. Hoc enim fuit, quod apud Romanam Rempublicam exaltauit fidelitas consiliantium: quibus quicquid per consilium in eorum auribus dicebatur, adeo secretum erat ac si non audissent illud. Vnde Valerius Maximus 2. libro de Factis memorabilibus, capitulo de Institutis antiquis, commendans Romanos consiliatores, ait, quod fidum & altum erat secretum consistorium reipublicæ, silentique salubritate munitum: cuius limen intrantes abiecta priuata dilectione ita dilectionem publicam inducebant, vt non dicam vnum, sed neminem audisse credere quod tam multorum auribus fuerat commissum. Quinto est in consilijs attendendum, vt non loquantur ibi placentia, sed vera. Adulatores enim dum Principi placere student, vera silentes, & placita promulgantes, exponunt periculo totum principatum vel totum regnum. Inde est ergo quod quidam sapiens Aristides nomine dicebat consiliarios duo in se habere debere, quod nec essent plani idest manifesti & propalatores consiliorum, nec essent placentes, vt quod essent adulatores, plus curantes loqui placentia, quam vera. Sic etiã vt recitat Philosophus 2. Rhetor. quidam poeta nomine Alexander videns Priamum in consilijs esse secretarium & veracem, commendans eum dicebat, Iste est qui consuluit. ac si diceret, quod alij respectu eius consiliatores dici non debent, sed magis forte adulatores. Sexto est in consilijs attendendum, vt diu consiliemur; & si adsit opportu-

Sex. Pl. lib. 3.

nitas, cito in opere exequamur. Nam cum adest opportunitas operandi, & si recte volumus & non illud facimus, hoc est quia ignoramus an expediat illud fieri. Bene ergo se habet diligenter quodlibet negocium discutere arduum, an vtile sit illud facere: sed post quam per diuturnum consilium est recte cognitum quid fiendum, si adsit operandi facultas, prompte operari debemus. Bene ergo dictum est quod scribitur 6. Ethicorum quod consiliemur multo tempore, operamur autem prompte: & quod oportet consiliari tarde, sed facere consiliata velociter.

Eth. 6. cap. 9.

Quales consiliarios assumere deceat regiam maiestatem. Cap. XVIII.

OMnia autem illa quæ habere debet bene persuadens & bene credìtiuus apparenter, expedit vt habeat bonos consiliarios existenter. Nam ex hoc aliquis persuadet in consilijs & creditur dictis eius, quia existimatur bonus consiliarius esse ad persuadendum. Sed ad hoc quod aliquis sit bene creditiuus, non oportet ipsum esse existenter talem, sed sufficit quod videatur vel appareat talis esse: nam homo iudicat quæ foris patent, & ex apparentibus. Ideo fit sufficienter homini fides, & redditur ei aliquis creditiuus, si existimet illum bonum consiliatoré esse. Sed ad hoc quod bonus consiliator existat, non sufficit quod sit apparenter talis, sed requiritur existenter talem esse. Bene igitur dictum est quod quicumque bene persuadens, habet apparenter, bonus consiliator existenter habere debet. Quare si scire volumus quales consiliarios habere deceat regiam maiestatem, & quæ & quot sunt in consilijs requirenda: scire expedit quot modis persuadetur hominibus, vel quot modis fit eis fides, & inclinantur ad credendum sermones auditos. Hæc autem sunt tria, secundum quod in omni locu-

tione

tione tria sunt consideranda: videlicet dicentem qui loquitur, auditorem ad quem loquitur, & rem de qua loquatur. Primo ergo esse potest quod persuadetur auditoribus, & inclinantur ad credendum sermones auditos ex parte dicentis, quod contingit, si dicens sit bonus, vel credatur bonus. Nam bonis hominibus etiam si nullas rationes assignare sciant, creditur eis, & faciunt fidem auditoribus; sed huiusmodi fides sumit originem ex parte dicentis; nam quia dicens creditur esse bonus, cum tales mentiri nolint, de facili creditur eorum dictis. Secundo potest fieri credulitas auditoribus ex parte ipsorum auditorum: quod contingit si proferens sermones sit beniuolus & amicus. Nam sicut homines communiter & vt plurimum decipiuntur circa seipsos, & credant se plus valere quam valeant, & esse magis sapientes quam sint, & in negotijs fiendis communiter credunt homines plus videre quam videant, & magis loqui ad propositum quam loquantur: sic quia amicus reputatur alter ipse, communiter decipiuntur homines circa amicos. Nam vt dicitur primo Rhetoricorum amantes & odientes non pariter iudicamus. Commune est enim vt amicorum facta vt plurimum deferamus in bonum, & inimicorum in malum. Passionamur enim circa amicos sicut circa nos ipsos, vt credamus eos plus valere quam valeant, & esse meliores quam sint. Quare si auditores credunt beniuolis & amicis, vel eis quos existimant tales esse, huiusmodi credulitas sumit originem ex parte ipsorum auditorum, ad quos est sermo, qui ex se passionantur, & inclinantur vt fidem adhibeant eis, quos putant amicos esse. Tertio fit credulitas ex parte ipsarum rerum. quod contingit, si dicens sit prudens vel credatur esse prudens. Nam prudentis est scire & cognoscere ipsas res, & ipsa negocia agibilia: quia vt dicitur primo Ethicorum vnusquisque bene iudicat de his quæ nouit: ex ipsis ergo negotijs & ex

Rhet. 1. C. 13.

ipsis rebus de quibus loquitur prudens, quia ea scit cognoscere & iudicare, facit fidem auditoribus. Hæc autem credulitas & hæc persuasio est per se: nam reddere se credibilem & bene persuadere per se, est ex ipsis rebus, & ex ipsis negotijs de quibus loquitur scire assumere rationes & argumenta, per quæ fides fiat audientibus. Et quia prudentes sciunt facere, & qui existimantur prudentes, existimantur talia facere: ideo ad hoc quod aliquis ex rebus de quibus loquitur fidem faciat, vel oportet quod sit prudēs vel quod credatur esse prudens. Omnis ergo bene persuadēs, vel omnis ille cuius dictis creditur [& adhibetur fides, vel oportet quod sit bonus, vel quod amicus, vel quod prudens: & si non existenter, apparenter saltem. Itaque cū dictum sit quod qui bene persuadens. & ille cui fides adhibetur, debet habere apparenter, oportet quod bonus consiliator habeat existenter: satis appa ret quales consiliatores deceat quærere regiam maiestatem; quia debet quærere tales qui sint boni, & amici, & sapientes. Vt si boni sint, non mentiantur ratione sui, quia bonis displicet omne malum, & omne detestabile: mendacium autem vt dicitur 4. Ethic. per se est malum & detestabile. Secundo cōsiliarij debent esse non solum boni sed amici, vt non solū non mentiantur ratione sui qui loquuntur & qui consiliū præbent. sed etiam ratione eius ad quem loquuntur & cui consilium præbent: quia amicorum est amicis vera & bona consulere. Tertio consiliarij debent esse sapientes, quia non mentientur ex parte rerū de quibus loquuntur; quia cognoscent negocia agibilia, & scient qualiter sit agendū. Hæc ergo tria quærenda sunt in consiliarijs: videlicet, bonitas, amicitia, & sapientia. Nam, vt recte consulant, sicut patet ex dictis, debent esse boni, & amici, & sapientes.

Eth. 4. cap. 7.

Quot

Quot oportet scire consiliarios, & circa quot sunt consilia adhibenda. Cap. XIX.

SI consideretur dicta Philosophi 1. Rhet. quinque sunt de quibus consiliantur homines: videlicet, de prouentibus, de alimento, de custodia ciuitatis, & de pace & bello: & de legislatore: circa hæc ergo quinque oportet consiliatores esse instructos. Primo enim contingit esse Regis consilium circa prouentus. in quo duo sunt attendenda. Primo, ne maiestas regia aliquos prouentus iniuste vsurpet à suis conciuibus: probabatur enim supra, Regem debere esse talē, quod esset bonus virtuosus & politiam diligeret, existentes in regno promoueret & honoraret. quod esse nō posset, si bona eorum quæ sunt in regno vsurparet iniuste. Rursus est attendendum, ne in suis prouentibus defraudetur: expedit enim regium consilium pro viribus saluare iura Regis, eo quod huiusmodi bona ordinanda sunt ad bonum commune, vt ad defensionem regni, & ad bonum statum eius: decet ergo consiliarios scire introitus & prouentus regni, quos oportet peruenire ad regem, qui & quanti sunt: quatenus si quis est superfluus & iniuste acceptus, auferatur: si quis verò deficit vel est diminutus, apponatur & augeatur. Secundo debet esse consilium de alimento, vt sciatur vtrum ciuitas vel regnū cui principatur aliquis rector sufficiat sibi in alimento & in deseruientibus ad sufficientiam vitæ: considerandum est enim quantum alimentum est in regno vel in ciuitate qualibet ipsius regni, & quantum est ibi adductibile, & quorum inductione adduci valeat, vt circa hæc debita consilia & debitæ ordinationes fieri possint: non enim modicum consiliandum est circa alimentum, vt quælibet ciuitas habeat sufficientia ad vitam, quia aliter iam non Rhet. 1. cap. 4.

esset ciuitas: vt in huiusmodi sufficientibus ad vitam fieri debent debitæ commutationes, vt debitæ emptiones, & venditiones. Considerandæ enim sunt mensuræ & pondera vendentium: & cum expedit taxandum est pretium venditionis, si (vltra quam debent) venditores res suas vendere vellent. Tertio, est consilium adhibendum circa custodiam ciuitatis & regni, quod dupliciter fieri habet: nam primo est custodia adhibenda ne insurgant seditiones & malitia inter ciues. Ideo attendendum est diligenter qui ciuium reputantur boni, & qui infames; & circa infames maior custodia adhibeatur: & si deprehendantur male egisse, puniantur, vel etiam totaliter extirpentur, quia Reges & Principes non debent pati maleficos viuere. Sunt etiam consideranda loca in quibus consueuerunt magis maleficia perpetrari: nam sicut quidam hominum magis iniustificant quam alij sic sunt quædam loca magis apta ad iniustificandum quam alia: vt in ciuitate contingit esse vicos aliquos magis esse suspectos quam alios: quia iniustificantes ibidem possunt magis latere, & effugere punientes: sic etiam extra ciuitatem loca aliqua sunt nemorosa & vmbrosa magis apta ad iniustificandum, quam alia: debet ergo adhiberi consilium, vt circa talia maior custodia præbeatur. Rursus circa custodiam ciuitatis & regni non solum sunt adhibenda consilia propter ipsos ciues vel propter eos qui sunt in regno, ne vnus iniustificet in alium: sed etiam propter ipsos extraneos: considerandum enim est vtrum regnum ex aliqua parte possit inuadi, & vtrum aliqua ciuitas regni ab extraneis possit suscipere detrimentum: ideo passagia, portus, introitus & cætera talia vnde possunt extrinseci ad venire, non sunt extraneis committenda vel tribuenda, sed sunt diligenter custodienda & munienda. Quarto habet esse consiliũ circa pacem & bellum, quod non est intelligendum circa pacem ciuium vel circa eorum bellum: non pax ciuiũ est

aliquid

aliquid finaliter intentum, bellum autem est eius oppositum: de fine autem & de eius opposito nullus sanæ mentis consiliatur: nam non est consilium nisi de his de quibus est dubium, eo quod consilium sit quædam quæstio, & quæstio sit dubitabilis propositio: de fine autem, & de hoc quod principaliter intenditur, nullus dubitat ipsum esse prosequendum. De eius autem opposito quilibet cognoscit ipsum esse fugiendum. Ideo pax ciuium pro viribus est prosequenda, & eorum dissensiones & bella pro viribus fugienda: & in hoc non est quæstio nec consilium. Sed verum cum extraneis debeamus habere pacem vel bella dubitabile esse potest, & possunt ad hoc adhiberi consilia. circa quod sunt duo consideranda. Primo, vt nunquam capiatur iniustum bellum, quia iniustificari in alios, & eos indebite opprimere, per se est malum, & fugiendum. Deinde, si visum sit bellum esse iustum, consideranda est potentia regni, vel ciuitatis, quæ bellare debet, quanta sit, & quanta ei potest aduenire extrinsecus. Consideranda est etiam potentia aduersariorum: nam secundum Philosophum 1 Rhetor. ad meliores pacem debemus habere, ad deteriores autem nobis est expugnare vel non pugnare contra eos. Posito enim quod potentiores, ad quos resistere non valemus, in nos forefaciant, prudentiæ est, non insurgere in ipsos, nisi occurrat opportunitas temporis, in quo ex eis congrue possimus vindictas assumere. Quintum circa quod sunt consilia adhibenda, est Lator legum: nam vt dicitur primo Rhetoricorum in legibus est salus ciuitatis: conseruantur enim ciuitates & regna per leges iustas, quia absque iustitia nequeunt regna subsistere. Decet autem scire Regem quot sunt genera dominorum, siue quot sunt species principantium, & qui principatus est durabilior, & qualiter principatus secundum quem dominatur habet saluari & corrumpi: vt eligens optimum modum principandi, ferat leges iustissimas, secundum quas saluari *Rhet. 1. cap. 10.*

habet

habet principatus ille. Quis sit autem optimus modus principandi, & quale debeat esse regis officium, & quomodo Rex se debeat in suo dominio præseruare, fuit in superioribus patefactum. Quare per superius iam dicta coadiuuante experientia gestorum particularium quæ continue occurrunt in curijs Regum, & Principum, instrui poterit Rector ciuitatis aut regni, qualiter circa lationem legum sit consiliandum. Quæ autem leges sunt ferendæ, vt saluetur principatus eius, intendimus in capitulis sequentibus de legibus multa inquirere, vt simul ex dictis & dicendis melius veritas patere possit.

Quòd quantum possibile est, sunt omnia legibus determinanda, & quam pauciora possunt, sunt arbitrio iudicum committenda.
Cap. XX.

QVia in præcedentibus capitulis determinauimus de principe, ostendendo qualis debeat esse princeps, & determinauimus de consilio, declarando quales debent esse consiliarij: & quæ & quot sunt illa circa quæ habet esse consilium. Restat secundum ordinem prætaxatum vt exequamur de prætorio, siue de iudicio, inuestigando qualiter iudicandum sit, & quot sunt genera legum, & alia quæ circa istam occurrunt materiam. Sed cum iudicium fiat per leges, aut per arbitrium, aut per vtrunq; priusquam ostendamus qualiter sit iudicandum, declarare volumus quod quantum possibile est sunt omnia legibus determinanda, & quam pauciora possunt sunt arbitrio iudicum committenda. Quod quadruplici via inuestigare possumus. quarum tres tanguntur 1. Rhet. quarta vero tangitur 1. Polit. Prima via sic patet. nam pauciores sunt legum conditores, quam iudices iudicantes secundum leges iam conditas. Nam in qualibet ciuitate oporteret esse aliquod

præto-

prætorium ordinarium ad quod causæ reducantur & litigia exorta in ciuitate illa: per leges tamen conditas in vna ciuitate regularis possunt ciuitates multæ. Immo illa eadem ciuitate in qua leges conduntur contingit plures esse iudices, quam legum conditores. Nam leges si iustæ sint, debent esse quasi immortales & immutabiles: quia circa eas nulla aut modica mutatio fieri debet. Iudices tamen iudicantes secundum illas moriuntur & corrumpuntur. Contingit etiam absq; corruptione & morte iudices à suo officio remoueri. & alio in suum locum succedere. Igitur saltem per successionem ipsorum oportet in eadē ciuitate multos esse iudices: eo quod ipsi quasi continue innouantur: non tamen sic oportet multiplicare legum conditores, eo quod leges non si continue innouari debēt. Quare si legum conditores respectu iudicum sunt pauci, quia facilius est inuenire paucos sapientes, quam multos, vt omnia sapienter disponantur, expedit quantum possibile est, per legem omnia determinari, & quam paucissima arbitrio iudicum committere. Secunda via sic ostenditur, nam facilius & melius videtur quid rectum & quid iustum, si illud multo tempore diligenti consideratione discutiatur, quam si oporteat statim iudicatiuam sententiam proferre. Itaque cum legum conditores multo tempore & magno consilio delibarare possint quales debeāt leges fieri: iudices verò propter instantiam partium, & quia non debent lites prolongari, sed deprimi, non tantam habent diuturnitatem ad videndum quid iustum in proposito, ne igitur in iudicando erretur, quantum possibile est sunt omnia legibus determinanda, & pauca discretioni iudicum committenda. Tertia via sic declaratur, nam conditores legum leges ferunt in vniuersali & de futuris, dicentes quicunq; sic egerit, sic puniatur, ignorantes an amicus, vel inimicus sit illa facturus, & debeat illam subire sententiam. nam si scirent quod amicus, forte obliquerentur in iudicando, & pœnam palliarent: si vero inimicus, C.11.

micus,

micus, inclinarentur forte in partem oppositam, & punitionem augerent. Nunc autem quia solum in hoc leges ferunt, & nesciunt quid in particularibus sit futurum, non peruertuntur in iudicando amore, vel odio inclinati. Iudices autem non sic. nam iudicum iudicia non sunt de futuris, sed de præteritis: non vniuersaliter, sed in particulari. Incusantur enim determinatæ personæ, ad quas est amare vel odire, & sæpe talia annexum habent proprium commodum. Ideo iudex de facili obliquatur: nam amantes, & odientes, & aliquod temporale commodum considerantes, non æqualiter iudicant: quare ne iudicium iudicum obliquatur, bonum est (quantum possibile est) omnia lege determinare, & quam paucissima arbitrio iudicum committere. Has autem tres rationes tangit Philosophus 1. Rhetoricorum dicens quod maxime quidem contingit recte positas leges, quæcunque possibile est determinare: & quàm paucissima committere iudicantibus. Primum quidem quia facilius est habere vnam aut paucos sapientes, quam multos. Deinde quia legislatores fiunt ex consideratis ex multo tempore, iudicia autem ex suborto & subito. Tertium vero, quod est maximum omnium: quia legislatores sunt de futuris & in vniuersali: sed præfectus aut iudex iudicat de præsentibus & determinatis, ad quos est amare, & odire, & quibus proprium commodum annexum est sæpe. Quarta via ad ostendendum hoc idem, sic declarari potest. nam (vt infra patebit) oportet aliqua committere arbitrio iudicum, quia gesta particularia complete sub narratione non cadunt, nec lege omnia complete determinari possunt: tamen quantum possibile est omnia legibus sunt determinanda, & quanto pauciora possunt, sunt arbitrio iudicum committenda: quia (vt dicitur 6. Politicorum) quanto vtique minor inimicitia fuerit exequentibus iudicia, tanto magis accipient finem executione iudiciorum. Quare cum iudex iudicando reos secundum leges

Rhet. 1. C. 10.

leges non tantam inimicitiam incurrat, quantam si iudicaret eos arbitrio proprio, ne iudex timore inimicitiæ inclinatus differat debito fini iudicia mancipare, quantum possibile est, sunt omnia legibus determinanda, & pauca arbitrio iudicum committenda: sufficienter enim iudex excusatur, cum secundum positas leges aliquid iudicat; quia non videtur ipse secundum se hoc agere, sed lege compulsus dicitur talem sententiam promulgare.

Qualiter est in iudicio procedendum, & quod sermones passionales sunt coram iudice prohibendi.
Cap. XXI.

ATtendere debent iudices, vt in iudicio procedant, vt vt sermones passionales prouocantes ad passiones, vt ad iram & odium; in iudicio prohibeantur: multi enim litigantium cognoscentes se habere malam causam, non narrant quid factum & quid non factum, sed conuertunt se ad commouendum iudicem ad iram & odium circa aduersarios, & ad benignitatem & misericordiam erga seipsos. Sed quod tales sermones sint prohibendi, tripli- ci via inuestigare possumus. Prima sumitur ex eo quod huiusmodi sermones obligare habent iudicem, quem esse oportet quasi regulam in iudicando. Secunda vero, quia prædicti sermones tollunt ordinem iudicandi. Tertia, quia sunt impertinentes ad propositum. Prima via sic patet. scire enim debemus quod iudex in iudicando de litigijs, vt recte iudicet, sic debet se habere inter partes litigantes, sicut lingua volens discernere de saporibus, vel sicut quilibet alius sensus volens discernere de proprijs sensibilibus, habere se debet inter ipsos sapores, vel inter propria sensibilia Est enim sensus media proportio sensibiliũ, & quamdiu non inficitur secundum alterum cõtrariorum, dat rectum iudicium de sensibus; vt quamdiu

lin-

lingua non est infecto aliquo humore, recte iudicat, dicēs amarum esse amarum, & dulce dulce. Si vero inficiatur colera vel phlegmate vel aliquo alio humore, tunc non quasi existens in medio, sed contracta ad alterum contrariorum, peruersæ iudicat, dicens dulce esse amarum, & econuerso, vt patet in infirmantibus, & habentibus infectum gustum. Sic iudex quando est medius inter litigantes non declinans ad alteram partem, quasi regula recta decet iustum esse iustum & iniustum iniustum. Si vero ad alteram partem declinet per misericordiam & amicitiam, ab altera verò recedat per iram & odium, quasi regula tortuosa peruerse iudicabit, & quia hoc faciunt sermones passionales, permittere talia in iudicio nihil est aliud quam regulam obliquare; quasi si inconueniens est permittere obliquari regulam, inconueniens est sustinere in iudicio passionales sermones. Dato tamen quod contingat sustinere aliquos passionales sermones, quia (vt in sequentibus patebit) proniores debent esse iudices ad miserendum quam ad puniendum, potius sustinendi sunt sermones passionales prouocantes ad misericordiam vel beniuolentiam, quam ad odium vel ad iram. Secunda via omnes passionales sermones permittendos non esse, sumitur ex eo quod talia peruertunt ordinem iudicandi. in iucando enim est ordo quidam, quia aliquid est ibi tanquam supremum, & aliquid tanquam medium, & aliquid tanquam infimum: tanquam supremum quidem est Rex ipse vel princeps, vel alius legislator: tanquam medium vero est ipse iudex: sed tanquam infimum est ibi reus, vel incusatus, vel partes litigantes: est enim iudex medius inter legislatorem & litigantes, & quia medium aliquid debet accipere ab vtroque extremorum, iudex tanquam medius aliquid accepit ab vtrisque. Nam à legislatore accipit quid iustum, & quid non iustum, Si enim per leges discernitur quid iuris ab illo addiscit iudex quid iustum in agibilibus humanis per cuius leges regulatur in iudicando,

do, à legislatore ergo discit iudex quid iustum. Sed à partibus discit quid factum, vel non factum. Si autem discit ab eis quid iustum, hoc est per accidens, inquantum allegant leges conditas à legumlatore. Quare cum sermones passionabiles inclinent voluntatem, & faciant apparere aliquid iustum, vel non iustum, eo quòd passionati, vt amantes, & odientes, & gaudentes, & tristantes non pariter iudicamus, permittere passionales sermones in iudicio, est peruertere ordinem iudicandi: quia est facere quod partes sint legislatores, & quod teneant supremum gradum in iudicando, quæ debent tenere infimum. Peruertitur ibi talis ordo, quia partes passionando iudicem, ei faciunt apparere aliquid iustum vel iniustum, quod non est officium partium, sed legislatoris: per legis enim latorē, vel per leges ab eo conditas oportet apparere iudici quid iustum & quid iniustum: non autem hoc debet fieri per partes litigantes, vel per sermones passionales à partibus promulgatos. Tertia via sumitur ex eo quod tales sermones sunt impertinentes ad propositum, & sunt extra negocium iudicandi. nam cum lis sit de aliquo facto vel de aliqua re, nihil oportet dici in iudicio nisi pertinens ad rem vel ad negocium, de quo est litigium: passionare autem iudicem, aut narrare iniurias quas pars aduersa iudici intulit, vel narrare bona quæ ipsi iudici contulerunt, & hoc modo prouocare iudicem ad maliuolentiam partis aduersæ, & ad beniuolentiam sui, est omnino impertinens ad propositum: quare nō sunt talia permittenda.

Quæ,

Quæ, & quot oporteat iudices habere, vt contingat eos bene iudicare.
Cap. XXII.

POssumus autem quatuor enumerare, quæ oportet habere iudices, vt vera iudicia proferant, & vt recte iudicent. Primum, est auctoritas iudicandi. Secundum est prudentia legum. Tertium, experientia agibilium. Quartum, rectitudo voluntatis. In omni enim litigio (quantum ad præsens spectat) quatuor est considerare. videlicet partes litigantes, negocium de quo litigant, leges secundum quas sunt litigia iudicanda, & legislatorem aut Regem aut Principem à quo datur auctoritas iudicandi. Expedit autem iudices vt recte iudicent, ad omnia hæc debite se habere. nam iudicium non debet esse vsurpatum, nec temerarium, nec iniquum, nec præsumptuosum siue suspitiosum. Iudices enim si non recte se habent ad legislatorem, faciunt iudicium vsurpatum. Tunc quidem dicuntur iudices non recte se habere ad legislatorem, quando excedunt auctoritatem sibi commissam. Secundo dicuntur iudices facere iudicium temerarium, si non recte se habent ad leges, vt si careant legum prudentia: nam sine cognitione legum, recte causæ iudicari non possunt. Tertio si iudices non debite se habent ad partes litigantes, facient iudicium iniquum: nam vt patet ex habitis iudex debet esse quasi regula recta media inter vtrasque partes: quare si huiusmodi regula à medio deuiat, & ad vnam partem declinat per amorem, ab alia vero recedit per odium, oportet ipsum iudicare inique: quia tunc iudicium non procedit ex zelo iustitiæ, sed ex amore, vel odio partium. Quarto si iudices non debite se habent ad negocia agibilia, vt si sint inexperti humanorum actuum, facient iudicium

dicium suspitiosum, quia aliquando ex leui suspitione alios condemnabant. non erit ergo rectum iudicium, nisi concurrant ibi auctoritas iudicandi, prudentia legum, zelus iustitiæ, & experientia agibilium. Nam sicut in curando morbos corporales aliquando plus proficit expertus quam artifex, eo quod habeat notitiam conditionum particularium: sic in iudicio agibilium & in discussione causarum aliquando plus proficiunt experti quam scientes iura. omnia ergo prædicta requiruntur ad recte & debite iudicandum. Patet itaque quales iudices & quales discussores causarum quærere deceat regiam maiestatē: nam decet eos tales quærere qui sint humiles, non excedentes autoritatem sibi commissam; sint prudentes in legibus scientes eas applicare ad litigia exorta: habeant zelum iustitiæ, vel vt non ex amore vel odio partium, sed ex dilectione iustitiæ sententias proferant: habeant experientiam agibilium, vt cognoscentes particularia acta melius discutiant causas.

Quæ, & quot oporteat considerare iudices, vt indulgeant humanis, & vt sint clementes potius quàm crudeles. Cap. XXIII.

QVantum ad præsens spectat decem numerare possumus, quæ videtur tangere Philos. 1. Rhet. ad quæ decet respicere iudicem, vt humanis indulgeat, & vt sit clemens potius quā seuerus. Primū est ipsa natura humana, secundū legislator, tertiū pius intellectus legum, quartū operantis intentio, quintū multitudo bonorū operū, sextū diuturnitas temporis retroacti, septimū excessus bonitatis supra malitiā, octauū patiētia accusati, nonū corrigibilitas

Rhet. 1. cap. 13.

Kk pec-

peccantis, decimũ subiectio delinquentis. Primo .n. ipsa natura humana clamat pro clementia delinquentis. nam cum natura humana de se sit debilis, & mutabilis, & prona ad malum, si contingat aliquem delinquere, infirmitas naturæ supplicat pro venia: ideo dicitur 1. Rhetor. quod epijkis est indulgere humanis: dicitur enim esse epijkijs qui est supra iustum siue supra iustitiam. Philosophus igitur parcentem humanis appellat supra iustum, quia clementia est extollenda supra veritatem, & supra iustitiam. Secundum quod inclinare debet iudicem ad clemẽtiam, est ipse legislator. nam forte ipse Rex, vel ipse Princeps cuius est leges ferre si consideraret conditiones peccantis, indulgeret eis: quare si iudex hoc potest opinari quod legislator dispensaret in legibus & parceret reo, magis debeat agere cum eo misericorditer quàm crudeliter. Ideo dicitur 1. Rheto. quod iudicans potius debet respicere ad legislatorem, quàm ad leges. Tertium inclinans ad pietatem est pius intellectus legum. leges enim ad terrendum delinquentes quandam ampliorem seueritatem continẽt: quare si legum verba vt terreant peccantes sunt amplioris seueritatis contentiua, decet vt per pium intellectum moderetur supplicij magnitudo. hoc est ergo quod dicitur 1. Rhetor. quod iudicans non debet respicere ad verba legum, sed ad intellectum legis. Quartum est intentio operantis. nam licet de quo incusatur aliquis sit de genere malorum, ipse forte non habuit prauam intentionem, vel si habuit prauam, forte non habuit adeò prauam, vt opus ostendit: & quia dubia iudicanda sunt in meliorem partẽ, si aliquo modo potest percipere iudex peccantem non peccasse ex electione, sed ex ignorantia, vel ex infortunio, debet ad clementiam declinare. ideo dicitur 1. Rhet. quod iudicans debet aspicere non ad actionem, sed ad electionem. Quintum inducens ad misericordiam, est multitudo bonorum operum. nam forte ille qui nunc deliquit mul-

ta bona opera prius fecit: debet ergo iudex non ita respicere ad partem vt ad hoc particulare negocium in quo delinquunt, sicut ad totum vt sicut ad multa bona opera quæ prius fecit: ideo dicitur 1. Rhetor. quod iudicans non debet respicere ad partem, sed ad totum. Sextum est diuturnitas temporis retroacti. nam contingit etiam in pauco tempore facere multa bona opera: duo ergo debent inducere Regem aut quemcunq; alium dominum ad dilectioné alicuius subditi, vel qa multa seruitia recepit ab ipso, vel quia multo tépore seruiuit sibi. hęc .n. duo licet vt plurimũ se cómittentur, quia qui multo tépore seruiuit vt plurimũ multa seruitia fecit, & econuerso; contingit tamé hæc duo ab inuicé separari: nam homo nó seruit alteri nisi occurrat tempus & opportunitas seruiendi, potest enim contingere quod in multo tempore occurrant opportunitates paucæ, & in pauco multæ. Istud itaque sextũ inclinatiuum ad pietatem respiciens diuturnitatem temporis, non est idem cum quinto, quod respicit multitudinem operum. Quare si contingat aliquem subditorum nunc in aliqua parte temporis delinquere: qui toto tempore se bene habuit præcedenti, est cum ipso misericorditer agendum, & magis respiciendum est ad multum & ad totum tépus præcedens, quã ad modicum vt ad hanc particulam temporis in qua deliquit. Ideo dicitur 1. Rhetor. quod iudex non debet aspicere qualis nunc est incusatus, sed qualis quidem fuit semper in multo tempore præcedenti. Septimum inclinans ad pietatem, est excessus bonitatis supra malitiam. nam sicut bonum excedit malum & est eligibilius ipso, sic eligibilius est recordari bonorum & gratiarum, quas suscepimus ab aliquo, quam iniuriarum quas suscepimus ab illo. Vnde & Iulius Cæsar in hoc non modicum commendatur, quia (vt dicitur) non habebat memoriam iniuriarum: sed obliuiscebatur illas. Dato ergo aliquem in nos delinquere, à quo temporibus retroactis multa bona suscepimus, debemus ad illum mi-

sericorditer nos habere, & magis memorari boni suscepti, quam iniuriæ illatæ. Ideo Philos. 1. Rhet. volens iudicantes ad misericordiam adducere erga delinquentes in ipsos; ait quod magis debēt recordari bonorum quæ passi sunt à delinquente, quam iniuriæ quā fecit. Octauum est patientia incusati. nam si aliquis incusatur de aliquo delicto pro quo punitur à iudice, si punitionem patienter sustinet, & non murmurat in pœna sibi imposita, est cū illo magis misericorditer agendum. Ideo dicitur 1. Rhet. quod indulgendum est humanis si contingat patientem patienter esse, idest si contingat eum qui pœnam patitur, eam patienter sufferre. Nonum est corrigibilitas peccantis. nam sunt aliqui ita corrigibiles & ita disciplinabiles, quod sola increpatione, idest solo sermone meliorantur & desinunt praua agere: talibus ergo est valde indulgendum, & tales sunt valde benignè tractandi. Ideo dicitur 1. Rhet. quod iudex debet indulgere humanis, si credat magis peccantem iudicari velle sermone quam opere. Decimum inclinans ad clementiam, est subiectio & humiltas delinquentis; nam si delinquens omnino se subijcit, omnino se humiliat, & ponit se totaliter in arbitrio iudicantis, est cū eo mitius agendum. Ideo dicitur 1. Rhet. quod Iudex epijkis idest superiustus debet indulgere humanis, si viderit delinquentem magis velle ire ad arbitrium, quā ad disceptationem: omnino enim contra rationem est humilitati non parcere, cum bestiæ hoc agant: canes quidem non offendunt humiliantes se, & prosternentes se coram eis. Ideo dicitur 2. Rhet. quod autem ad humiliantes cesset ira etiam canes manifestant non mordentes eos qui residunt. Patet ergo quomodo decet iudices esse magis clementes quam seueros. & si hoc decet iudices, multo magis decet Reges & Principes, quibus congruit ampliori bonitate pollere. Decet itaq; eos esse clementes & benignos, non quia iustitiam deserant, quia sine ea pax regni & bonus status ciuium non potest consistere; sed saluato

Rhet. 2. c. 3.

com-

communi bono & pace regni quantum possibile est debent ad misericordiam declinare. Qualiter autem clementia possit stare cum iustitia, infra patebit.

Quòd diuersa sunt genera legum, & diuersi sunt modi iustitiæ: & quod in ius naturale & positiuum cætera alia reducuntur.
Cap. XXIV.

CVm leges sunt quædam regulæ iuris, per quas in agibilibus regulamur, dijudicantes per ipsas quid iustū & quid non iustum in nostris actionibus: plane patet quod eo modo quo distinguimus ius siue iustum, distinguere possumus leges ipsas, & econuerso. Possumus autem tam de lege quam de iusto quinque distinctiones facere, quarum duæ tanguntur 1. Rhet. tertia ponitur 5. Ethic. quarta traditur à Iuristis, quintam nos ipsi superaddere possumus. Distinguitur enim ius, quia quoddam est scriptum, & quoddam nō scriptum: quoddam est commune, quoddam proprium; quoddam est naturale, quoddam legale siue positiuū. Has aūt tres distinctiones iuris Phil. tradidit: sed iuristæ quarto modo ius distinxerunt, dicentes quod est quoddā ius naturale, & quoddā ius gentiū, & quoddā ciuile. Illo ergo modo quo juristæ separant ius nāle à iure gentium, possemus separare nos ius naturale à iure animaliū: & dare quintam distinctionem iuris, dicēdo quod quadruplex est ius. videlicet naturale, animaliū, gentium, & ciuile. Has ergo quinq; distinctiones, quas fecimus de iure siue de iusto, facere possumus de ipsa lege. Vt ergo hæc omnia melius pateſiant, & vt has diuersitates ad concordiā reducamus, sciendū quod duplex est iustū, vel duplex est lex, naturalis, & positiua. Dicūtur .n. iusta naturalia, quæ sunt adæquata & proportionata ex natura sua, vel dicūtur iusta naturaliter quæ dictat esse talia ratio natu-

Rhet. 1.
C. 10.
C. 13.

ralis, vel ad quæ habemus naturalem impetum & inclinationem. Iusta vero positiua dicuntur, quæ non ex natura sua, sed ex pacto hominum vel ex institutione iusta iudicantur. Itaq; cum naturæ rerum sint eædem vbique, quia quod est ignis in vno loco, vt in Francia, est ignis in alio vt in Italia: res enim eædem sunt apud omnes; licet non eodem vocabulo nominentur. Sed statuta populi, & pacta ciuium, & edicta principum non sunt eadem apud omnes. Inde est quod ius naturale dicitur differre à positiuo: quia naturale vt traditur 5. Ethicor. vbique eandem habet potentiam: sed positiuum ex principio antequam sit statutum, nihil differt esse sic vel aliter, postquam autem est editum incipit habere ligandi efficaciam. Ratio autē, quare iuri naturali oportuit superaddere positiuum, est: quia multa sunt sic iusta naturaliter, sicut est naturale homini loqui: habemus enim naturalem impetum & naturalem inclinationem vt loquamur, & vt per sermonem manifestemus alteri quod mente concepimus: sed quod loquamur hoc idioma vel aliud, non est naturale, sed ad placitum. Inde est quod omnes homines loquuntur, non tamen omnes proferunt idem idioma. Inde est etiā quòd Philosophus 1. Perihermenias, voces & sermones dicit esse ad placitum, qui primo Politicorum ait, sermonem nobis esse datum à natura. Sicut ergo loqui est naturale, sic autem loqui vel sic, est positiuum & ad placitum. Sic, fures punire non pati maleficos viuere, & cetera huiusmodi sunt, de iure naturali, quia hæc esse fienda dictat ratio naturalis, & habemus naturalem impetum vt hæc fiant. surgunt enim ista ex ipsa natura rei, naturale est enim quod exponatur periculo bonum partis pro salute boni totius, vt quod abscindatur membrum putridum, ne pereat totum corpus: sic, quia fur & maleficus, & quilibet malefactor turbat pacem ciuium insidiatur communi bono, ideo naturale ius exigit vt tanquam membrum putridum abscindatur, & extermine-

Perih. 1 c. 2.
Polit. 1. c. 2.

tur,

tur, ne exponatur periculo, & ne impediatur commune bonum. naturale eſt ergo talia punire. Sed ea punire ſic, vel ſic, eſt poſitiuum & ad placitum. Ideo apud omnes volentes ciuiliter viuere maleficia puniuntur, ſed non apud omnes eadem maleficia corriguntur eiſdem pœnis. Vbi ergo terminatur ius naturale, ibi incipit oriri ius poſitiuum: quia ſemper quæ ſunt per artem hominum adinuenta fundantur in his quæ tradita ſunt à natura, ius enim poſitiuum per artem & induſtriam hominum adinuentum præſupponit ius naturale, ſicut ea quæ ſunt artis præſupponunt quæ ſunt naturæ. Quare ſi ius naturale dictat fures & maleficos eſſe puniendos, hoc præſupponens ius poſitiuum procedit vlterius, determinans qua pœna ſint talia punienda. Hoc viſo quantum ad præſens ſpectat duplicem differentiam aſſignare poſſumus inter ius naturale, & poſitiuum. Prima eſt, quia ius naturale prima facie ſe offert intellectui: Ius poſitiuum non ſtatim ſe oſtendit, ſed eſt per induſtriam hominum adinuentum. Et quia ſic ſe offerunt intellectui noſtro naturales leges, quod eſt de iure naturali ſimpliciter dicitur eſſe ſcriptum in cordibus noſtris. nam gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, & oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus eorum. Ius verò poſitiuum quia nõ ſic eſt ſcriptum in corde, ne à memoria recederet, oportuit ipſum ſcribi in aliqua exteriori ſubſtantia. Poteſt itaque vtrunque ius ſcribi in aliqua exteriori ſubſtantia tam naturale quam poſitiuum: naturale tamen non ſic indiget vt ſcribatur ſicut poſitiuum, nam non ſic poteſt à memoria recedere ſicut illud. Secunda differentia eſt, quia ius naturale eſt idem apud omnes, ideo dicitur eſſe ius cõmune: ſed ius poſitiuum diuerſificatur apud diuerſas ciuitates, ideo vocatur ius proprium. Inde eſt ergo quod Empedocles. vt recitat Philoſoph. 1. Rhet. appellat ius naturale ætherem ſiue ignem, qui continuat protendere per inexplicabilem claritatem. Ignis enim in propria ſphæra

Ro. 2.

quia plus se diffundit quam alia elementa, & distantior est omnibus illis, assimilatur iuri naturali, quod est diffusiuum & communius quàm ius positiuum, & est notius & clarius illo. Ex hoc igitur patere potest, quod omnes distinctiones quas ponit Philos. de iure siue de iusto reducũtur ad ius positiuum, & naturale: nam (vt patet per habita) ius naturale dicitur esse non scriptum, & esse commune, & secundum naturam. Ius verò positiuum dicitur esse scriptum, & esse proprium & legale. Quid autem sentiendum sit de iure gentium, & de iure animalium, in sequenti capitulo patebit.

Quomodo ius gentium, & ius positiuum à iure naturali habet esse distinctum. Cap. XXV.

OMnes distinctiones de iure factas à Philosopho, quas in præcedenti capitulo tetigimus, bimembres erãt, quarum vnum membrum continebatur sub iure naturali, & aliud sub ciuili siue sub positiuo. Iuristæ tamen (vt dicebatur) tertium addiderunt membrum, vt ius gentiũ: secundum quem modum loquendi potest ibi addi membrum quartum, vt ius animalium. Ad cuius euidentiam sciendũ quòd homo vt est homo & secũdum propriã rationem consideratus differt ab animalibus alijs, sed vt animal est & secũdũ rationẽ cõmunem acceptus cõuenit cũ illis. Si igitur ea sunt de iure naturali, ad quæ habemus naturalem impetum & inclinationem: huiusmodi naturalis impetus vel sequitur naturam nostram, vt sumus homines, & vt differimus ab animalibus alijs, & tale ius appellatur ius gentium. Si vero inclinatio illa sequatur naturam nostram, vt conuenimus cum animalibus alijs: sic dicitur esse ius naturale. Ideo in Instituta, vbi hæc sũt tradita, dicitur, quod ius naturale, est quod natura omnia ani-

malia docuit. Huiusmodi autē ius (vt ibidē scribitur) non est proprium humano generi, sed omnium animaliū quę in cælo, & quæ in terra, & quæ in mari nascuntur. Secundum hoc ergo est de iure naturali coniunctio maris & fœminæ, procreatio prolis, & educatio filiorum. Nam si ad hoc homo naturaliter inclinatur, & si huiusmodi impetus sequitur naturam humanam, non tamen sequitur ipsam, vt humana est, sed vt animalis est, & vt conuenit cum animalibus alijs: nam & animalia naturaliter inclinantur, vt masculi coniungantur fœminis, vt filios generent, & vt ipsos nutriant, & foueant. Ius vero gentium dicitur, quod non est commune animalibus alijs: sed commune est omni humano generi. Ex hoc ergo iure penè omnes contractus sunt introducti, vt emptio, venditio, locatio, cōductio & cetera talia, sine quibus societas humana non bene sufficit sibi ad vitam. Inde est ergo quod mutuū & depositio, quæ etiam deseruiunt ad vitam humanam in quibus alia animalia non cōmunicant, sub hoc iure gentiū continentur. Ius ergo gentium est quoddam ius naturale contractū. Ius itaque illud quod natura omnia animalia docuit, & quod sequitur inclinationem nostram naturalem vt cōmunicamus cum animalibus alijs, respectu iuris gentium dicitur esse naturale. Nam si considerentur dicta in præcedenti capitulo, ius naturale est quid commune, quid notum, & quid immutabile. Quanto ergo ius aliquod est cōmunius, quàm ius gentium: tanto magis meretur nomen iuris naturalis. Ius ergo, quod omnia animalia docuit & in quo omnia animalia cōmunicant, est communius quā ius gentium, & per consequens est notius: quia sunt nobis nota cōfusa magis. Quanto enim aliquid est vniuersalius, tanto est intellectui nostro notius, & prius cadit in apprehensione nostra. Est etiam huiusmodi ius immutabilius, quia regulæ iuris quanto magis applicantur ad materiam specialem, tanto plures defectus contrahunt, & in pluribus casibus non sunt obseruandæ, & maiorem muta-

tionem

tionem suscipiunt: merito igitur huiusmodi ius, naturale dicitur, respectu iuris gentium. Viso quomodo ius gentiũ differt à iure naturali, de leui patere potest quomodo ius animalium differt à iure naturali. Nam sicut humana natura in quantum animal est, conuenit cum naturis aliorũ animalium, sic in quantum viuit & est quoddam ens, conuenit cum plantis, & cum substãtijs alijs, & cum entibus omnibus. Poterit ergo inclinatio naturalis sequi naturam hominis vel vt homo est, vel vt conuenit cum animalibus alijs, vel vt conuenit cum omnibus entibus. Nam homo naturaliter appetit conseruari in esse, quod & omnia entia alia appetunt: naturaliter appetit producere filios, educare prolem, quod & alia animalia concupiscunt: naturaliter etiam appetit viuere in societate secundum debita pacta & conuentiones, quod inter animalia est proprium solius hominis. Si ergo regulæ agibilium fundentur super hoc, quod homo naturaliter appetit esse: sic huiusmodi regulæ poterunt esse de iure naturali, prout natura humana est quædam entitas, & conuenit cum entibus omnibus. Si vero regulæ illæ sumantur ex eo quod homo naturaliter appetit filios producere & educare: sic esse poterunt de iure naturali, prout ius naturale dicitur esse, quod natura omnia animalia docuit. Sed si sumantur, prout homo naturaliter appetit in societate viuere secũdum debitas conuentiones & pacta; sic erit de iure naturali, prout ius naturale contractum est ad ius gentium, quod est proprium soli humano generi. Ex hoc igitur manifeste patet quod ius gentium non dicitur ita ius naturale, sicut ius quod nã omnia animalia docuit: sic ius huiusmodi quod nã omnia animalia docuit, non est ita naturale, sicut ius illud quod sequitur inclinationem naturę nostrę: prout non solum communicamus cum animalibus alijs, sed vt conuenimus cum entibus omnibus: nam huiusmodi ius est notius & communius illo: nam appetere bonũ & esse, & fugere malum & non esse, est plus de iure naturali,

turali, quam appetere procreare filios, & nutrire prolem. Erit igitur hic ordo, quod ius consequens naturam nostram prout appetimus esse & bonum, est naturale respectu iuris animalium, siue respectu iuris quod natura omnia animalia docuit: sic etiam huiusmodi ius est naturale respectu iuris ciuilis, quod est simpliciter positiuum. Tria ergo sunt aliquo modo de iure naturali, secundum quod inclinatio sequitur naturam nostram: Nam si inclinatio illa sequitur naturam nostram vt humana est, sumitur ius gentium. Si vt conuenit cum animalibus alijs, sic habet esse ius illud, quod natura omnia animalia docuit. Sed si vt conuenit cum omnibus entibus, sic habet esse ius illud, quod per antonomasiam dicitur esse naturale. Appetere enim esse & bonum, & fugere non esse & malum, quod naturaliter appetimus, prout natura nostra conuenit cum omnibus entibus, sic est de iure naturali: à quo cæteræ aliæ regulæ, & cæteræ leges, siue sint naturales, siue ciueles, sumunt originem, & in eo fundantur: nam in omnibus attenditur vel consecutio boni, vel fuga mali. Sed hoc diffusius pertractare, alterius exposcit negocium. Sufficiat autem ad præsens scire, quomodo ius gentium, & ius animalium, & etiam ius ciuile differt à iure naturali.

Qua-

Qualis debeat esse lex humana, & quod condere tales leges sit vtile regno, & ciuitati. Cap. XXVI.

VIdetur autem ius ciuile, siue ius humanum & positiuum ad tria comparari. videlicet ad ius naturale siue ad legem naturalem, à qua suscipit fundamentum: ad bonum commune quod in ea intenditur: & ad gentem ad quam applicatur, quæ per illam legem est regulanda. Tria igitur lex habere debet, prout ad hæc tria comparatur. nam vt lex humana comparatur ad legem naturæ, oportet quod sit iusta: vt comparatur ad bonum commune, necesse est quod sit vtilis: sed vt refertur ad populum ad quem debet applicari & debet regulari per huiusmodi legem, oportet quòd sit competens & compossibilis cõsuetudini patriæ & tempori: nam in agibilibus aliquid dandum est consuetudini, tempori, & patriæ & moribus hominum: quia secundum quod talia diuersificantur, oportet in ipsis legibus aliquam diuersitatem existere. Primo igitur oportet legem humanam siue positiuam esse iustã vt comparatur ad rationem naturalem siue ad legem naturalem: quoniam si iusta non sit, non est lex, sed corruptio legis; nihil enim ab homine statuitur iustè, nisi aliquo modo sumat originem ex lege naturali, & nisi aliquo modo ratio naturalis dictet illud statuendum esse. Secundo lex humana & ciuilis debet esse vtilis vt comparatur ad bonum commune: nam si in lege non intenditur bonum commune, tunc non est recta & regularis, sed peruersa & tyrannica nam sicut Rex differt à tyranno, quia Rex dicitur qui recte agit & intendit commune bonum, tyrannus verò qui peruerse principatur & intendit propriũ & priuatum commodum: sic lex recta & regia in qua intendi-

tur

tur bonum commune differt à peruersa & tyrannica in qua intenditur priuatum bonum; oportet enim in legibus (si rectæ sint) intendi commune bonum: nam semper finis est regula omnium nostrorum agibilium. Nam & vulgo dicitur, si hoc intendimus, & hoc sequi volumus, oportet hoc agere. Tales ergo debent esse leges, quæ sunt regulæ agibilium, quales requirit bonum & finis intentus: quare cum bonum commune sit diuinius quam bonum priuatum, & bonum priuatum ordinetur ad ipsum, oportet tales leges fieri non quales requirit bonum priuatum, sed quales requirit commune bonum, eo quod hoc habet magis rationem finis, & per consequens secundum ipsum magis sumendæ sunt leges & regulæ agibilium. Immo quia bonum priuatum non habet rationem boni nisi vt ordinatur ad bonum commune; quia turpis est illa pars, quæ discordat à toto, & quæ suo nō congruit vniuerso: si in legibus intenditur aliquod bonum proprium, hoc non debet esse simpliciter & secundum se, sed prout ordinatur ad bonum commune. Tertio lex prout comparatur ad populum cui est imponenda, debet esse cōpossibilis & competens regioni, & consuetudini, & moribus illius gentis. Ideo dicitur 4. Politicorum quod non oportet adaptare politias legibus, sed leges politiæ, quas leges oportet diuersas esse secundum diuersitatem politiarum. Volens ergo leges ferre, diligenter debet attendere, qualis sit populus, cuius ritus & conditionis; & prout eis viderit expedire, tales debet eis leges imponere. Viso quales leges Reges & Principes deceat ponere, quia condendæ sunt leges, quæ sunt iustæ, vtiles & competens populo, cui imponuntur: de leui patere potest, quod expedit regno & ciuitati huiusmodi leges condere. Nam aliqui sunt de se boni, ita quod amore honesti inclinantur vt agant opera virtuosa, & desistant agere peruerse. Aliqui vero si ex seipsis, id est, ex habitibus quos habent in seipsis non sufficienter inclinantur ad bonum,

Polit. 4, cap. 1.

atta-

attamen sunt facile disciplinabiles per alios, ita quod soli sermones & solæ increpationes inclinant eos ad bonum. Sed aliqui sunt adeo peruersi, qui nec de se inclinantur ad bonum, nec per solos sermones corriguntur: oportuit igitur saltem propter tales statuere leges, quæ) vt dicitur 10. Ethicorum) coactiuam habent potentiam. Condendæ igitur sunt leges, & expediebat eas statuere: vt saltem metu pœnæ volentes impedire pacem ciuium, desisterent agere peruerse.

Eth. 10. c. 9.

Quod non cuiuslibet est ferre leges, & quod vt leges vim obligandi habeant oportet eas promulgatas esse.
Cap. XXVII.

Leges (vt patet per habita) sunt quædam regulæ agibilium, ordinantes nos in commune bonum, habentes coactiuam potentiam. Duplici ergo via venari possumus, quod non cuiuslibet est leges condere. Prima via sumitur ex eo quod leges nos ordinant ad commune bonũ. Secundo ex eo quod habent potentiam coactiuam. Prima via sic patet, nam cuius est ordinare & dirigere aliquos in aliquod bonum, eiusdem est condere leges, & regulas agibilium secundum quas intendimus in bonum illud: quare cum bonum commune principaliter intendatur à tota communitate vt à toto populo, vel à principante, quæ debet esse persona communis: omnes leges, quæ ordinant nos in commune bonum, condendæ sunt à Principe cuius est ordinare & dirigere alios in tale bonum, vel condendæ sunt à toto populo, si totus populus principetur, & sit in potestate eius eligere principantem: Nulla est ergo lex, quæ non sit edita ab eo cuius est dirigere in bonum commune: nam si est lex diuina & naturalis, condita est à Deo cuius est omnia dirigere in seipsum, qui maxime

ximè

ximè est commune bonum, quia est bonum omnis boni, lex vero humana & positiua condita est à Principe, vel à toto populo, si totus populus principetur; Princeps enim aut totus populus cum principatur, habet dirigere & ordinare alios in commune bonum. Quælibet ergo persona particularis, quæ est pars multitudinis alicuius, debet esse obseruatiua legum, sed non cuiuslibet est leges condere. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex eo quod leges coactiuam habent potentiam. Potest enim quilibet ex populo mouere & persuadere alteri vt bene agat, sed huiusmodi monitiones & persuasiones non dicũtur leges, quia nihil habent coactiuum. Extendendo autẽ nomen legis, quælibet mandata, & quælibet monitiones leges dici possunt. Secundum quem modum loquendi (vt recitat Philosophus 1. Politicor.) dicebat Homerus quod vnusquisque statuit legis pueris & vxoribus: volebat.n. Homerus quod monitiones & præcepta, quæ facit paterfamilias vxori, filijs, & alijs existentibus in domo, leges nominari possent: sed hoc non est secundum propriã acceptionem legum; nam sicut vna persona singularis ordinatur ad bonum domesticum, quod est bonum totalius & communius: sic bonum domesticum ordinatur ad bonum ciuile, & ad bonum regni, quod est etiam totalius & perfectius. Quare si à bono perfectiori quod magis habet rationem finis sumendæ sunt leges & regulæ agibilium, sequitnr quod non à bono priuato & domestico sed à bono quod intenditur in regno & ciuitate sumendæ sunt leges & regulæ agibilium. Immo quia vim agendi & potentiam exterminandi maleficos non habet proprie paterfamilias nec persona priuata, sed Princeps & persona publica, quæ præest regno aut ciuitati, aut alij multitudini, ideo leges habentes coactiuam potentiam non sunt condẽdæ nisi ab eo qui præest ipsi multitudini, vel à multitudine, si tota huiusmodi multitudo principetur. Viso quod non est cuiuslibet leges condere, de leui potest patere

Polit. 1. c. 1.

tere

tere legem non habere vim obligandi, nisi sit promulgata. Nam cum lex sit quoddam mandatum superioris, per quod ligamur & regulamur in agibilibus nostris; quia superioris mandatum non ligat nisi peruenerit vel peruenire potuerit ad notitiam subditorum, ad hoc quod lex habeat vim obligandi, oportet eam promulgatam esse. Sed cum alia sit lex naturalis, alia positiua: aliter propalatur hæc, aliter illa. Nam lex naturalis est à deo indita in cordibus nostris: ideo in quolibet homine hæc promulgatur & propalatur, quando incipit habere rationis vsum, per quam cognoscit quid sequendum & quid fugiendũ, secundum quod hæc pertinent ad ius naturale. Sed lex humana tunc promulgatur, quando exterius profertur, & prolata in scripto redigitur. Quare cum in legibus, si sint rectæ & iustæ & à legibus naturalibus determinatæ, consistat salus regni & ciuitatis; decet Reges & Principes non modicum solicitari quas leges imponant populo cui dominantur. Et postquam excogitauerunt leges imponendas, vt huiusmodi leges vim obligandi habeant, debent eas promulgare, & promulgatas custodire & obseruaret: quia secundum Philosophum 4. Politicorum circa leges duplex cura esse debet: primo vt leges bene instituantur: secūdo, vt bene custodiantur, vel (quod idem est) vt legibus sic institutis bene obediatur.

Polit. 4. cap. 1.

Quot

Quot, & quæ opera debent continere leges, quæ à Regibus, & Principibus sunt condendæ. Cap. XXVIII.

OStendimus in præcedentibus capitulis, quales debent esse leges condendæ à Regibus & Principibus quia debent esse iustæ, vtiles, & conuenientes populo cui imponuntur leges. Volumus autem in hoc capitulo declare, qui sunt effectus legum, & quæ, & quot opera debent continere huiusmodi leges. Dicuntur autem quinque esse effectus legum, vel quinque esse opera legalia, videlicet præcipere, permittere, prohibere, præmiare, & punire. Sunt enim leges (vt supra dicebatur) quædam regulæ actionum nostrarum: sicut enim medicina per dietam, & potionem & per alia quæ in ea traduntur, vult regulare & æquare humanos humores: sic scientia politica quæ est de regimine regni & ciuitatis, per leges & per alia quæ ibi docentur vult æquare & regulare actiones humanas, vt ciues iuste viuant, & debite se habeant. Circa actiones autem humanas duplex cura esse potest: vna cum opera sunt futura, priusquam sint effectui mancipata: alia vero opera cum iam sunt in esse producta. vtroque modo debet esse cura conditoribus legum de humanis actibus. Inde est ergo quod aliqui effectus legum sumuntur respectu operum fiendorum. aliqui verò respectu operum iam factorum. Respectu fiendorum quidem tria possumus attribuire legibus videlicet præcipere, permittere, & prohibere. Respectu factorum vero duo legibus attribuimus, videlicet punire, præmiare. Nã actiones humanæ (vt cõmuniter ponitur) in triplici differentia existunt: nam quædam sunt bonæ & virtuosæ, & quædam malæ & vitiosæ: quædam vero mediæ, vt illæ quæ de se sunt quodammodo indifferentes. Multa.n. sunt

quæ de se sunt quasi indifferentia, licet forte ex intentione operantium possint esse bona & laudabilia, vel mala & vituperabilia. Vt sic eleuare festucam de terra, de se est opus indifferens: si quis tamen mala intentione eleuaret illam, vt quia vellet ponere in oculum socij, esset opus prauum & vituperabile: si verò eleuando eam vellet purgare domum vel facere aliquod aliud opus pium, propter bonam intentionem operantis, quod de se est quasi indifferens, esse potest virtuosum & laudabile. Secundum igitur hæc tria genera fiendorum, tria legibus attribuimus. videlicet præcipere, quantum ad opera bona: prohibere quantum ad mala: permittere quantum ad indifferentia. Aduertendum tamen quod lex imponitur quasi communiter omnibus, & omnes communiter punctaliter non attingunt medium bonitatis, quia non omnes possunt esse omnino perfecti: spectat ad legislatorem non solum permittere indifferentia non prohibendo ea, nec puniendo, sed etiam spectat ad ipsum permittere non solum quæ non notabiliter recedunt à medio: nam si vellet legislator omnia mala quantumcunque modica prohibere & punire, vix aut nunquam posset aliquem populum regere. Ideo non solum permittenda sunt indifferentia, sed etiam quæ modicam malitiam habent annexam permitti possint à legislatore. Viso quæ attribuenda sunt legibus respectu operum fiendorum: de leui apparere potest quę attribuenda sunt eis respectu operum iam factorum. Hæc autem sunt duo, punire & præmiare. Vt opera notabiliter mala, antequam fiant, sunt prohibenda: sed postquam iam facta sunt, sunt punienda. Opera vero notabiliter bona, antequam fiant, per leges sunt præcipienda & consulenda: facta vero sunt præmianda. Sed opera indifferentia, vel non notabiliter bona aut notabiliter mala, dicuntur legibus humanis esse permissa; facta vero nec puniuntur nec præmiantur. Quinque igitur attribuimus legibus: duo respectu operum bonorum, vt præcipere fienda,

da,& præmiare facta:& duo respectu malorum,vt prohibere fienda,& punire facta:sed vnum attribuimus legibus respectu operum indifferentium vel quasi indifferentiũ, vt permittere. His itaque sic pertractatis, dicamus quod decet Reges & Principes, quorum interest solicitari circa bonum commune:circa regimen regni,& ciuitatis cura peruigili insudare quas leges, & quæ instituta imponãt ciuibus, & diligenter per se & suos consiliarios discutiant quæ bona sunt præcipienda & præmianda,& quæ mala sunt prohibenda,& quæ dissimulanda,& permittenda.

Qualiter melius regitur ciuitas aut regnum, vtrum melius regatur optimo Rege, quàm optima lege. *Cap. XXIX.*

PHilosophus 3.Politicorum inquirit, vtrum regnum aut ciuitas sit melius Regi optimo Rege,aut optimã lege. Adducit autem rationes duas;quod melius sit politiã regni Regi optima lege,quàm optimo Rege.Prima sumitur ex eo quod Rex debet esse quasi organum & instrumẽtum legis.Secunda ex eo quod facilius est corrumpi Regem quam legem.Prima via sic patet.Nam vt dicitur 5. Ethicorum Princeps debet esse custos iusti,idest iustæ legis:est ergo Princeps,si debite principetur, quasi quoddã organum iustæ legis,vt quod iuste lex fieri præcipit, Rex per ciuilem potentiam obseruari facit. Quare si quod est principalius, eligibilius est in regimine, quam organum & instrumentum:Regi optima lege eligibilius est, quam Regi optimo Rege. Hoc est ergo quod ait Philosophus 3. Politicorum, quod eligibilius est principari lege, quia Reges aut Principes ita sunt instituendi, vt seruatores legis & ministri. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex eo quod facilius est peruerti Regem,quam le-

Polit. 3. C. 12.

Eth. 5. c. 6.

Polit. 3. C. 12.

gem. Nam Rex cum sit homo non dicit intellectum bonum tantum, sed dicit intellectum cum concupiscentia: dato ergo quod Rex non peruertatur ex eo quod est intellectus, peruerti tamen potest ex eo quod habet concupiscentiam annexam. Ideo dicitur 3. Ethic. quod aliquando optimos viros furor & concupiscentia tandem interimit & peruertit. Interimitur optimus homo per concupiscentiam, & si non quantum ad esse naturæ, tamen quantum ad esse optimum: quia cum optimus homo incipit furire & concupiscere peruersa, & si non interimitur quantum ad esse simpliciter, interimitur tamen quantum ad esse optimum, quia non est vlterius optimus. Rex itaque dicit intellectum cum concupiscentia, sed lex quia est aliquid pertinens ad rationem, videtur dicere intellectum solũ: ideo dicitur 3. Polit. quod qui iubet principari intellectũ, iubet principari deum & legem; sed qui iubet principari hominem, propter concupiscentiam annexam apponit vt principetur & bestia. His ergo rationibus videtur ostendi, melius esse regnum & ciuitatem Regi lege, quàm Rege. Sed quod hoc non sit simpliciter fatendum, ostendit ibi Philosophus in eodem 3. Nam (vt ait) lex vniuersaliter dicit quod non est vniuersaliter: oportet enim humanas leges quantumcunque sint exquisitæ in aliquo casu deficere: melius est igitur regnũ Regi Rege, quam lege, vt per legem corrigi possint legales defectus. Itaque vt appareat quid circa hanc materiam sit dicendum, sciendum est regem & quemlibet principantem esse medium inter legẽ naturalem & positiuam; nam nullus rectè principatur, nisi agat vt recta ratio dictat: nam ratio debet esse regula humanorum operum. Quare si nomen regis à regendo sumptum est, & decet Regem regere alios, & esse regulam aliorum, oportet Regem in regendo alios sequi rectã rationem, & per consequens sequi naturalem legem, quia in tantum recte regit, in quantum à lege naturali non deuiat: est tamen supra legem positiuam, quia illam sua au-

Eth. 3. C. 11.

Polit. 3. C. 12.

ctoritate constituit. Itaque sicut Rex nunquam recte regit, nisi innitatur lege naturali, & agat vt recta ratio dictat: sic lex positiua nunquam recte ligat, nisi innitatur auctoritati legis aut alterius principantis. Nam iustum positiuum & legale (vt supra dicebatur) ex principio nihil differt sic, vel aliter: quando autem ponitur, propter auctoritatem ponentis differt: quare positiua; lex est infra principantem, sicut lex naturalis est supra. Et si dicatur legem aliquam positiuam esse supra principantem. hoc non est vt positiua est, sed vt in ea reseruatur virtus iuris naturalis. Cum ergo quæritur vtrum melius sit regnum aut ciuitatem Regi optimo Rege, aut optima lege. Si loquamur de lege naturali, patet hanc principaliorem esse in regendo, quam sit ipse Rex: eo quod nullus sit rectus Rex nisi in quantum innititur illi legi. Propterea bene dictum est quod innuit Philosophus tertio Politicorum quod in recto regimine principari non debet bestia, sed Deus & intellectus. Nam tunc principatur bestia, cum quis non innititur regere alios ratione sed passione & concupiscentia, in quibus communicamus cum bestijs. Tunc vero principatur Deus, quando quis in regendo alios non deuiat à ratione recta, & a lege naturali, quam Deus indidit intellectui cuiuscumque. Sed si loquamur de lege positiua melius est Regi optimo Rege quam optima lege, & maxime in casibus illis, in quibus talis lex deficit, & dicit vniuersaliter quod non est vniuersaliter obseruandum. Secundum hoc ergo concludebat ratio in oppositum facta, quod melius est Regi Rege, quam lege eo quod lex particularia determinare non potest. Ideo expedit Regem aut alium principantem per rationem rectam, aut per legem naturalem, quam Deus impressit in mente cuiuslibet hominis, dirigere legem positiuam, & esse supra iustitiam legalem, & non obseruare legem, vbi nō est obseruāda. Ex hoc autem patere potest, quomodo seueri-

tas & clementia possunt simul stare cum iustitia. Nam humani actus propter particulares circũstantias, & propter eorum mutabilitates, vt vult Philosophus 5. Ethic. nõ possunt mensurari regula inflexibili, vt puta ferrea: sed oportet quod mensurentur regula plumbea, quæ sit applicabilis humanis actibus. Oportet igitur aliquando legem plicare ad partem vnam, & agere mitius cum delinquente, quam lex dictat: aliquando etiam oportet eam plicare ad partem oppositam, & rigidius punire peccantem, quàm lex determinet. Nam particulares circumstantiæ, quæ lege determinari non possunt, aliquando alleuiant delictũ: & tunc iuste & secundum rationem clementer agitur cũ delinquente. Aliquando tales circumstantiæ aggrauant: & tunc est rigidius incedendum. Rigor igitur & clementia licet videantur esse præter iustitiam legalem & positiuã; non tamen sunt præter iustitiam simpliciter, si rationabiliter fiant exigentibus particularibus circumstantijs. Inde est ergo quod in iudicando, aliqua dicuntur esse de æqualitate, aliqua de rigore, aliqua vero ex clementia. Quamdiu regula Regis manet recta & æqualis, non plicata ad aliquam partem, iudicia mensurata secũdum talem regulam dicuntur ex æqualitate procedere. Si vero exigentibus conditionibus delinquentis legalis regula plicetur ad partem misericordiæ, iudicium tunc factum dicetur procedere ex gratia vel ex clementia. Sed si dicta regula plicetur ad partem oppositam, fiet iudicium ex rigore siue seueritate. Et quia hæc omnia iuste & rationabiliter fieri possunt, clementia & seueritas simul cum iustitia possunt existere.

Eth. 5. c. 10.

Quòd

Quod præter legem humanam & naturalem, oportuit dare legem euangelicam & diuinam. Cap. XXX.

FVerunt enim aliqui de suo ingenio præsumentes, dicentes Theologiam superfluere, ex quo habemus physicas disciplinas, in quibus determinatur de omni ente & superfluere legem Euangelicam & diuinam, ex quo habemus legem humanam & naturalem, quæ videntur omnia vitia prohibere, & omnes virtutes præcipere. Sed quod præter legem naturalem & humanam fuerit expediens dare legem euangelicam & diuinam, triplici via possumus venari secundum ea quæ communiter à doctoribus traduntur. Prima via sumitur ex parte punitionis peccatorum. Secunda ex parte cognitionis nostræ. Tertia ex parte finis, siue ex parte finalis boni, quod intendimus adipisci. Prima via sic patet. nam (vt supra dicebatur) lex humana non omnia peccata punit. quod duplici de causa contingit. Prima est, quia communiter populus non potest attingere punctalem formam viuendi, ideo oportet aliqua peccata dissimulare & non punire lege humana, ad hoc vt possit durare principatus in populo: non enim esset possibile aliquem diuturne principari, si vellet omnia peccata punire, & omnes transgressiones corrigere. Rursus & si omnes transgressiones possent puniri à principante, non tamen est possibile simpliciter omnia delicta puniri: quia non omnia perueniunt ad notitiam Principis. Immo aliqua sunt adeo occulta, vt interiores concupiscentiæ, quæ lege humana puniri non possunt. Oportuit igitur præter legem humanam dari aliquam legem, vt nullum malum remaneret impunitum, & nullum bonum irremuneratum. Ad hoc autem faciendum non sufficit lex naturalis, vt in prosequendo patebit. opor-

tuit igitur dare legem euangelicam & diuinam, secundum quam prohiberentur tam delicta interiora quàm exteriora, cuius transgressores vel in hoc seculo, vel in alio punirentur. Ex hoc autem apparere potest, quomodo lex humana prohibet concupiscentias, & quomodo non prohibet, sed prohibet manum & non animum. Dicebatur enim supra, hoc declarandum esse. Sciendum ergo quod si consideretur intentio legislatoris, lege humana omnia peccata prohibentur, vel prohiberi debent non enim habet rectam intentionem Rex vel quilibet alius legislator, nisi intendat suos conciues facere quam virtuosiores potest. Sed cum ad perfectam virtutem nullus inducatur nisi intendat omnia peccata vitare: si consideretur lex quantum ad intentionem legislatoris, prohibet animum & concupiscentiam. Immo vt patet per Philosophum 2. Politicorum cum disputat contra Socratem, secundum hunc modum magis prohibetur concupiscentia quam actus exterior, eo quod actus exteriores tūc maxime inducunt nos ad virtutem si sint boni, & ad vitiū si sint mali, cum procedant ex interiori appetitu. Sed si consideretur lex humana non quantum ad intentionem legislatoris, sed quantum ad punitionem, sic dicitur non prohibere mentem & animum, eo quod talia delicta non puniat. Immo secundum hunc modum nō solum lex humana non prohibet interiores concupiscentias, sed etiam non prohibet omnia exteriora delicta. Nam legibus humanis aliquando dissimulantur minora mala vt vitentur maiora, vt permittuntur fornicationes simplices, & non puniuntur legibus humanis. vt vitentur adulteria. Secunda via ostendens necessariam esse legem euangelicam & diuinam, sumitur ex parte cognitionis nostræ, & ex incertitudine iudicij nostri. Nam de contingentibus particularibus, & de agibilibus humanis adeo sunt diuersa iudicia hominum, vt de eisdem apud diuersas gētes diuersæ sint leges, secundum iudicium enim quorundā aliquid est iu-

Polit. 2. Cap. 4.

est iustum, quod secundum aliorum iudicium est iniustũ. Quare cum in humanis iudicijs cadere possit dubietas & error, expediens fuit lex euangelica & diuina, circa quam error esse non valet. Tertia via sumitur ex parte finalis boni, quod intendimus adipisci. Nam cum huiusmodi bonum sit supra facultates nostræ naturæ, lex naturalis & humana iuuantes nos ad consecutionem illius boni quod possumus naturaliter adipisci, non sufficiunt ad consequendum illud bonum supernaturale. ergo necessaria fuit lex euangelica & diuina, per quam ordinamur ad illud bonũ. Decet ergo reges & principes, quos competit esse quasi semideos, & esse intellectum sine concupiscentia, & esse formam viuendi, & regulam agibilium, sic se habere ad legem diuinam, naturalem, & humanam: vt sicut excedunt alios potentia & dignitate, sic eos superent bonitate & virtute.

Quod quantum possibile est, sunt leges patriæ obseruandæ, & quod cauendum assuescere innouare leges. Cap. XXXI.

QVærit Philos. 2. Polit. cum disputat contra Hippodamum, vtrum sit expediens ciuitatibus innouare patrias leges, & inducere nouas consuetudines. Ordinauerat enim Hippodamus (vt supra tetigimus) quod inueniẽs aliquam legem ciuitati proficuam, honorem acciperet in ciuitate illa; & quia homines sunt cõmuniter honoris cupidi, inducebantur multi vt inuenientes consuetudines nouas, dicentes eas esse vtiles & proficuas ciuitati, soluerent leges patrias & antiquas. Merito ergo dubitatur, an positio Hippodami esset bona, & an expediat sæpe sæpius immutare leges: dato etiã ꝙ occurrãt leges aliquæ q̃ videantur esse magis ꝓficuæ & meliores. Adducit aũt Phil. in Polit. *Polit. 2. cap. 6.*

qua-

quatuor vias per quas videtur ostendi, quod expediat innouare leges. Prima sumitur ex parte scientiarum & artium. Secunda ex parte puritatis quarundam legum. Tertia ex simplicitate condentium leges. Et quarta ex indeterminatione particularium circunstantiarum. Prima via sic patet. nam in alijs scientijs sic videmus quod si occurrat posterioribus aliquid melius, reprobanda sunt dicta priorum, puta in medicinali amota sunt multa paterna eloquia, & in scientia gymnastica, siue in arte luctatiua quæ docet luctari, vt innuit Philosophus in Polit. multa quæ priores tradiderunt, per posteriores sunt immutata & innouata: quare sic erit in legibus quòd si occurrãt meliores leges quàm sint traditæ à prioribus patribus, non sunt vlterius leges patriæ obseruandæ. Secunda via ad ostendendum hoc idem, sumitur ex parte puritatis quarundam legum: nam quasdam leges patrias (vt Philosophus innuit) contingit esse malas & barbaricas: sicut erat lex olim apud Græcos, quod portantes ferrum, & alia metalla, emebant vxores adinuicem: omnino enim erat barbaricum, statuere leges, vt ciues possent vxores suas vendere, Sic etiam contingit, leges aliquas esse stultas, vtputa legem illam quam (vt recitat Philos.) quædam gens statuit. videlicet quod si aliquis ciuis esset occisus, & aliquis consanguineus mortui inuaderet aliquem ciuem, & ille præsentibus aliquibus fugeret ab eo reputabatur fugiens reus homicidij: dicebat enim legislator quod non fugeret, nisi sentiret se culpabilem: sed hoc fuit stultum statuere, quia siue aliquis sit culpabilis siue non, si timeat vulnerari, naturale est vt fugiat persequentem: ergo quia aliquæ leges paternæ sunt prauæ, innouandæ sunt. Tertia via sumitur ex simplicitate condentium leges. nam si aliquando condentes leges contingit esse simplices, irrationale esset, si posteriores sapientiores non possent immutare leges paternas per simpliciores conditas: ergo in tali casu mutandæ essent priorum leges. Quarta via sumitur ex in-

Polit. 2. c. 6.

deter-

determinatione particularium actuum. Nam agibilia particularia indeterminata sunt, & perfectè comprehendi non possunt: quare quantuncunque conditores legum fuerint sapientes, potuerunt eos latere aliquæ particulares circumstantiæ circa agibilia hominum. Si igitur posterioribus propter experientiam agibilium particularium occurrit aliquid melius, inconueniens est non remouere leges paternas & antiquas propter meliores leges nouiter inuentas. Videntur itaque hæ rationes probare quod quotiescunq; occurrit aliquid melius, sunt leges paternæ immutandæ. Sed hoc simpliciter afferre est valde periculosum ciuitati & regno. Nam assuescere inducere nouas leges (vt innuit Philosophus 2. Pol.) est assuescere non obedire legibus. Nam leges magnam efficaciam habent ex consuetudine: de difficili enim quis facit cōtra aliquid, quod est per diuturna tempora obseruatum. Assuescere autem non obedire legibus, est assuescere non obedire Regibus & Principibus, & per consequens est tollere principatum & regnum. Quantum autem malum sequitur non obedire Regibus & legibus, ostendit Philosophus 1. Rhetor. qui ait, magis nocere, consuescere non obedire principibus, quàm non obedire medicis. Nam medici intendunt bonum corporis: volunt enim corpora inducere ad sanitatem. Sed veri legislatores & veri Reges principaliter intendunt bonum animæ; quia intendunt ciues inducere ad virtutem. Vt ergo appareat quid tenendum sit de quæsito, sciendum quod lex positiua si recta sit, oportet quod innitatur legi naturali, & quod determinet gesta particularia hominum. Dupliciter ergo potest huiusmodi lex habere defectum. Primum si sit contraria legi naturali. Secundo si non sufficienter determinaret particularia gesta. Si primo modo deficiant leges paternæ & positiuæ, non sunt leges sed corruptiones legum, propter hoc obseruari non debent: Nam leges positiuæ licet sint additæ naturalibus legibus, non tamen sunt contrariæ illis, nisi vel-

lemus

lemus appellare contrarium iuri naturali quod non est à natura inductum, sed ei est additum & appositũ,& per artē omnium adinuentum: secundum quem modũ loquendi homo est nudus naturaliter,& vestimentũ est contra naturam: nā esse vestitũ videtur contrariari ei quod est esse nudũ. Secundũ hunc modum loquendi loquuntur Iuristæ, vt patet ex Institutis de iure nāli, vbi dicitur quòd leges humanæ contrariæ sunt iuri nāli; quia iure nāli ab initio homines liberi nascebantur. Seruitus ergo est contra naturam, inquantũ natura nō induxit seruitutem; sed est ad vtilitatē hominũ per leges posita. Sed sic appellare aliquid contra naturam esse, est ruditer loqui. Nam illud propriè est contra naturam, cuius contrarium dictat ratio nālis: & quia propter vtilitatem & propter commune bonum hominum est seruitus introducta, vt supra in lib. 2. ostēdimus aliquos seruire alijs & obedire licet sit iuri naturali additum & appositum, sicut vestimentum est additũ & adductũ corpori nudo quod est natura productũ: non tamen est contra ius nāle, quia huic nālis ratio non contradicit. Leges ergo deficientes quia sunt prauæ & contra ius naturale, cuiusmodi erat lex illa, quod ciues possent suas vxores vendere, vel quæcunq; aliæ leges sic prauæ & iniustæ, non sunt obseruandæ, sed extirpandæ. Si vero leges sint defectiuæ, quia non completè determinant particularia agibilia, dato quod occurrant leges meliores & magis sufficiētes, non est assuescendũ innouare leges. Primo, quia aliquando contingit circa talia decipi; quia creduntur meliores quæ sunt peiores, & creduntur magis sufficientes quæ sunt minus. Dato tamen quod in aliquo sufficiētiores essent leges nouiter adinuentæ, sunt tamen leges antiquæ, & paternę obseruandæ, quia quāto ex vna parte quis perficit, dando sufficientiorem legem, tanto ex alia parte nocet, tollendo consuetudinem & diuturnitatem temporis, per quam lex habet efficaciam magnam. Non est ergo simile de artibus & de legibus: quia artes & scientię totam

effi-

efficaciam habēt ex ratione, sed leges non sic: Immo magnam efficaciam habent ex diuturnitate & assuefactione. Decet ergo reges & principes obseruare bonas consuetudines principatus & regni, & non innouare patrias leges, nisi fuerit rectæ rationi contrariæ.

Quid est ciuitas, & quid est regnum, & qualem oportet esse ipsum existentem in regno & ciuitate. Cap. XXXII.

CIrca regimen regni & ciuitatis (vt superius dicebatur) erant quatuor pertractanda. videlicet qualis debet esse Rex siue Princeps, quales consiliarij, quales iudices, & qualis populus. Expeditis ergo tribus, restat dicere de quarto, scilicet de populo. Sed cum ad sciendum qualis debet esse populus, & quomodo debeat se habere ad principantem, non modicum amminiculetur scire quid sit ciuitas, & quid regnum. Intendimus in hoc capitulo declarare & diffinire, quid sit ciuitas, & quid regnum. Sciendum igitur quod cum ciuitas sit aliquo modo quid naturale, eo quòd naturalem habemus impetum ad ciuitatem constituendam: non tamē efficitur, nec perficitur ciuitas, nisi ex opere, & industria hominum. Quæ autem ex arte humana efficiuntur, diffiniuntur, & cognoscuntur potissime ex fine & bono, ad quod ordinantur. vt potissime scimus quid sit domus, & qualis debeat esse domus, si sciuerimus ipsam esse factā propter hoc bonum, vt nos defendat à pluijs & caumatibus. quare si scire volumus quid est ciuitas, enumeranda sunt bona illa, ad quæ deseruit cōstitutio ciuitatis, & animaduertendum est quod bonorum illorum sit potius. Narrat quidem Philosophus 3. Politic. *Polit. 3.* volens diffinire quid sit ciuitas, sex bona ad quæ ciuitas or- *c. 1.* dinatur. Est enim ciuitas constituta populo propter communi-

munitatem siue communicationem loci, vt homines simul cohabitent. Consurgit enim ex hoc quædam iocunditas & delectatio: nam nullius sine socio iocunda est possessio. Si quis enim magna multitudine argenti & auri polleret, & omnibus victualibus abundaret, & si non viueret in societate, vt alij suam magnificentiam perciperent, & vt eis sua bona communicare posset, non multum reputaret illa. Facta est ergo ciuitas, vt homines simul in vno loco viuentes, iocunde & delectabiliter conuersentur. Secundo ciuitas est constituta non solum propter iocunde & delectabiliter conuersari, sed propter ipsum viuere. Nam homines in eadem ciuitate existentes deseruiunt sibi ad vitam, & vnus alteri subuenit in ijs quæ sũt necessaria vitæ: quod sic esse non posset, si homines solitarij morarentur. Tertio facta fuit ciuitas compugnationis gratia, & propter non iniustum pati. Nã quia homo vnus solitariam vitam ducens, non est sufficiens resistere impugnantibus, & vitare iniurias & iniustitias sibi factas; constituta fuit ciuitas, vt homo qui solitarius se nõ potest tueri ab hostibus existens pars multitudinis, tutè & absq; formidine viueret. Quarto fuit ciuitas ordinata propter commutationes & cõtractus. Dicebatur enim supra cum de legibus tractabamus, quod facere commutationes, & contractus erant secundum ius gẽtium, & erat proprium humano generi: quia enim nullus homo habet omnia sufficientia ad vitam, nisi commutet ea quibus abundet in illa à quibus deficit, ideo necessariæ fuerunt emptiones, venditiones, commutationes, & contractus, quæ omnia quia facilius fiunt hominibus simul conuiuentibus, constituta fuit ciuitas, vt homines simul conuiuerent. Quintum bonum ad quod ciuitas ordinatur, est communicatio connubiorum. Nam homines simul cõuiuentes ad inuicẽ amicitiam contrahunt, & vt firmius se diligant, vel propter aliquod aliud bonum, quod vident inde consurgere, iungunt connubia & fiunt ad inuicem affines. Sextum
bonum

bonũ propter quod est ciuitas constituta, est viuere eligibiliter & virtuose. Nam magis possunt puniri delinquentes & malefici, si homines simul cõuiuant in ciuitate, quã si morarentur dispersim. & vitam solitariam ducerent. Inde est igitur quòd timore pœnæ multi desinunt malefacere, & assuescunt ad operationes bonas: quod faciendo, disponuntur, & fiũt boni, & virtuosi. Quoniam igitur virtutes & opera virtuosa sunt maxima bonorum, licet propter omnia prædicta bona sit aliquo modo ciuitas constituta, potissime tamen constituta est propter viuere eligibiliter & virtuose. Quare si à maiori fine, & à maiori bono quod intenditur in re accipienda est eius notitia, breue dictum est quod dicitur 3. Polit. quod vnitas loci, communicatio connubiorũ, compugnationis gratia, commutatio rerum, & cetera talia sunt ea, sine quibus non habet esse ciuitas. Principaliter tamen est ciuitas constituta propter bene, & virtuose, & feliciter viuere. Si igitur quæratur quid est ciuitas? Dici debet quod est communicatio ciuiũ propter bene, & virtuose viuere; & propter perfectam, & per se sufficientem vitam. Viso quid est ciuitas, de leui videri potest quid est regnum. Nam regnum supra ciuitatẽ videtur addere multitudinem nobilium & ingenuorum. Est enim ciuitas pars regni; & in regno est maior multitudo, & sũt plures nobiles & ingenui, quã in ciuitate vna. Potest ergo sic diffiniri regnũ, quòd est multitudo magna, in qua sunt multi nobiles & ingenui, viuentes secundum virtutem, ordinati sub vno viro optimo, vt sub rege. Viuere enim secundum virtutem, est finis principaliter intentus in quolibet ciue, in qualibet ciuitate, & in toto regno. Nam secundum Philos. in Polit. Idem finis est vnius ciuis, & totius ciuitatis. Sic etiam dicere possumus, quod idem est vnius rectus ciuitatis, & totius regni. Debet enim Rex, si sit verus & rectus idẽ intendere in vno ciue, & in tota ciuitate, & in regno toto. Nã cura peruigili studere debet, vt quilibet ciuis virtuose se habeat, vt tota ciuitas

virtuo-

virtuosa existat, & vt totum regnum bene & virtuose viuat. Sed si quilibet ciuis debet virtuose se habere; quia secundum Philos. in Polit. secundum quod aliquis excedit alios in potentia & dignitate, sic debet eos excedere in bonitate & virtute: decet nobiles & ingenuos esse magis bonos & virtuosos quàm ciues alios: propter quod regem ipsum tanquam omnibus excellentiorem decet esse optimum, & quasi semideum. Inde est igitur quod regnum dicitur esse multitudo, in qua sunt multi nobiles & ingenui: non quocunq; modo se habentes, sed viuentes secundum virtutem, & ordinati sub vno viro optimo, vt sub Rege. Ostenso quid est ciuitas, & quid regnum; de leui patere potest, qualis debeat esse populus existens in ciuitate & regno. Nam si ciuitas & regnum principaliter ordinatur ad vitam bonam & virtuosam, habitatores regni & populū existentem in ciuitate & regno, oportet esse talem, quod viuat bene & virtuose. Inde est ergo quod ait Philosop. 3. Politicorum quod magis est ciuis abundans in bonis operibus virtuosis, quam si abundaret in diuitijs, vel in nobilitate generis, vel alijs exterioribus bonis: Credūt ergo multi esse ciues, & esse de regno, si in regno habeat domos multas, possessiones magnas: sed magis sunt de regno abundantes in operibus virtuosis, & obseruantes leges rectas, & statuta regni, quam habentes nobilitatem generis, ciuilem potentiam, & multitudinem ipsorum bonorum exteriorum.

Quòd

Quod tunc est optima ciuitas, & optimum regnum, & optimus populus, quando est in multis personis medijs constitutus. Cap. XXXIII.

QVarto Politicorum ait Philosophus, quod tres oportet esse partes ciuitatis. Nam alij quidem sunt opulenti valde, alij autem egeni valde, alij vero sunt horum medij. Hoc ergo modo quo diuisa est ciuitas in tres partes, diuidi potest quilibet populus & quodlibet regnum. Intentio autem huius capituli est ostendere optimam esse ciuitatem & regnum, si ibi sit populus ex multis personis medijs constitutus. Tangit autem Philosophus 4. Politicorum, quatuor, ex quibus sumi possunt quatuor viæ, ostendentes meliorem esse politiam, vel melius esse regnum & ciuitatem, si ibi sit populus abundans in multitudine mediarum personarum. Prima via sumitur ex eo quod talis populus magis rationabiliter viuit. Secunda ex eo quod inter ipsos habet esse maior dilectio. Tertia, quia ibi maior æqualitas. Quarta, quia est ibi minor inuidia, & minor contemptus. Prima via sic patet: Nam si in populo sint multi valde diuites, & multi valde pauperes, & paucæ personæ mediæ, vix aut nunquam rationabiliter viuet. Nã multum diuites ad multum pauperes nesciunt rationabiliter se habere, sed modica occasione sumpta eis manifestè nocet. Sic etiam multum pauperes ad nimium diuites nesciunt se rationabiliter gerere: insidiantur enim eis quomodo possint astute & latenter eorum deprædari bona. Sed si in populo sint multæ personæ mediæ, cessabunt huiusmodi nocumenta, & de facili rationi obediunt. Hoc est quod dicitur 4. Politicorum quod quoniam mediocre est optimum, optima est possessio media, quia facilius rationi obediet. Nam si vna pars ciuitatis sit superingenua

Polit. 4. C. 11.

superpotens,& superdiues:alia vero huic contraria sit superegena,superdebilis & valde vilis,difficile est rationem sequi.Nam ij quidem scilicet superpotentes,fient iniuriosi:hi autem videlicet superpauperes, fient nequi, valde astuti & latenter insidiantes diuitibus. Secunda via sumitur ex mutuo amore,qui debet esse inter existentes in eodem regno, vel inter commorantes in eadem ciuitate. Nam vt dicitur 4.Politic. isti videlicet pauperes minime amant Principes, id est potentes & diuites:hæc autem(vt ibi subditur) sunt valde nociua ciuitati.Vt ergo sit mutuus amor inter ciues, bonum est propter hoc abundare in personis medijs.Tertia via sumitur ex æqualitate & iustitia,quæ est seruanda in ciuitate: Nam (vt ait Philosophus) excedentes in fortunis,potentijs,diuitijs, & amicis, & in alijs huiusmodi bonis,nesciunt subijci.Qui autem secundum excessum sunt indigentes & pauperes,nesciunt principari. Quare si populus sit solum ex duabus partibus constitutus,ex nimis diuitibus & nimis pauperibus: & paucæ aut nullæ sint ibi personæ mediæ, de difficili seruabitur ibi æqualitas & iustitia, sed diuites penitus volent principari,& suppeditare alios. Alij vero contra nitentes dissensionem faciunt, & si contingat pauperes obtinere, quia principari non nouerunt, male tractabunt diuites & potentes. Quarta via sumitur, vt vitetur inuidia & contemptus.Nam pauperes(vt dicitur 4.Polit.)maxime inuident diuitibus,& maxime diuites contemnunt eos:nulla societas est bene durabilis,vbi est multa inuidia & cõtemptus. Quare optimus est populus ex multis personis medijs cõstitutus, quia tunc de facili rationabiliter viuent, adinuicem se diligẽt,reseruabitur inter ipsos æqualitas & iustitia,& non erit inter illos contemptus & inuidia: nõ enim habebit vnus vnde alium contemnat,nec vnde ei inuideat videns se ei quasi æqualem existere, & non esse magnum excessum inter ipsos.Huic auctoritati attestatur,quod Solon,& Charondas,& Licurgus tradiderunt de Politijs.Di-

xerunt

xerunt enim eas constituẽdas esse ex personis medijs. Decet ergo Reges & Principes adhibere cautelas, vt in regno suo abundent multæ personæ mediæ; vt ne alijs ad nimiam pauperiatem deuenientibus efficiantur reliqui nimis diuites: quod fieri poterit; si non pro quacunque causa liceat ciuibus paternas possessiones vendere; nec quibuslibet indifferenter liceat quascunq; possessiones emere, adhibita enim debita diligentia circa emptionem, & venditionem agrorum & terrarum, poterit aliqualis æqualitas reseruari inter ciues.

Quod expedit populo cum magna reuerentia obedire Regibus, & cum summa diligentia leges regias obseruare.
Cap. XXXIV.

Consequitur autem populus (quantum ad præsens spectat) tria, si cum magna diligentia obediat regibus, & principibus, & obseruet leges regias. Ex quibus, triplici via venari possumus, quantum sit vtile & expediens populo obedire Regibus & Principibus, & obseruare leges. Primo enim ex hoc cõsequitur populus virtutes, & maxima bona. Secũdo ex hoc cõsurgit salus regni & ciuitatis. Tertio ex hoc oritur pax & tranquillitas ciuium, & abundantia exteriorum rerum. Prima via sic patet. Nam (vt dicebatur in præcedentibus) intentio legislatoris est inducere ciues ad virtutem. In recta enim Politia (vt vult Philosophus) circa principium 4. Polit. eadem est virtus boni ciuis, & boni viri: & per idẽ siue per eosdem mores, est aliquis bonus ciuis, & bonus homo. Est quidem aliquis bonus ciuis, si bene obediat principanti, & ei cuius est leges ferre. Quare si principans recte regat populum sibi commissum, quia intentio eius est inducere alios ad virtutem, cum virtus faciat habentẽ bonũ; & opus bonũ, oportet in

recto regimine, quòd bonus ciuis sit bonus homo; & qui bene subijcitur Regi, sit bonus vir. Si enim Rex non intenderet quod sibi subiecti essent boni & virtuosi, iam non esset Rex, sed tyrannus. Si ergo quilibet ciuis debet intendere vt sit bonus & virtuosus, eo quod virtutes sunt maxima bona, cum summa diligentia studere debet, vt Regi obediatur, & ne præuaricentur leges & præcepta eius: omnibus enim tàm nobilibus quã ignobilibus necessaria est obedientia regia, & obseruantia legum. Imo tanto magis est hoc expediens nobilibus quam ignobilibus, quanto decentius est eos esse bonos, & virtuosos. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex eo quod ex obedientia Regis, & ex obseruantia legum oritur salus regni, & ciuitatis. Credunt enim aliqui, quod obseruare leges, & obedire regi, sit quædam seruitus. Sed secundum Philosoph. 5. Politic. hoc non est seruitus, se libertas. Ignorant enim quid est libertas, dicentes obseruare leges & obedire Regibus, esse seruitutem. Cum enim bestiæ sint naturæ seruilis: quanto quis magis accedit ad naturam bestialem, tanto est magis naturaliter seruus. Esse quidem sceleratum & affectatorem belli, & turbatorem pacis, velle viuere sine freno & sine lege, secundum sententiam Philosophi, & secundum dictum Homeri, est esse magis bestiã, quam hominem. Quare non obseruantes leges, nolentes obedire regibus & superioribus, sunt magis bestiæ quàm homines: & per consequens sunt magis serui, quam liberi. Saluatur itaq; salus regni & ciuitatis, si habitatores regni efficiuntur liberi, si obediant regibus, & obseruent leges. Quanta autem salus surgat in regno ex obedientia Regis, sufficienter ostenditur, si considerentur verba Philosophi 4. Polit. qui comparat Regem ad regnum, sicut animam ad corpus. Nam sicut anima corpus regit & conseruat, sic Rex regit & conseruat regnum: & sicut anima est salus & vita corporis, sic Rex si recte principetur est salus & vita regni. Quare sicut pessimũ est corpori delinquere animã,

& non

& non regi per eam, sic pessimum est regno deserere leges regias & præcepta legalia, & non regi per Regem. Tertia via ad ostendendum hoc idem, sumitur ex eo quod ex obedientia regia, & ex obseruatione legum oritur pax & trãquillitas ciuium, & abundantia exteriorum rerum. Nam (vt supra dicebatur) leges & etiam legislatores, vt Reges & Principes coactiuam habent potentiam: vt qui amore honesti per increpationes paternas, & amicorum non retrahitur ab operibus sceleratis, saltem timore pœnæ retrahatur ab illis. Expediens enim fuit regno & ciuitati habere aliquem Regem vel aliquem principantem, ne malefici turbarent pacem ciuium. Intendere enim debet quilibet legislator, vt corda ciuium sint tranquilla, & vt ciues viuant pacifice & vnanimes. Vnde & Philosophus 1. Rhet. videtur velle, quòd sic se habeant legislatores ad animas, sicut medicina ad corpora. Nam sicut medicus intendit sedare humores, ne insurgat morbus & bellũ in corpore: sic legislator intendit placare corda, sedare animas, ne insurgat rixa & dissensio in regno, aut in ciuitate. Inde est ergo quod dicitur primo Rhet. quod non tantum nocet peccare contra præcepta medici, quantũ consuescere non obedire Principi. Est enim anima maius bonum quàm corpus, & pax ciuiũ & eorum qui sunt in regno potior est quã æqualitas humorum, vel quam sanitas corporum. Summo ergo opere studere debet populus, & omnes habitatores regni circa obedientiam regiam, & obseruationẽ legũ: cũ ex hoc consurgat tantũ bonũ, quantum bona est pax & tranquillitas existentiũ in regno. Consurgit etiã ex hoc abundantia exteriorũ rerũ. Nã existente guerra in regno, terræ manent incultæ, fiunt deprædationes, oriuntur sterilitates deducuntur habitatores regni ad inopiã. Si ergo consideretur quantũ bonũ aduenit ex rege, nõ solũ Regibus rectè regẽtibus, sed etiã dato ꝙ in aliquo tyrãnizarent, studeret populus obedire illis. Nã magis est tolerabilis aliqualis tyrãnis principãtis, quã sit malũ, quod

consurgit ex inobedientia Principis,& ex præuaricatio ne mandatorum eius.

Qualiter se debent habere ciues & vniuersaliter habitatores regni, ne Reges prouocentur ad iracundiam contra ipsos. Cap. XXXV.

POstquam docuimus populum, & omnes habitatores Regni,vt obediant Regibus, & obseruent eorum leges:volumus in hoc capitulo declarare,qualiter se habere debeant existentes in regno,ne Reges prouocentur ad iracundiam contra ipsos. Ira autem secundum Philosophum in principio 2.Rhet.est tristitia proueniens ex appetitu ap parentis punitionis,propter apparentem paruipensionem eorum quæ in ipsum,aut in aliqua ipsius,aut in aliqua quę ordinantur ad ipsum. Nunquam enim ira sine tristitia est. Appetit autem iratus apparenter, idest manifeste punire eos qui paruipendunt ipsum, vel aliqua quæ sunt ipsius, vel ea quæ aliquo modo ordinantur ad ipsum. Cum ergo quis aliquo dictornm modorum manifeste forefacit in alium,ille tristatus ex appetitu punitionis, dicitur irasci. Ciues itaque vt non prouocent Reges ad iram,non debẽt fore facere nec in Regem,nec in ea quæ sunt ipsius,nec in illa quæ aliquo modo ordinantur ad ipsum. Primo quidẽ expedit eis, qui sunt in regno, vt non incurrant regiam iram,non forefacere in ipsum Regem. Regi autem duo debentur,honor & obedientia. Est enim Rex caput regni: caput aũt ad alia membra dupliciter comparatur. Primo quidem,quia est altius & excellentius illis.Secundo vero, quia ea dirigit in actiones suas. In capite enim viget sensus & imaginatio,per quam dirigimur in operationes nostras. Sic Rex excellentior est omnibus illis,qui sunt in regno.Rursus quia eius est leges ferre,& quia in Rege maxime

xime vigere debet ſenſus & prudentia, ad ipſum ſpectat per ſe & per alios dirigere eos,qui ſunt in regno. Ratione ergo quia Rex eſt excellentior alijs, ei debetur honor, & reuerentia. Ratione vero, quia ipſius eſt dirigere alios, debetur ei ſubiectio & obedientia. Quare dupliciter poteſt forefieri ad Regem ab ijs qui ſunt in regno. Primo,ſi non ei exhibeant honorem debitum, & reuerentiam dignam.Secundo,ſi non ſint ei ſubiecti & obedientes,obſeruando eius leges & mandata. Cum enim hæc duo, honor videlicet,& obedientia ſubtrahuntur à Rege,merito prouocatur ad iram. Ideo dicitur 2.Rhet. quod iraſcimur ijs qui tenentur,vel conſueuerunt nos honorare, ſi non ſic ſe habeant.Et eſt ratio,quia ſic ſe habentes videntur nos deſpicere. Nam ſi nos non deſpicerent, impenderent nobis honorem dignum. Sic etiam ibidem dicitur, quod & ad minores iraſcimur, ſi non ſic ſe habeant vt debent, vel ſi faciant contraria eorum quæ debent. quod maxime contingit,ſi tranſgrediuntur mandata ſuperiorum,& non obediunt regi quaſi præcellenti. Viſo quomodo habitatores regni non debent prouocare Regem ad iram, forefaciendo in ipſum, non exhibere ei debitum honorem & obedientiam condignam.Reſtat videre,quomodo non debẽt ipſum prouocare,forefaciendo in eos qui ſunt eius, & qui pertinent ad ipſum.Ad Regem autem pertinere videntur quatuor genera perſonarum videlicet parentes & vniuerſaliter omnes cognati,vxor filij,& ſubditi. Spectat itaq; ad habitatores regni ſi nolunt Regem ad iram prouocare,non ſolum non forefacere in ipſum Regem, ſed etiam non forefacere in cognatos, vxorem, filios, & vniuerſaliter in omnes ſubiectos ipſi regi.Et quia omnes qui ſunt in regno ipſi regi ſunt ſubditi, forefacit in regem quotieſcunque alicui exiſtenti in regno efficitur iniuria aliqua. Hoc eſt ergo quod dicitur 2.Rhet.cap.de ira,quod iraſcimur forefacientibus in parentes,filios, vxores, & ſubiectos eo quòd eſt turpe ipſis non auxiliari. Tertio ſpectat

Rhet.2. C.2.

ad habitatores regni non forefacere in ea quæ aliquo modo ordinantur ad regẽ. Huiusmodi autem sunt possessiones propriæ, & debita iura regni: quia in hoc videntur ipsum cōtemnere & paruipendere, si iniuste & absq; iussione regia manum apponunt in ea, quæ ad regem spectant. Decet ergo omnes ciues & vniuersaliter omnes habitatores regni ab ipsa infantia prouocare filios ad dilectionem Regis: instruere eos quomodo debeant honorare Regem, obedire ei: non forefacere in cognatos eius, nec in filios, nec in aliquas personas ei subiectas, nec in aliqua iura regni. Pessimum est enim (vt dicitur 7. Pol.) non instruere pueros ad virtutem, & obseruantiam legum vtilium: & ad obseruandum ea quæ requirit politia, vel regimen regni, in quo existit: semper enim amamus prima magis; & illud ad quod primo instruuntur iuuenes, sunt magis proni ad obseruandum.

Polit. 7. cap. 17.

Quomodo Reges, & Principes debeant se habere vt amentur à populo, & quomodo vt timeantur, & quod licet vtrunq; sit necessarium, amari tamen plus debent appetere quam timeri.

Cap. XXXVI.

QVoniam in 1. lib. promisimus nos dicturos quomodo Reges & Principes debeant se habere vt amentur à populo, & quomodo timeãtur: volumus hic exeq. qualiter fieri hoc cōtingat. Sciẽdũ itaq; quod vt Reges & Principes cōmuniter amentur à populo, tria potissime in se habere debẽt. Primo quidẽ esse debẽt benefici, & liberales. Secundo fortes & magnanimi. Tertio æquales & iusti. Primũ autẽ sic patet. Nã vulgus nõ pcipit nisi sensibilia bona, ideo beneficos, & liberales in numismata, & in ea q̃ possũt numismate mensurari, amat, & reueretur. Ideo dr̃ 2. Rheto. cap. de amore quod populus amat, & honorat beneficos in pecunia, & liberales. Secundo vt Reges amentur in populo,

pulo, debent esse fortes & magnanimi, ponentes (si oporteat) seipsos pro bono communi, & defensione regni. Nã populus valde diligit fortes & magnanimos, exponentes se pro bonis communibus: credit enim per tales salutem consequi. Ideo dicitur 2. Rhetor. quod quia diligimus beneficos in salutem, id est eos qui possunt nobis benefacere nos saluando & liberando, ideo diligimus fortes & cordatos. Tertiò, vt Reges diligantur à populo, decet eos esse iustos, & æquales. Nam maxime prouocatur populus ad odium Regis, si viderit ipsum non obseruare iustitiam: Ideo dicitur 2. Rhet. quod iustos maxime diligimus. Viso quomodo Reges & Principes debeant se habere vt amentur à populo: videre restat, quomodo se habere debent vt timeantur ab eis. Potissime autem timentur potentes (vt patet in 2. Rhet.) propter punitiones, quas exercent in subditos. In punitione autem tria sunt consideranda videlicet punitionem ipsam, personam punitam, & modum puniendi. Quantum ergo ad punitionem, timentur Reges & Principes; si in eos qui vltra modum regnum & politiam perturbant, inexquisitas crudelitates exerceât. Ideo dicitur 2. Rhetor. quod homines timêt eos, de quibus sunt conscij fecisse aliquid dirum. Secundo timentur Reges & potentes non solum ratione punitionis diræ, sed etiam ratione personarum punitarum. Nam iustus pro iustitia nulli parcere debet. Ideo dicitur 7. Politicorum quod bene operans nulli parcit: quia nec pro patre, nec pro filio, nec pro aliquo alio dimittendum est operari iuste & bene. tunc itaque ratione personarum punitarum timêtur Reges & Principes, quando nec amicis, nec alijs parcunt, si viderint eos forefacere. Timet igitur tũc q̃libet ex populo forefacere, cogitãs se nõ posse punitionẽ effugere. Imo, vt vult Philos. 7 Polit. vt decet Reges magis timeantur, & vt virilius obseruẽt iustitiam, magis punire, & seuerius se gerere contra amicos, si cõtingat eos valde forefacere, quã contra alios. Tertio timentur Reges

Rhet. 2. cap. 4.

Rhet. 2. cap. 5.

&

& Principes ratione modi puniendi: quod fieri contingit, cum ad eorum iudices & præpositos latenter & caute se gerunt in punitionibus exequendis, & in iustitia faciēda: quod mali effugere non possunt, quin puniantur. Ideo dicitur 2. Rhet. quod latitiui magis timentur, quam manifesti. Viso quomodo Reges & Principes se habere debeant vt amentur, & quomodo vt timeantur: de leui patere potest quod licet vtrunque sit necessarium, amari tamen debent magis appetere quam timeri. Dicebatur enim supra quod principalis intentio Regis & cuiuscūque principantis esse debet, inducere alios ad virtutem. Omne ergo bonum per quod ciues sunt magis boni & virtuosi, debet esse magis intentum à legislatore. Cum ergo ciues & existentes in regno si bene agant, & obseruent leges, & mandata Regis ex amore honesti, & ex dilectione quam habent ad bonum commune & ad Regem, sint magis boni & virtuosi, quam si hoc facerent timore pœnæ, & ne punirentur; magis debent appetere. Reges & Principes amari à populis: & quod amore boni, populi bene agant, quā timeri ab eis, & quod timore pœnæ cauere sibi ab actibus malis. Vtrumque enim est necessariū, timeri, & amari. Nam non omnes sunt adeo boni & perfecti quod solo amore honesti & boni communis, & ex dilectione legislatoris, cuius est intendere commune bonum, quiescant male agere: oportuit ergo aliquos inducere ad bonum, & retrahere à malo timore pœnæ. Elegibilius tamen est amari, quam timeri, vt est per habita manifestum.

TER-

TERTIA PARS TERTII Libri de regimine Principum: in qua tractatur quomodo regenda ciuitas ſit aut regnum tempore belli.

Quid eſt militia, & ad quæ eſt inſtituta, & quot omnis bellica operatio ſub militia continetur.
Cap. I.

PERACTIS partibus duabus huius tertij libri, quia oſtenſum eſt quid ſenſerunt antiqui Philoſophi de regimine ciuitatis regni, & determinatum eſt qualiter ſit ciuitas atque regnum tempore pacis. Reliquum eſt tractare de tempore bellico, vt ſciant Reges & Principes qualiter committenda ſint bella. Nam vt plurimum bellorum induſtria, vt patet per Vegetium in De re militari, plus confert ad obtinendam victoriam, quam faciat multitudo vel fortitudo bellantium. Opus autem bellicum (vt patebit in ſequendo) continetur ſub militari: quare ſi de opere bellico tractare volumus, videndum eſt quid ſit militia, & ad quid ſit inſtituta. Sciendum igitur militiam eſſe quandam prudentiam, ſiue quandam ſpeciem prudentiæ. Poſſumus autem, quantum ad præſens ſpectat, diſtinguere quinque ſpecies prudentiæ: videlicet prudentiam ſingularem, œconomicam, regnatiuam, politicam ſiue ciuilem, & militarem. Dicitur enim aliquis habere ſingularem vel particularem

ticularem prudentiam, quando seipsum scit regere & gubernare: & hæc est minor prudentia, quam œconomica & regnatiua. nam minus est, scire regere seipsum, quam scire regere familiam, & ciuitatem, aut regnum. Secunda species prudentiæ dicitur esse œconomica. Nam prudens ex hoc aliquis dicitur, vt patet ex septimo Ethicorũ: quia scit bene consiliari, & bene dirigere ad bonum finẽ: vbi ergo reperitur alia & alia ratio boni, ibi reperitur alia & alia species prudentiæ: quare cum bonum domesticum, & bonum totius familiæ sit aliud bonum à bono alicuius singularis personæ, sicut bonum commune est aliud à bono aliquo singulari, œconomicam prudentiam, per quam quis scit regere domum & familiam, oportet esse aliam à prudentia, qua quis nouit seipsum regere. Tertia species prudentiæ dicitur esse regnatiua vel legum positiua. Nam sicut persona aliqua singularis est pars domus, ita domus est pars ciuitatis, & regni: & sicut bonum commune est aliud à bono alicuius singularis personæ, sic bonum ciuitatis & regni est aliud à bono domestico. Prudentia ergo regnatiua & legum positiua, idest prudentia quæ requiritur in Rege & principante, cuius est leges ferre, & regere regnum & ciuitatem, est alia à prudentia œconomica quæ requiritur in patrefamilias, cuius est gubernare domum: immo quanto bonum ciuitatis & regni excedit bonum domesticum, & bonum alicuius particularis personæ, tanto prudentia quæ requiritur in Rege oportet excedere prudentiam patrisfamilias, vel prudentiam alicuius particularis hominis. Propter quod bene dictum est quod ait Vegetius in primo libro de re militari, quod neque quemquam magis decet vel meliora scire, vel plura quam Principem, cuius doctrina omnibus prodesse potest. Inde est igitur quod in erudiendo Reges & Principes, hunc totalem librum diuisimus in tres libros. Quia in primo libro docuimus Regem esse prudentem prout Rex aut Princeps est quædã persona in se; & prout

habet

habet seipsum regere: In secundo vero docuimus ipsum vt est paterfamilias,& vt habet dispensare bona domestica. In tertio vero eruditur Rex aut Princeps vt est caput regni aut principatus, & vt habet ferre leges & gubernare ciues. Omnes autem tres prudentias decet habere Regem. videlicet particularem, œconomicam & regnatiuam. Quarta species prudentiæ dicitur esse politica siue ciuilis. Nam sicut in principante requiritur excellens prudentia qua sciat alios regere, sic in quolibet ciue requiritur prudentia aliqualis qua noscat adimplere leges & mandata principantis. Non enim sic obsequitur ciuis principanti aut Regi, sicut martellus fabro: quia in martello nulla est cognitio, sed solum agitatur à fabro, sed in ciue requiritur prudentia aliqua per quam habeat bonam opinionem de ijs quæ imperantur à Rege. Differt autem hæc prudentia à prudentia particulari, quam collocauimus in prima specie. Nam aliud est quod sciat se regere vt est aliquid in se, & aliud vt subiectus principanti. Nam & si quis solitariam vitam duceret, adhuc oporteret ipsum habere aliqualem prudentiam qua sciret se regere & gubernare: non tamen esset in ipso prudentia ciuilis, nec œconomica, nec regnatiua, quia non esset ciuitas nec pars ciuitatis. Quinta species prudentiæ dicitur esse militaris. Nam regimen regni,& ciuitatis, si sit rectum & ordinatum, assimilatur ijs quæ videmus in vno & eodem homine. Sicut ergo quilibet homo habet duas virtutes animæ. Vnam per quam sequitur bonum & fugit malum. Et aliam per quam aggreditur, & resistit prohibentibus. Sic quælibet ciuitas & regnum indiget duplici virtute, & duplici prudentia. videlicet legum positiua, & militari. vt per legum positiuam tota ciuitas & totum regnum prosequatur proficua, & fugiat nociua: per militarem vero & per operationem bellicam aggrediatur, & superet impedientia & prohibentia. Militaris ergo est

quædam

quædam ſpecies prudentiæ, per quam ſuperantur hoſtes & prohibentes bonum ciuile & commune. Ex hoc autē apparet ad quid ſit militia inſtituta. Nam ſicut leges (vt ſupra oſtendebatur) principaliter reſpiciunt commune bonum, ſic & militia principaliter inſtituta eſt ad defenſionem communis boni, vt ciuitatis, aut regni. Quare cū commune bonum directe videatur impediri per impugnationem hoſtium, ex conſequenti vero ex ſeditione ipſorum ciuium, & ex oppreſſione debilium perſonarum, dicere poſſumus quod ſicut ad fortem principaliter ſpectat bene ſe habere in opere bellico, ex conſequenti vero ſpectat ad ipſum bene ſe habere in alijs terribilibus ſic etiam ad milites principaliter ſpectat bene ſe habere in opere bellico, & per actiones bellicas opprimere impedimenta hoſtium: ex conſequenti vero ſpectat ad ipſos ſecundum iuſſionem regiam & ſecundum mandata principantis impedire omnes ſeditiones ciuium & omnes oppreſſiones eorum qui ſunt in regno, per quas turbari poteſt tranquillitas ciuium & commune bonum. Hanc autē prudentiam videlicet militarem, maxime decet habere Regem. Nam licet executio bellorum, & remouere impedimenta ipſius communis boni, ſpectet ad ipſos milites, & etiam ad eos quibus ipſe Rex aut Princeps voluerit committere talia: ſcire tamen quomodo committenda ſint bella, & qualiter caute remoueri poſſint impedientia commune bonum, maxime ſpectat ad principantem. Ex hoc ergo patere poteſt, quales ſint ad militiam admittendi. Nam militia videtur eſſe quædam prudentia operis bellici, ordinata ad commune bonum. videntur enim ſe habere milites in opere bellico, ſicut magiſtri & doctores in ſcientijs alijs. Quare ſicut nullus efficiendus eſt magiſter in alijs ſcientijs, niſi conſtet ipſum eſſe doctum in arte illa: ſic nullus aſſumendus eſt ad dignitatem militarem, niſi conſtet ipſum diligere bonum regni & commune, & niſi ſpes habeatur quod ſit bonus in opere bellico; &

co;&

co, & quod velit ſecundum iuſſionem principantis impedire ſeditiones ciuium, pugnare pro iuſtitia & pro iuribus, remouere quæcunque impedire poſſunt commune bonum. Ex hoc etiam patere poteſt omnem bellicam operationem contineri ſub militari. Nam licet bellare contingat homines pedites, vel etiam equeſtres non exiſtentes milites: debent tamen milites eſſe magiſtri bellorum, & ordinatores aliorum in bello: ideò ſub militari dicitur opera bellica contineri.

Quæ ſunt regiones illæ, in quibus ſunt meliores bellatores, & ex quibus artibus eligendi ſunt homines bellicoſi. Cap. II.

VIdetur (quantum ad præſens ſpectat) in opere bellico duo neceſſaria eſſe, ſtrenuitas bellandi, & prudentia erga bella. Quare ſi ſcire volumus in quibus regionibus meliores ſunt bellatores, oportet attendere circa prędicta duo. In partibus igitur nimis propinquis ſoli, non ſunt eligendi bellantes: quia in eis deficit ſtrenuitas & animoſitas circa bellum, vt ait Philoſophus 7. Polit. Ratio autem huius aſſignatur à Vegetio primo libro De re militari capitulo ſecundo, vbi dicitur. Nationes quæ vicinæ ſūt ſoli, nimio calore ſiccatæ: amplius quidem ſapiunt, ſed modicum abundant in ſanguine, & propterea non habent conſtantiam pugnandi neque fiduciam, quia naturaliter metuunt vulnera. Nam cum naturaliter habeant modicū ſanguinis, naturaliter timent ſanguinis amiſſionem, non ergo ſunt prompta ad bella, nec ad percuſſiones. Rurſus in partibus nimis ſeptentrionalibus, & nimis à ſole remotis, non ſunt eligendi bellantes: quia & ſi illis eſt ſanguinis copia, vt vulnera non metuant, tamen propter ſanguinis abundantiam & impetum, ſunt quaſi furibundi & imprudentes.

Polit. 7. cap. 7.

prudentes. Ideo non omnino ſunt vtiles operibus bellicis, quia conſilium & prudentia in dimicando non eſt modicum vtilis. Experimento enim videmus, & plane hoc vult Philoſophus 7. Politicorum quod gentes nimis propinquæ ſoli abundant ſagacitate & induſtria, ſed deficiunt impetu & animoſitate. Gentes vero à ſole remotæ è contrario, prudentia deficiunt, & animoſitate ſuperant. Quare ſi tam animoſitas quàm induſtria neceſſaria eſt in bellis, ex neutris partibus eligendi ſunt bellatores; ſed ex regione media, nec omnino à ſole remota, nec omnino ſoli propinqua eligendi ſunt bellantes, vt tam prudētia quam animoſitate participent. Aduertendum tamen circa talia, documenta accipienda eſſe vt in pluribus. Nā in omnibus partibus ſunt aliqui induſtres, & aliqui animoſi: vt plurimum tamen ſoli propinqui animoſitate deficiunt, remoti vero prudentia. Aduertendum etiam quod licet in bellis tam animoſitas, quam etiam prudentia ſit neceſſaria, magis tamen animoſitas eſt vtilis. Ideo & ſi gentes omnino propinquæ ſoli, & omnino remotæ non ſunt penitus vtiles actibus bellicis: magis tamen inter medias regiones eligendi ſunt ad opera bellica remotiores à ſole, quam propinquiores, vt magis animoſitate participent. Viſo ex quibus partibus meliores ſunt bellatores: videre reſtat, ex quibus partibus eligendi ſunt bellantes. Enumeranda ſunt igitur ea quæ requiruntur in hominibus bellicoſis, vt ſciamus quales homines ſunt eligendi ad bellum, & ex quibus artibus ſunt aſſumendi bellantes. Sciendum ergo quod cum bellantes debeant habere membra apta & aſſueta ad percutiendum, non debeant horrere ſanguinis effuſionem, debeant eſſe animoſi ad inuadendum, & etiam potentes ad tolerandum labores: dicere poſſumus quod Fabriferrarij, & carpentarij vtiles ſunt ad opera bellica: quia ex arte ſua habent brachia apta & aſſueta ad percutiendum. Sic etiam vtiles ſunt Macellarij: quia non horrent ſanguinis effuſionem, cū aſſueti

ſint

ſint ad occiſionem animalium,& ad effundendum ſanguinem Venatores etiam aprorum admittendi ſunt ad huiuſmodi opera: quia non ſine magna audacia contingit aliquos inuadere apros. Sunt ergo tales animoſi & ſtrenui ad bellandum. Imo forte non minus periculoſum eſt bellare cum apro, quam pugnare cum hoſte. Nam non timentes aprorum pericula, ſignum eſt eos non timere hoſtium bella. Rurſus venatores ceruorum non ſunt repudiandi ab actibus bellis: eo quod tales aſſueti ſunt ad labores nimios. Ex his ergo artibus propter ea quæ diximus eligendi ſunt bellatores. Barbitonſores autem & ſutores, ſi conſideretur ars propria, ad pugnam ſunt inutiles. Nam nunquam bene vibrant clauam, aut enſem qui debet habere manum leuem, & non eſt aſſuetus retinere in manibus niſi raſorium aut acum. Quæ enim proportio eſt acus ad lanceam, & raſorij ad clauam? Sic etiam Apothecarij, Aucupes, & Piſcatores non ſunt eligendi ad huiuſmodi opera: eo quod non habeant artem conformem operibus bellicoſis. Poteſt ergo contingere quod in qualibet arte ſint aliqui bellicoſi & audaces; aliqui vero timidi & puſillanimes. Sed quantum eſt ex genere artis, & prout ars ipſa reddit hominem aptum ad opus bellicum, aliqua genera artium diximus vtilia ad actiones bellicas, & aliqua inutilia.

In qua ætate assuescendi sunt iuuenes ad opera bellica, & ex quibus signis cognoscere possumus homines bellicosos. *Cap. III.*

Polit. 8. 2. par. 2 li. c. 17.

DIximus supra, Philosophum velle in 8. Polit. Iuuenes à quartodecimo anno vltra assuefaciendos esse ad labores fortes, vt ad labores militares & bellicosos. Quod concordat cũ Vegetio de re militari dicente, quod à tempore pubertatis assuescendi sunt iuuenes ad militares labores. Imò quia quæ a iuuentute inchoamus, nimis diligimus & delectamur in illis: si vult legislator ciues bellatores facere, & reddere ipsos aptos ad pugnandum, potius debet præuenire tempus quam prætermittere. Nam vt ait Vegetius, melius est vt iuuenis exercitatus causetur ætatem nondum aduenisse pugnandi gratia, quam doleat præterijsse. Est etiam specialis ratio, quare oporteat iuuenes ab ipsa iuuentute assuescere ad artem bellandi: quia non parua nec leuis ars esse videtur armorum industria. Nam siue equitem siue peditem oportet esse bellantem, quasi fortuito videtur peruenire ad palmam, si caret industria bellãdi. Tam enim in pedestri quàm etiã in equestri pugna, sunt multæ adhibendæ cautelæ. Fatuum est quidẽ non prius, sed tunc velle addiscere bellare, quando imminet necessitas pugnandi, vbi vita periculis mortis exponitur. Vt ergo bellatores habeant spatium addiscendi singula, quæ requiruntur ad bellum; ab ipsa pubertate assuescendi sunt ad opera bellica. Quare si legislator vt Rex aut Princeps debeat committere bellum, viros exercitatos & bellatores strenuos debet assumere. Viso in qua ætate assuescendi sunt qui debẽt effici bellatores ad actiones bellicas: videre restat, ex quibus signis cognosci habeant homines bellicosi. Sciendum igitur viros audaces & cor-

& cordatos vtiliores esse ad bellum, quam timidos. Rursus, homines fortes & duros corpore, quia potentiores sũt viribus, sunt magis eligendi ad opus bellicum. Amplius cũ videamus aliqua animalia bellicosa, aliqua vero timida: homines similiores animalibus bellicosis, vtiliores videntur esse ad bellum. Tribus igitur generibus signorũ cognoscere possumus bellicosos viros. Primo quidem per signa, secundum quæ arguitur animositas & audacia. Secundo vero per signa, secundum quæ ostenditur virilitas, & fortitudo corporis. Tertio autem per signa, secundum quæ conformamur animalibus bellicosis. Sunt autẽ signa, per quæ ostenditur animositas & strenuitas cordis, vigilãtia oculorũ, & erectio ceruicis. Ideo dicit Vegetius, quod adolescens Martio operi deputandus debet esse vigilantibus oculis, & erecta ceruice. Signa vero, per quæ ostenditur fortitudo corporis & vires membrorum, sunt durities carnis, & compactio neruorum, masculorum, & lacertorum. Nam secundũ Philos. 8. Polit. opus bellicosum, & industria mentis, omnino requirunt modum contrarium. Nam vt scribitur in 2. de Anima, molles carne aptos mente dicimus. Sed è contrario dicimus, duri carne habentes cõpactos neruos, & lacertos, sunt virosi & fortiores corpore, sunt aptiores ad pugnam. Signa vero conformantia nos animalibus bellicosis, sunt magnitudo extremitatũ, & latitudo pectoris. Videmus enim leones animalium fortissimos habere magna brachia, & latum pectus. Quando igitur in homine videmus, quod sit vigilans oculis, erectus ceruice, durus in carne, compactus in neruis & musculis, habens longa brachia, & latum pectus. debemus arguere ipsum esse bellicosum, & aptum ad pugnam. Tales ergo quærendi sunt bellatores, quia vt plurimum contingit eos esse aptos ad actiones bellicas.

2. de Animate. 94.

Quæ, & quot habere debet homines bellicosi, ut bene pugnent, & ut eos strenue bellare contingat. Cap. IV.

QVantum ad præsens spectat, enumerare possumus octo, quæ habere debent homines bellatores: secundum quæ (quantum ad præsens spectat) inuestigare poterimus quos aut quales bellatores debet Rex aut Princeps eligere. Primo enim oportet pugnatiuos homines posse sustinere magnitudinem ponderis. Secundo posse sufferre quasi assiduos membrorum motus, & labores magnos. Tertio posse tolerare parcitatem victus. Quarto non curare de incommoditate iacendi & standi. Quinto quasi non appretiare corporalem vitam. Sexto non horrere sanguinis effusionem. Septimo habere aptitudinem, & industriam ad protegendum se & feriendum alios. Octauo verecundari & erubescere eligere turpem fugam. Est enim primo necessarium bellantibus posse sustinere ponderis magnitudinem. Nam inermes à quacunq; parte feriantur, succumbunt: quare nisi quis posset sustinere armorum pondera, inutilis est ad bellum. Secundo bellantibus expedit posse sufferre quasi assiduos membrorum motus. Nam si quis in bello non continue se ducat, aduersarius non fallitur in percutiendo, quare semper exponitur ad sustinendum fortiores ictus: expertum est enim quod homine continue se ducente & mouente, vix aut nunquam ad plenum aliqua percussio potest ipsum attingere, sed semper vulnera subterfugit. Nam sicut si signum se moueret & non staret fixum, non sic de facili percuteretur ab arcu, sic homo se circumuoluens, non sic de facili vulneratur ab hoste. Continuus ergo membrorum motus est necessarius ad vitandum plagas. Sic etiam est necessarius ad incutiendum eas: propter quod tales debent esse

homi-

hominespugnatiui, vt diu tolerare possint assiduum membrorum motum. Tertio homines pugnatiuos decet non curare de parcitate victus. Nam graue est, vltra armorum pondera & eorum quæ requiruntur ad defensionem exercitus, deferre in abundantia victualium copiam: immo & si adesset pugnantibus ciborum vbertas, adhuc esset eis necessaria abstinentia, & non grauari ex nimio cibo, vt laborem pugnandi melius tolerare possent. Quarto decet eos non curare de incommoditate iacendi & standi. Nam expedit aliquando pugnantibus die noctuq; esse in armis: propter quod nec in stando, nec in iacendo est eis commodum aut requies. Quinto decet ipsos propter iustitiam & commune bonum quasi non appretiari corporalem vitam. Nam cum tota operatio bellica exposita sit periculis mortis, nunquam quis est fortis animo & bonus bellator, nisi aliquo modo sit impauidus circa pericula mortis. Spectat enim ad fortem & ad bonum bellatorem, vt innuit Philosophus. 3. Ethic. non curare in bello bene mori. Tunc enim quis dicitur bene mori in bello, quando iuste bellans, vt pro defensione patriæ, vel aliquo alio magno bono, iuste & audacter exponit se mortis periculis. Cum autem quis, vltra quam debeat, diligit corporalem vitam, de facili eligit turpem fugam. Sexto pugnantes non debent horrere sanguinis effusionem. Nam si quis cor molle habens, muliebris existens, horreat effundere sanguinem; non audebit hostibus plagas infligere, & per consequens bene bellare non potest. Septimo decet eos habere aptitudinem, & industriam ad protegendum se, & ad feriendum alios. Nã, vt dicitur Ethic. primo, Finis militaris, est victoria. Sed cum omnis bellica operatio contineatur sub militari, vt supra ostendebatur, & vt habetur à Philosoph. circa principium Ethic. omnis actionis bellicæ dicetur victoria esse finis. Quare cũ maxime contingat belantes vincere, si bene sciant se protegere & alios ferire; industria protegendi, & feriendi valde est expediens bellatoribus. Qualiter

Eth. 3. cap. 6.

& Principes ratione modi puniendi: quod fieri contingit, cum ad eorum iudices & præpositos latenter & caute se gerunt in punitionibus exequendis, & in iustitia faciēda: quod mali effugere non possunt, quin puniantur. Ideo dicitur 2. Rhet. quod latitiui magis timentur, quam manifesti. Viso quomodo Reges & Principes se habere debeant vt amentur, & quomodo vt timeantur: de leui patere potest quod licet vtrunque sit necessarium, amari tamen debent magis appetere quam timeri. Dicebatur enim supra quod principalis intentio Regis & cuiuscũque principantis esse debet, inducere alios ad virtutem. Omne ergo bonum per quod ciues sunt magis boni & virtuosi, debet esse magis intentum à legislatore. Cum ergo ciues & existentes in regno si bene agant, & obseruent leges, & mandata Regis ex amore honesti, & ex dilectione quam habent ad bonum commune & ad Regem, sint magis boni & virtuosi, quam si hoc facerent timore pœnæ, & ne punirentur; magis debent appetere. Reges & Principes amari à populis: & quod amore boni, populi bene agant, quã timeri ab eis, & quod timore pœnæ cauere sibi ab actibus malis. Vtrumque enim est necessariũ, timeri, & amari. Nam non omnes sunt adeo boni & perfecti quod solo amore honesti & boni communis, & ex dilectione legislatoris, cuius est intendere commune bonum, quiescant male agere: oportuit ergo aliquos inducere ad bonum, & retrahere à malo timore pœnæ. Elegibilius tamen est amari, quam timeri, vt est per habita manifestum.

TER-

TERTIA PARS TERTII Libri de regimine Principum: in qua tractatur quomodo regenda ciuitas sit aut regnum tempore belli.

Quid est militia, & ad quæ est instituta, & quot omnis bellica operatio sub militia continetur. *Cap. I.*

PERACTIS partibus duabus huius tertij libri, quia ostensum est quid senserunt antiqui Philosophi de regimine ciuitatis regni, & determinatum est qualiter sit ciuitas atque regnum tempore pacis. Reliquum est tractare de tempore bellico, vt sciant Reges & Principes qualiter committenda sint bella. Nam vt plurimum bellorum industria, vt patet per Vegetium in De re militari, plus confert ad obtinendam victoriam, quam faciat multitudo vel fortitudo bellantium. Opus autem bellicum (vt patebit in sequendo) continetur sub militari: quare si de opere bellico tractare volumus, videndum est quid sit militia, & ad quid sit instituta. Sciendum igitur militiam esse quandam prudentiam, siue quandam speciem prudentiæ. Possumus autem, quantum ad præsens spectat, distinguere quinque species prudentiæ: videlicet prudentiam singularem, œconomicam, regnatiuam, politicam siue ciuilem, & militarem. Dicitur enim aliquis habere singularem vel particularem

ticularem prudentiam, quando seipsum scit regere & gubernare: & hæc est minor prudentia, quam œconomica, & regnatiua, nam minus est, scire regere seipsum, quam scire regere familiam, & ciuitatem, aut regnum. Secunda species prudentiæ dicitur esse œconomica. Nam prudens ex hoc aliquis dicitur, vt patet ex septimo Ethicorũ: quia scit bene consiliari, & bene dirigere ad bonum finẽ: vbi ergo reperitur alia & alia ratio boni, ibi reperitur alia & alia species prudentiæ: quare cum bonum domesticum, & bonum totius familiæ sit aliud bonum à bono alicuius singularis personæ, sicut bonum commune est aliud à bono aliquo singulari, œconomicam prudentiam, per quam quis scit regere domum & familiam, oportet esse aliam à prudentia, qua quis nouit seipsum regere. Tertia species prudentiæ dicitur esse regnatiua vel legum positiua. Nam sicut persona aliqua singularis est pars domus, ita domus est pars ciuitatis, & regni: & sicut bonum commune est aliud à bono alicuius singularis personæ, sic bonum ciuitatis & regni est aliud à bono domestico. Prudentia ergo regnatiua & legum positiua, idest prudentia quæ requiritur in Rege & principante, cuius est leges ferre, & regere regnum & ciuitatem, est alia à prudentia œconomica quæ requiritur in patrefamilias, cuius est gubernare domum: immo quanto bonum ciuitatis & regni excedit bonum domesticum, & bonum alicuius particularis personæ, tanto prudentia quæ requiritur in Rege oportet excedere prudentiam patrisfamilias, vel prudentiam alicuius particularis hominis. Propter quod bene dictum est quod ait Vegetius in primo libro de re militari, quod neque quemquam magis decet vel meliora scire, vel plura quam Principem, cuius doctrina omnibus prodesse potest. Inde est igitur quod in erudiendo Reges & Principes, hunc totalem librum diuisimus in tres libros. Quia in primo libro docuimus Regem esse prudentem prout Rex aut Princeps est quædã persona in se; & prout habet

habet seipsum regere: In secundo vero docuimus ipsum vt est paterfamilias, & vt habet dispensare bona domestica. In tertio vero eruditur Rex aut Princeps vt est caput regni aut principatus, & vt habet ferre leges & gubernare ciues. Omnes autem tres prudentias decet habere Regem. videlicet particularem, œconomicam & regnatiuam. Quarta species prudentiæ dicitur esse politica siue ciuilis. Nam sicut in principante requiritur excellens prudentia qua sciat alios regere, sic in quolibet ciue requiritur prudentia aliqualis, qua noscat adimplere leges & mandata principantis. Non enim sic obsequitur ciuis principanti aut Regi, sicut martellus fabro: quia in martello nulla est cognitio, sed solum agitatur à fabro, sed in ciue requiritur prudentia aliqua per quam habeat bonam opinionem de ijs quæ imperantur à Rege. Differt autem hæc prudentia à prudentia particulari, quam collocauimus in prima specie. Nam aliud est quod sciat se regere vt est aliquid in se, & aliud vt subiectus principanti. Nam & si quis solitariam vitam duceret, adhuc oporteret ipsum habere aliqualem prudentiam qua sciret se regere & gubernare: non tamen esset in ipso prudentia ciuilis, nec œconomica, nec regnatiua, quia non esset ciuitas nec pars ciuitatis. Quinta species prudentiæ dicitur esse militaris. Nam regimen regni, & ciuitatis, si sit rectum & ordinatum, assimilatur ijs quæ videmus in vno & eodem homine. Sicut ergo quilibet homo habet duas virtutes animæ. Vnam per quam sequitur bonum & fugit malum. Et aliam per quam aggreditur, & resistit prohibentibus. Sic qualibet ciuitas & regnum indiget duplici virtute, & duplici prudentia. videlicet legum positiua, & militari. vt per legum positiuam tota ciuitas & totum regnum prosequatur proficua, & fugiat nociua: per militarem vero & per operationem bellicam aggrediatur, & superet impedientia & prohibentia. Militaris ergo est

quædam

quædam ſpecies prudentiæ, per quam ſuperantur hoſtes & prohibentes bonum ciuile & commune. Ex hoc autẽ apparet ad quid ſit militia inſtituta. Nam ſicut leges (vt ſupra oſtendebatur) principaliter reſpiciunt commune bonum, ſic & militia principaliter inſtituta eſt ad defenſionem communis boni, vt ciuitatis, aut regni. Quare cũ commune bonum directe videatur impediri per impugnationem hoſtium, ex conſequenti vero ex ſeditione ipſorum ciuium, & ex oppreſſione debilium perſonarum, dicere poſſumus quod ſicut ad fortem principaliter ſpectat bene ſe habere in opere bellico, ex conſequenti vero ſpectat ad ipſum bene ſe habere in alijs terribilibus ſic etiam ad milites principaliter ſpectat bene ſe habere in opere bellico, & per actiones bellicas opprimere impedimenta hoſtium: ex conſequenti vero ſpectat ad ipſos ſecundum iuſſionem regiam & ſecundum mandata principantis impedire omnes ſeditiones ciuium & omnes oppreſſiones eorum qui ſunt in regno, per quas turbari poteſt tranquillitas ciuium & commune bonum. Hanc autẽ prudentiam videlicet militarem, maxime decet habere Regem. Nam licet executio bellorum, & remouere impedimenta ipſius communis boni, ſpectet ad ipſos milites, & etiam ad eos quibus ipſe Rex aut Princeps voluerit committere talia: ſcire tamen quomodo committenda ſint bella, & qualiter caute remoueri poſſint impedimẽtia commune bonum, maxime ſpectat ad principantem. Ex hac ergo patere poteſt, quales ſint ad militiam admittendi. Nam militia videtur eſſe quædam prudentia operis bellici, ordinata ad commune bonum. videntur enim ſe habere milites in opere bellico, ſicut magiſtri & doctores in ſcientijs alijs. Quare ſicut nullus efficiendus eſt magiſter in alijs ſcientijs, niſi conſtet ipſum eſſe doctum in arte illa: ſic nullus aſſumendus eſt ad dignitatem militarem, niſi conſtet ipſum diligere bonum regni & commune, & niſi ſpes habeatur quod ſit bonus in opere belli-

co; &

co, & quod velit ſecundum iuſſionem principantis impedire ſeditiones ciuium, pugnare pro iuſtitia & pro iuribus, remouere quæcunque impedire poſſunt commune bonum. Ex hoc etiam patere poteſt omnem bellicam operationem contineri ſub militari. Nam licet bellare contingat homines pedites, vel etiam equeſtres non exiſtentes milites: debent tamen milites eſſe magiſtri bellorum, & ordinatores aliorum in bello: ideo ſub militari dicitur opera bellica contineri.

Quæ ſunt regiones illæ, in quibus ſunt meliores bellatores, & ex quibus artibus eligendi ſunt homines bellicoſi. Cap. II.

VIdetur (quantum ad præſens ſpectat) in opere bellico duo neceſſaria eſſe, ſtrenuitas bellandi, & prudentia erga bella. Quare ſi ſcire volumus in quibus regionibus meliores ſunt bellatores, oportet attendere circa prędicta duo. In partibus igitur nimis propinquis ſoli, non ſunt eligendi bellantes: quia in eis deficit ſtrenuitas & animoſitas circa bellum, vt ait Philoſophus 7. Polit. Ratio autem huius aſſignatur à Vegetio primo libro De re militari capitulo ſecundo, vbi dicitur. Nationes quæ vicinæ ſũt ſoli, nimio calore ſiccatæ: amplius quidem ſapiunt, ſed modicum abundant in ſanguine, & propterea non habent conſtantiam pugnandi neque fiduciam, quia naturaliter metuunt vulnera. Nam cum naturaliter habeant modicũ ſanguinis, naturaliter timent ſanguinis amiſſionem, non ergo ſunt prompta ad bella, nec ad percuſſiones. Rurſus in partibus nimis ſeptentrionalibus, & nimis à ſole remotis, non ſunt eligendi bellantes: quia & ſi illis eſt ſanguinis copia, vt vulnera non metuant, tamen propter ſanguinis abundantiam & impetum, ſunt quaſi furibundi & imprudentes.

Polit.7. cap.7.

prudentes. Ideo non omnino sunt vtiles operibus bellicis, quia consilium & prudentia in dimicando non est modicum vtilis. Experimento enim videmus, & plane hoc vult Philosophus 7. Politicorum quod gentes nimis propinquæ soli abundant sagacitate & industria, sed deficiunt impetu & animositate. Gentes vero à sole remotæ è contrario, prudentia deficiunt, & animositate superant. Quare si tam animositas quàm industria necessaria est in bellis, ex neutris partibus eligendi sunt bellatores; sed ex regione media, nec omnino à sole remota, nec omnino soli propinqua eligendi sunt bellantes, vt tam prudẽtia quam animositate participent. Aduertendum tamen circa talia, documenta accipienda esse vt in pluribus. Nã in omnibus partibus sunt aliqui industres, & aliqui animosi: vt plurimum tamen soli propinqui animositate deficiunt, remoti vero prudentia. Aduertendum etiam quod licet in bellis tam animositas, quam etiam prudentia sit necessaria, magis tamen animositas est vtilis. Ideo & si gentes omnino propinquæ soli, & omnino remotæ non sunt penitus vtiles actibus bellicis: magis tamen inter medias regiones eligendi sunt ad opera bellica remotiores à sole, quam propinquiores, vt magis animositate participent. Viso ex quibus partibus meliores sunt bellatores: videre restat, ex quibus partibus eligendi sunt bellantes. Enumeranda sunt igitur ea quæ requiruntur in hominibus bellicosis, vt sciamus quales homines sunt eligendi ad bellum, & ex quibus artibus sunt assumendi bellantes. Sciendum ergo quod cum bellantes debeant habere membra apta & assueta ad percutiendum, non debeant horrere sanguinis effusionem, debeant esse animosi ad inuadendum, & etiam potentes ad tolerandum labores: dicere possumus quod Fabriferrarij, & carpentarij vtiles sunt ad opera bellica: quia ex arte sua habent brachia apta & assueta ad percutiendum. Sic etiam vtiles sunt Macellarij: quia non horrent sanguinis effusionem, cũ assueti

sint

ſint ad occiſionem animalium,& ad effundendum ſanguinem Venatores etiam aprorum admittendi ſunt ad huiuſmodi opera: quia non ſine magna audacia contingit aliquos inuadere apros. Sunt ergo tales animoſi & ſtrenui ad bellandum. Imo forte non minus periculoſum eſt bellare cum apro,quam pugnare cum hoſte. Nam non timentes aprorum pericula, ſignum eſt eos non timere hoſtium bella. Rurſus venatores ceruorum non ſunt repudiandi ab actibus bellis: eo quod tales aſſueti ſunt ad labores nimios. Ex his ergo artibus propter ea quæ diximus eligendi ſunt bellatores. Barbitonſores autem & ſutores, ſi conſideretur ars propria,ad pugnam ſunt inutiles. Nam nunquam bene vibrant clauam, aut enſem qui debet habere manum leuem, & non eſt aſſuetus retinere in manibus niſi raſorium aut acum. Quæ enim proportio eſt acus ad lanceam,& raſorij ad clauam? Sic etiam Apothecarij, Aucupes, & Piſcatores non ſunt eligendi ad huiuſmodi opera: eo quod non habeant artem conformem operibus bellicoſis. Poteſt ergo contingere quod in qualibet arte ſint aliqui bellicoſi & audaces; aliqui vero timidi & puſillanimes. Sed quantum eſt ex genere artis, & prout ars ipſa reddit hominem aptum ad opus bellicum, aliqua genera artium diximus vtilia ad actiones bellicas, & aliqua inutilia.

In qua ætate assuescendi sunt iuuenes ad opera bellica, & ex quibus signis cognoscere possumus homines bellicosos. *Cap. III.*

Polit. 8. 2. par. 2 li. c. 17.

DIximus supra, Philosophum velle in 8. Polit. Iuuenes à quartodecimo anno vltra assuefaciendos esse ad labores fortes, vt ad labores militares & bellicosos. Quod concordat cũ Vegetio de re militari dicente, quod à tempore pubertatis assuescendi sunt iuuenes ad militares labores. Imò quia quæ a iuuentute inchoamus, nimis diligimus & delectamur in illis: si vult legislator ciues bellatores facere, & reddere ipsos aptos ad pugnandum, potius debet præuenire tempus quam prætermittere. Nam vt ait Vegetius, melius est vt iuuenis exercitatus causetur ætatem nondum aduenisse pugnandi gratia, quam doleat præterijsse. Est etiam specialis ratio, quare oporteat iuuenes ab ipsa iuuentute assuescere ad artem bellandi: quia non parua nec leuis ars esse videtur armorum industria. Nam siue equitem siue peditem oportet esse bellantem, quasi fortuito videtur peruenire ad palmam, si caret industria bellãdi. Tam enim in pedestri quàm etiã in equestri pugna, sunt multæ adhibendæ cautelæ. Fatuum est quidẽ non prius, sed tunc velle addiscere bellare, quando imminet necessitas pugnandi, vbi vita periculis mortis exponitur. Vt ergo bellatores habeant spatium addiscendi singula, quæ requiruntur ad bellum; ab ipsa pubertate assuescendi sunt ad opera bellica. Quare si legislator vt Rex aut Princeps debeat committere bellum, viros exercitatos & bellatores strenuos debet assumere. Viso in qua ætate assuescendi sunt qui debẽt effici bellatores ad actiones bellicas: videre restat, ex quibus signis cognosci habeant homines bellicosi. Sciendum igitur viros audaces

& cor-

& cordatos vtiliores esse ad bellum, quam timidos. Rursus, homines fortes & duros corpore, quia potentiores sũt viribus, sunt magis eligendi ad opus bellicum. Amplius cũ videamus aliqua animalia bellicosa, aliqua vero timida: homines similiores animalibus bellicosis, vtiliores videntur esse ad bellum. Tribus igitur generibus signorũ cognoscere possumus bellicosos viros. Primo quidem per signa, secundum quæ arguitur animositas & audacia. Secundo vero per signa, secundum quæ ostenditur virilitas, & fortitudo corporis. Tertio autem per signa, secundum quæ conformamur animalibus bellicosis. Sunt autẽ signa, per quæ ostenditur animositas & strenuitas cordis, vigilãtia oculorũ, & erectio ceruicis. Ideo dicit Vegetius, quod adolescens Martio operi deputandus debet esse vigilantibus oculis, & erecta ceruice. Signa vero, per quæ ostenditur fortitudo corporis & vires membrorum, sunt durities carnis, & compactio neruorum, masculorum, & lacertorum. Nam secundũ Philos. 8. Polit. opus bellicosum, & industria mentis, omnino requirunt modum contrarium. Nam vt scribitur in 2. de Anima, molles carne aptos mente dicimus. Sed è contrario dicimus, duri carne habentes cõpactos neruos, & lacertos, sunt virosi & fortiores corpore, sunt aptiores ad pugnam. Signa vero conformantia nos animalibus bellicosis, sunt magnitudo extremitatũ, & latitudo pectoris. Videmus enim leones animalium fortissimos habere magna brachia, & latum pectus. Quando igitur in homine videmus, quod sit vigilans oculis, erectus ceruice, durus in carne, compactus in neruis & musculis, habens longa brachia, & latum pectus. debemus arguere ipsum esse bellicosum, & aptum ad pugnam. Tales ergo quærendi sunt bellatores, quia vt plurimum contingit eos esse aptos ad actiones bellicas.

2. de Animate. 94.

hominès pugnatiui, vt diu tolerare possint assiduum membrorum motum. Tertio homines pugnatiuos decet non curare de parcitate victus. Nam graue est, vltra armorum pondera & eorum quæ requiruntur ad defensionem exercitus, deferre in abundantia victualium copiam: immo & si adesset pugnantibus ciborum vbertas, adhuc esset eis necessaria abstinentia, & non grauari ex nimio cibo, vt laborem pugnandi melius tolerare possent. Quarto decet eos non curare de incommoditate iacendi & standi. Nam expedit aliquando pugnantibus die noctuq; esse in armis: propter quod nec in stando, nec in iacendo est eis commodum aut requies. Quinto decet ipsos propter iustitiam & commune bonum quasi non appretiari corporalem vitam. Nam cum tota operatio bellica exposita sit periculis mortis, nunquam quis est fortis animo & bonus bellator, nisi aliquo modo sit impauidus circa pericula mortis. Spectat enim ad fortem & ad bonum bellatorem, vt innuit Philosophus. 3. Ethic. non curare in bello bene mori. Tunc enim quis dicitur bene mori in bello, quando iuste bellans, vt pro defensione patriæ, vel aliquo alio magno bono, iuste & audacter exponit se mortis periculis. Cum autem quis, vltra quam debeat, diligit corporalem vitam, de facili eligit turpem fugam. Sexto pugnantes non debent horrere sanguinis effusionem. Nam si quis cor molle habens, muliebris existens, horreat effundere sanguinem; non audebit hostibus plagas infligere, & per consequens bene bellare non potest. Septimo decet eos habere aptitudinem, & industriam ad protegendum se, & ad feriendum alios. Nã, vt dicitur Ethic. primo, Finis militaris, est victoria. Sed cum omnis bellica operatio contineatur sub militari, vt supra ostendebatur, & vt habetur à Philosoph. circa principium Ethic. omnis actionis bellicæ dicetur victoria esse finis. Quare cũ maxime contingat belantes vincere, si bene sciant se protegere & alios ferire; industria protegendi, & feriendi valde est expediens bellatoribus. Qualiter

Eth. 3. cap. 6.

nem, & cetera alia quæ tetigimus in capitulo præcedenti. Constat autem ruralem populum habere maxime prædicta. Sunt enim rustici assueti ad magnitudinem ponderũ non enim in bellis grauabit eos armorum sarcina, qui assidue tempore pacis assueti sunt ad maiora pondera. Nec etiam eos fatigabit cursus vel ductio brachiorum, vel aliorum membrorum motus, qui ad hos & ad maiores sunt continue assueti. Rursus, eos non affliget parcitas victus, quibus potus aquæ satisfaciebat in siti, & grossus panis sufficiebat ad esum. Amplius, rurales non affliguntur ex incommoditate iacendi vel standi, qui solis ardorem non timent, vmbras non curant, balneorũ solatia nesciũt, in solida terra iacentes suauius dormiunt, quam vrbani & nobiles requiescant in fulcris. Hos etiam probabile est nõ multum timere mortem. Nam tanto quis magis mortẽ timere videtur, quanto magis delicate vixit, & quanto plurimũ solatiorum est expertus in vita. Hi etiam non videntur horrere effusionem sanguinis. Nam inter ceteras gentes ruralium gens videtur esse crudelius: Ad hæc igitur intendentibus videtur censendum esse meliores bellatores esse rurales. Sunt autem alia, per quæ videtur ostendi, vrbanos & nobiles meliores esse pugnantes. Nam inter cetera, per quæ quis redditur bonus pugnatiuus, est (vt dicebatur) velle honorari ex pugna, & erubescere turpẽ fugam. Hoc est enim (vt ait Philosophus 3. Ethic.) quod Hectorem fecit audacem. Dicebat enim Hector, Si ex pugna fugiam, Polydamas mihi redargutiones ponet. Sic etiam & Diomedes hoc modo effectus fuit strenuus. quia dicebat, Si in bello terga vertam, Hector cum concionabitur inter Troianos, dicet, A me deuictus est Diomedes. Quare cum velle honorari & erubescere de aliquo turpi facto, magis conueniat nobilibus quam rusticis, ij meliores esse videntur ad pugnam, eo quod verecundẽtur fugere. Rursus, in bello multum valet industria & prudentia. Nam sagacitas & versutia aliquando plus faciunt ad

obtinendam victoriam, quam corporis fortitudo. Quare cum communiter nobiles homines industriores sint rusticis, sequitur hos meliores esse pugnantes. Videntur enim hæc duo maxima esse ad obtinendam victoriam. videlicet erubescentia fugiendi, & sagacitas bellandi. Vt ergo sciatur quid sit de quæsito tenendum, oportet aduertere, quòd secundum diuersitatem pugnarum diuersi eligendi sunt bellatores. Potest enim esse pugna pedestris, & equestris. In pedestri itaque certamine magis eligendi sunt rurales, quàm nobiles: eo quòd illis maxime valet assuefactio ad portationem ponderum, & tolerantiam laborum. In equestri vero magis eligendi sunt ipsi nobiles: eo quòd equorum ipsorum fortitudo supplet defectum, quem patiuntur nobiles in non posse tantos sustinere labores, quantos consueuerunt sustinere rurales. In huiusmodi enim pugna nimium valet bellandi sagacitas sociata erubescentiæ fugiendi. Sciendum tamen quòd vt nobiles ex omni parte efficiantur strenui bellatores, assuefaciendi sunt ad portandum armorum pondera, & ad sustinendum laborem: & motum brachiorum, & aliorum membrorum corporis vt requirit operatio bellica.

Quæ autem, & quot sunt illa, ad quæ debeant exercitari bellantes; in sequenti capitulo ostendetur.

Quòd

Quod in opere bellico nimium valet exercitatio armorum, & quod ad incedendum gradatim, & passim, & ad cursum, & saltum exercitandi sunt bellatores. Cap. VI.

RECitat Vegetius in libro De re militari, exercitationem armorum,& industriam bellandi fuisse ea,quæ terrarum orbem Romano Populo subiecerunt. Nam qnid potuisset paucitas Romanorum aduersus multitudinem Hispanorum, contra dolos Afrorum, & prudentias Græcorum, nisi plus illis fuissent exercitati in armis, & magis habuissent bellandi industriam. Non est enim inconueniens virum prudentem & sagacem in vno, propter particularium inexperientiam esse imprudentem in aliquo. Vnde multotiens contingit, quòd prudentes in rebus alijs propter inexercitium armorum non sunt industres in bellis. Exercitium enim in quolibet negocio præbet audaciam,vt non metuat illud facere. Nam quia secundum Vegetium. Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit. Inde est quod tantum valet armorum exercitatio, quod in bellorum certamine paucitas exercitata plus valet (si sit prompta) ad victoriam: & multitudo rudis, & indocta semper fit exposita ad fugam & ad cædem. Viso armorum exercitium esse perutile ad opera bellica, restat ostendere quomodo exercitandi sunt bellanres ad incedendum gradatim, & passim, & ad cursum & ad saltum. Nam ista (vt in prosequendo patebit) necessaria sunt in bellis: & inexercitatio circa ipsa bellantibus est nociua. Primo enim milites & ipsi pedites, & vniuersaliter bellantes assuescendi sunt ad gradum & passum bellicum, vt gradatim pergãt ita, vt quilibet se in suo ordine teneat. Nam si acies siue

pedi-

peditum siue militum non ordinate incedat, duo mala inde consequuntur. Nam non seruato debito ordine, in vna parte erit acies quasi sparsa & peruia, vltra quam debeat. In alia vero arcta & stricta, plus quam oporteat. Primo ergo ex eo quòd in aliqua parte peruia est, citius ab hoste perforabitur, & per consequens debellabitur. Secundo in parte illa in qua nimis arctum est, impedietur ad percutiendum. Nam cum bellator à suo consocio nimis comprimitur, sua impediuntur brachia, ne possit hostibus plagas infligere. Hæc enim duo in acie sunt necessaria: vt scilicet non possit de facili perforari ab hostibus, & non impediatur ad percutiendum. Quod, nisi seruato debito gradu, & debito ordine in incessu, fieri non potest. Tã ergo pedites quam equites bellatores antequam bella exerceant sunt multotiens simul congregandi, & exercitandi, vt onerati armis ordinate incedant, ac si deberent pugnam committere. Et cum viderit magister bellorum aliquem non tenere ordinem debitum in acie, ipsum increpet & corrigat: vel si nimis delinquat, ipsum omnino repellat ab acie tanquam inutilem bellatorem. Secundo exercitandi sunt bellatores tam pedites quàm equites ad cursum, vt sint habiles in præcurrendo. Videtur enim hoc valere ad tria. Primo ad explorandum inimicorum facta. Nam bonum est in exercitu aliquos exiliores præcurrere, qui de facili non possint ab ipsis hostibus comprehendi, explorantes conditiones & facta hostium. Secundo hoc est vtile ad obtinendum meliorem locum. Nam & locus multum facit ad pugnam. Ideo si bellatores exercitati sunt ad cursum, facilius obtinebunt aptiorem locum ad pugnandum. Est etiam hoc vtile ad prosequendum hostes fugientes. Nam non de facili quis potest euadere manus agilium & præcurrentium. Tertio exercitandi sunt bellatores ad saltum, vt sciant saltim, vel per saltum incedere. Quod etiam ad tria est vtile. Primo ad remouendum impedimenta.

menta. Secundo ad terrendum aduersarios. Tertio ad infligendum maiores plagas. Contingit enim aliquando inuenire fossas & alia impedimenta in via, quæ sine saltu in via transire non possunt. quare vtile est ad remouenda impedimenta, vt equites sic sint docti, vt sciant equum sic pungere, vt per saltum foueas & alia impedimenta pertranseant: & pedites, & etiam milites, si contingat eos pedestres esse, si volunt boni bellatores existere, sic ab ipsa iuuentute exercitandi sunt ad saliendum, vt possint per saltum foueas, & alia impedimenta transire. Terrentur etiam ex hoc aduersarij, quando sic vident hostes per saltum incedere. Rursus, ipse saltus ratione motus facit vt plaga amplior infligatur.

Quod non sufficit ad incedendum serio & gradatim, & ad cursum & saltum exercitare bellantes, sed sunt plura alia ad quæ exercitandi sunt homines bellicosi. Cap. VII.

POssumus autem præter tria prædicta, ad quæ exercitandos diximus bellantes, enumerare octo alia, ad quæ exercitari debent homines bellicosi. Primo enim exercitandi sunt ad portandum pondera. Secundo ad inuadendum & percutiendum cum claua. Tertio ad emittendum tela siue iacula, & ad percutiendum cum lancea. Quarto ad iaciendum sagittas. Quinto ad proijciendum lapides cum fundis. Sexto ad percutiendum cum plumbatis. Septimo ad ascendendum equos. Octauo ad sciendum artem natandi. Esset etiam vlterius dicendum, quomodo exercitandi sunt bellatores ad percutiendum cum gladijs & ensibus. Sed de hoc speciale capitulum faciemus. Primo enim sunt bellatores exercitandi ad portandum pondera, vt plus ponderis portare assuescant etiam

quam

quam ſit armorum ſarcina. Nam conſuetudo eſt quaſi natura quædam. Cum ergo quis aſſuetus ad portandum maius pondus, videtur ſibi quaſi quòd leuis incedat, ſi oneretur quodam minori pondere. Rurſus, non ſolum arma, ſed etiam plura alia ſunt ferenda in bello: ideo etiam ad maiora pondera non eſt inutile aſſueſcere bellatores. Secundo exercitandi ſunt bellantes ad inuadendum & percutiendum cum claua. Recitat enim Vegetius, quod antiquitus apud Romanos in campo aliquo multi pali infigebantur, & iuuenes quos volebant facere optimos bellatores exercitabant ad palos illos ita, vt quilibet haberet ſcutum dupli ponderis quam ſit ſcutum, quod portatur in bello, & clauam ligneam etiam dupli ponderis: & quilibet illorum iuuenum ſic oneratus contra aliquem illorum palorum quaſi contra aduerſarium incedebat, & nunc percutiebat palum in ſummitate, nunc in imo, nunc medio, & contra palum illum ſic impetuoſe ſe gerebat percutiendo ipſum, & alia faciendo quæ requiruntur ad bellum, ac ſi contra hoſtem dimicaret: & cum diu mane & ſero iuuenes ſic exercitati eſſent, cum poſtea veniebant ad bellum, non grauabantur in percutiendo cum claua, vel in ſuſtinendo quoſcunq; labores bellicos. Tertio exercitandi ſunt bellatores ad mittendum tela & iacula, & ad percutiendum cum lancea: quod etiam ad defixum palũ fieri habet. Fiebat enim antiquitus, vt cum iuuenes exercitati erant ad percutiendum palos infixos cum claua, quòd exercitabantur ad percutiendum cum telo vel cum iaculo, ſiue cum lancea. Stabant enim à remotis & aſſuefaciebant brachia, vt poſſent palum percutere, vel ſaltem prope ipſum proijcere. Eſt autem attendẽdum quòd in proijciendo telum, aut lanceam primo vibrandum eſt telum ipſum, & poſtea fortiter impellendum: vibrato enim telo propter maiorem motum quem efficit in aere, longius pergit & amplius vulnus infligit. Quarto exercitandi ſunt bellantes ad iaciendum ſagittas, vel cum arcubus, vel cũ balli-

ballistis. Nam quia contingit quod ipsos hostes non possumus immediate attingere, vtile est eos sagittis impugnare: immo dato quòd pugnātes se cum hostibus possint coniungere, antequam coniungantur proficuum est eos arcubus & ballistis terrere. Legitur enim de Africano Scipione, qui cum pro populo Romano certare deberet, non aliter contra hostes se obtinere credebat, nisi in omnibus aciebus electos sagittarios miscuisset. Quinto, sunt bellatores exercitandi ad iaciendum lapides cum fundis. Hic enim modus bellandi in quibusdam marinis Insulis fuit inuentus, in quibus pueri (vt Vegetius recitat) adeo industres erant, vt matres nullum cibum eis exhiberent, quem nō primo cum funda percuterent. Est enim hoc exercitium vtile, quia fundam portare, nullus est labor. Interdum tamen euenit, vt in lapidosis locis habeatur conflictus, & vt mons si aliquis defendendus. In impugnatione etiam castrorum & ciuitatum non inutile est lapides cum fundis eijcere. Sexto, exercitandi sunt bellantes ad percutiendum cum plumbatis. Nam pila plumbea vel ferrea cum cathena aliqua coniuncta manubrio ligneo vehementem ictum reddit. Nam propter vehementiorem motum aeris, vehementius percutit pila cum cathena hastæ infixa, quàm si ipsi hastæ, vel ipsi manubrio ligneo esset coniuncta. Ad omne enim genus percussionum exercitandi sunt bellantes, vt contra alios & alios hostes, aliter & aliter percutiendo, dimicent. Septimo, bellatores exercitandi sunt ad ascensiones equorū. Nam, vt Vegetius recitat, fiebant antiquitus equi lignei, ad quos ascendendos iuuenes, in hyeme exercitabantur sub tecto: æstate vero in cāpo. & primo equos illos ascendebāt inermes, deinde armati: & adeo ad hoc assuefiebant, vt à sinistris & à dextris, & vndique equos illos ascenderent. Imo (quòd plus erat) euaginatis medijs gladijs ascendebant in illos. In tantum ergo circa hoc exercitabātur in pace, quod in tumultu prælij sine mora de facili ascendebant equos.

Octauo,

Octauo, assuescendi sunt bellatores, vt etiam natare sciant. Nam non semper pontes sunt prompti: & multotiens ignoratur aquæ profunditas. propter quod ex ignorantia natandi, contingit multos periclitatos esse. Inde est quod apud Romanos antiquitus consuetudo erat, quod iuuenes futuri bellatores postquam per magnam partem diei exercitati essent ad arma, si tempus erat natationi congruum, ducebantur ad fluuium, vt artem natandi addiscerent. immo non solum pedites, sed equites, & etiam ipsos equos ad natandum exercebant. Aduertendum autem quòd prędictorum exercitiorum quædam sunt magis propria equitibus, quædam peditibus, quædam vtrisque. Quod quomodo sit, non magna consideratione eget, & solertem mentem latere non potest. Nam ascendere equos, est proprium equitibus: proijcere lapides cum funda, videtur esse proprium peditibus. Alia vero sunt aliquo modo applicabilia ad vtrosque.

Quod vtile est in exercitu facere fossas, & construere castra, & qualiter castra sunt construenda, & quæ sunt attendenda in constructione castrorum. Cap. VIII.

NEgocia bellica inter cætera periculosiora esse videntur, ideo in eis est magna diligentia adhibenda. In talibus igitur non potest quis superabundare cautelis. In pugna enim omnino est eligendum, maiorem diligentiam habuisse quam bella commissa requirerent, quàm circa ipsa in aliquo neglexisse. Nam recitat Vegetius dixisse Catonem, quòd in alijs rebus si quid erratum est, potest postmodum corrigi. Delicta vero bellorum emendationem non recipiunt: sed statim pœna errorem consequitur: quia imperite & imprudenter pugnantes, vel con-

festim

festim pereunt, vel in fugam versi adeò efficiuntur timidi, quod contra suos victores vix aut nunquam audent bella committere. Quare si in bellis omnino est superabūdandum cautelis, non est prætermittendum quicquid in aliquo casu potest exercitui esse proficuum, ne debelletur ab hostibus. Contingit autem pluries diurno & nocturno tempore, quod, exercitu absq; fossis & castris existente, & non credentes hostes esse propinquos, superuenientibus hostibus fugit exercitus debellatus. Igitur postquam exercitus suam dietam compleuit, alicubi vult pernoctare, vel vlteriorem moram contrahere, si ad locum illum in aliquo casu, vel in aliquo euentu hostes superuenire possunt, statim circa exercitum fiendæ sunt fossæ, erigendæ munitiones aliquæ quasi ad modum castrorum: quia nihil neque tam salutare neque tam necessarium inuenitur in bello, sicut si debite sunt factæ munitiones, & recte constituta sint castra ita, vt infra castrorum spatia totus exercitus securus permaneat, quandocunq; & vndecunq; superuenientes hostes obsideant. Debet enim exercitus secum ferre munitiones congruas, vt cum castrametari voluerit, quasi quandam munitam ciuitatem secum portasse videatur. Viso vtile esse circa exercitum facere fossas & construere castra: restat ostendere, quomodo huiusmodi monitiones & castra sunt construenda. Nam si hostes sunt absentes facile est fossas circa exercitum fodere, munitiones erigere & castra construere. Sed si aduersarij præsentes adsint, difficilius est castra munire. Sunt enim in tali casu duo necessaria. videlicet hostibus resistere, & castra construere. In tali ergo euentu secundum sapientum sentētiam, est exercitus diuidendus, ita quòd omnes equites, & vna pars peditum debet ordinari in acie ad pellendum impetum hostium: reliqua vero pars peditum quæ possit sufficere ad celerem constructionem castrorum, debet celeriter castra construere. Oportet autem semper construendis castris, & faciendis fossis aliquos magi-

ſtros præſtitui, qui negligentes ſolicitent, & vnicuique iniungant quod ipſum oporteat facere. Oſtenſo vtile eſſe caſtra conſtruere, & qualiter etiam præſentibus hoſtibus conſtruenda ſint caſtra: reliquum eſt declarare quæ ſunt attendenda in conſtructione caſtrorum. In faciendis enim foſſis, & in conſtruendis caſtris, inter quorum ſpatium eſt exercitus collocandus, tria ſunt conſideranda: videlicet ſitus, forma; & munitionis modus. Circa ſitum (quantum ad præſens ſpectat) ſunt quatuor attendenda. Primo vt ſit ibi copia aquæ. & aliorum quæ ſunt exercitui neceſſaria. Secundo non debet eſſe ibi vicinus mons aliquis, a quo poſſit exercitus impugnari. Tertio circa ſitum conſiderandum eſt ſpatium vt pro numero bellatorum accipiendum eſt ſpatium, circa quod ſunt munitiones erigendæ: vt non accipiatur de ſpatio vltra quam requirat huiuſmodi multitudo, nec etiam accipietur tam modicus, vt vltra quam debeat, oporteat exercitum conſtringi & conſtipari. Quarto ſi oporteat in loco illo exercitum moram contrahere, & adſit poſſibilitas eſt eligenda circa ſitum ſalubritas aeris. Nam in exercitu non ſolum cauenda ſunt vulnera hoſtium, ſed vt offert ſe facultas, cauendæ ſunt peſtes morborum. Declarato ergo quæ ſunt attendenda circa ſitum caſtrorum: declarandum eſt, qualis debeat eſſe eorum forma. Videtur autem velle Vegetius, munitiones & foſſas fiendas circa exercitum debere habere formam quadrilateram oblongam. Attamen quia figura circularis eſt capaciſſima, eſt elegibilius facere munitiones ſecundum circularem formam, vel ſecundum multorum angulorum: quia ſi multum timeretur de impetu hoſtium, oporteret foueas facere multorum angulorum, eo quod illa eſt magis defenſioni apta, vt infra patebit. Talis itaque forma eſt melior in conſtructione caſtrorum, niſi loci ſitus impediat. Nam contingit aliquando ſitum illum non pati talem formam. In tali ergo caſu conſtruenda ſunt caſtra ſemicircularia, triangula-

gularia, quadrata, vel aliquam formam aliam quam requirit dispositio & aptitudo situs. Porta autem principalis ex illa parte fienda est, quæ respicit hostes, vel circa quam profectus est exercitus. Sunt etiam in castris ponenda insignia ad terrendum hostes: & etiam ad hoc, vt si contingat aliquos de exercitu elongare à castris, visis insignis melius sciant ad castra redire. His itaque pertractatis superest videre quis munitionis modus attendendus sit in constructione castrorum. Nam si exercitus diu ibi morari intendat, eligendæ sunt fortiores munitiones, & fiendæ ampliores fossæ. Sed si solum ibi pernoctare cupit, aut ibi debet per modicum tempus existere, non oportet tantas munitiones expetere. Modum autem, & quantitatem fossarum tradit Vegetius dicens, quod si non immineat magna vis hostium, fossa debet esse lata pedes nouem, alta septem. Sed si aduersariorum vis acrior imminet, contingit fossam ampliorem & altiorem facere ita, vt sit lata pedes duodecim, & alta nouem. Est tamen aduertendum quod si fossa sit alta pedum nouem, propter terram eiectam supra fossam crescit quasi pedes quatuor: ita quòd tota fossa alta erit quasi pedes tresdecim: debet enim esse fossa in ante ex parte hostium, & terra proijcienda est ad partem intra, vbi est exercitus collocandus. In terra autem illa figendi sunt stipites, & ligna, & munitiones aliæ; quas secum exercitus portare debet. Sic ergo castris constitutis, sic fossis factis, poterit exercitus morari securus.

Quæ & quot sunt consideranda in bello, si debeat puplica pugna committi. Cap. IX.

VT patet per habita, circa negocia bellica est cautela maxima adhibēda. Nam quia bellorum casus irremediabiles sunt, diligenter videnda sunt, quæcunque circa bella consideranda existunt, prius quàm pugna publica committatur: melius est enim pugnam non committere, quàm absque debita præuisione fortunæ & casui se exponere. Videmus autem in bello duo existere. videlicet viros pugnantes, & auxilia alia quæ requiruntur ad pugnā. Ex parte autem virorum pugnantium, quantum ad præsens spectat sex sunt attendenda: sicut etiam ex parte auxiliorum & adminiculantium ad bellum, sex alia enumerari possunt, quæ etiam sunt attendenda. In vniuerso igitur rex, aut Princeps, aut Dux exercitus qui debet esse vigilans, sobrius, prudens, & industris, duodecim debet considerare: sex ex parte virorum bellatorum, & sex ex parte amminiculantium, prius quam eligat publicam pugnam committere. Sunt autem sex ex parte hominum bellatorum, quæ faciunt ad obtinendam victoriam. Primum est, numerus bellantium. Nam vbi plures sunt bellātes (cæteris paribus alijs) secundū quod huiusmodi sūt victoriam obtinere debent: nam vt dicitur 2. Polit. quantitas in compugnatione est vtilis, sicut maius pondus magis trahit. Secundo, ex parte bellatorum attendenda est exercitatio. Nam habentes brachia inassueta ad percutiēdum, & membra inexercitata ad bellandum, deficiunt in sustinendo pugnam. est enim consuetudo quasi altera natura, vt quilibet virilius & expeditius & cum minori labore & pœna faciat opera consueta. Tertio, attendenda est tolerantia erga necessitates corporis. Nam existentes in

exer-

exercitu oportet multa incommoda tolerare:quare si sint ibi aliqui molles, & muliebres renuentes incommoditates aliquas sustinere, deuicti propter incōmoditates quas sustinent, bellare recusant & exercitium fugiunt. Quarto consideranda est fortitudo & durities corporis. Multum enim interest inter duritiem ferri & mollitiem panni serici, & inter suauitatem ludi & asperitatam pugnæ. Considerato enim bello in vniuersali, omnes volunt esse boni bellatores, sed postquam veniunt ad experientiam particularium gestorum, & gustant quanta sit durities ferri, & quantum armorum pondus & quantus sit labor pugnæ, & quantum affligunt vulnera hostium: vt plurimum est durus carne & robustus corpore, si propter talia non retrahitur à bellando. Nam & si contingat molles carne, etiam postquam gustauerunt bella, appetere pugnam; hoc est vt raro. Nam habenter carnes molles (vt supra tangebatur) sunt aptiores ad intelligendum, sed vt plurimum sunt inepti ad pugnandum: nam tales difficilius sustinent armorum pondus, vehementius dolent ex illatione vulnerum. Quinto, consideranda est in in bellantibus versutia & industria ad bellandum. Nam quanto cautiores sunt bellatores, tanto citius victoriam obtinent. Sexto, attendenda est virilitas & audacia mentis. quia audaciores & magis cordati vt plurimum in pugna victoriam obtinēt. Rex igitur aut princeps vel dux exercitus, priusquàm publice dimicet, ex parte hominum bellatorum septem considerare debet. Primo, ex qua parte sunt plures bellatores. Secūdo, qui sunt magis exercitati. Tertio, qui sunt fortiores in sustinendo necessitates, & incommoda. Quarto, qui sunt robustiores, & duriores corpore. Quinto, qui sunt industriores, & sagaciores mente. Sexto, qui sunt audaciores, & viriliores corde. Et tunc dux sobrius, & vigilās prout viderit suum exercitum in his conditionibus abundare, aut deficere: poterit accelerare pugnam, vel differre: & bellare publice & aperte, vel per insidias & laten-

ter. Enumeratis septem conditionibus, quæ considerandæ sunt prius quã cõmittatur bellum publicum ex parte hominum bellatorum : reliquum est enumerare sex alia, quæ sumuntur ex parte amminiculantium & eorum quæ auxiliantur ad bellum. In bello quidem auxiliantur equi arma, victualia, loca pugnandi, tempus, & auxilium præstolatum. Debet igitur dux exercitus considerare primo ex qua parte sunt plures equi & meliores. Secundo ex qua parte sunt meliores sagittarij, plures armati, & habentes meliora arma. Tertio vbi plus victualia abundãt: nam aliquando absque vulnere & absque bello aduersarij cedunt deficientes in victualibus, & ob mendicitatem, non valentes moram contrahere. Quarto considerandus est pugnationis locus qui sunt in altiori situ, vel meliori ad pugnandum. Quinto circa pugnam attendendum est tempus, vtrum tempore quo committẽda est pugna, sol sit oppositus faciebus eorum, vel hostium; & vtrum sit aliquis ventus flans & eleuans puluerem contra ipsos, vel contra aduersarios: nam habentes solem & vẽtum siue puluerem contra se, offendentur in oculis vt dimicare non possint. Sexto est attendendum, qui plures auxiliatores expectant. Nam si hostes plura expectant auxilia, vel non est bellandum, vel acceleranda est pugna. Si autem ipsi plures auxiliatores expectant, est compugnatio differenda. His itaque igitur omnibus diligenter inspectis, prudẽs dux exercitus sufficienter aduertere potest, vtrum debeat publicam pugnam committere. Nam prout viderit se in pluribus conditionibus præfatis abundare, vel deficere, sic se habere poterit erga bellum: forte enim nunquam contingeret omnes conditiones præfatas concurrere ex vna parte: vbi temen plures & meliores conditiones concurrunt, est pars potior ad bellandum.

Quòd

Quod vtile est in bello ferre vexilla; & constituere duces & præpositos: & quales esse debeant qui in exercitu vexilla portant, & qui equitibus, & pedibus præponuntur. Cap. X.

SEmper virtus vnita fortior est seipsa dispersa & confusa. Contingit autem aliquando commisso bello ordines & acies turbari & confundi. Ne igitur hoc posset accidere, obseruabatur antiquitus, vt diuideretur exercitur in turmas & acies, & singulis singula vexilla constituebant, ita vt in quolibet vexillo per literas, vel aliqua euidentia signa aperte ostenderetur cuius aciei, vel cuius turmæ esset vexillum illud: vt si contingeret aliquem bellatorem deuiare à propria acie, de facili rediret ad illam. vtile ergo fuit in bellis insignia & vexilla deferre, ne confunderetur exercitus. Rursus constituere expediebat duces, centuriones, decanos, & alios præpositos belli. Nam totus exercitus habet se ad similitudinem vnius corporis, quare sicut omnia membra corporis se inuicem iuuant, sic omnes bellatores & omnes partes eiusdem exercitus se inuicem defendunt. Quare sicut confunduntur membrorum opera nisi dirigantur per ipsum caput, in quo viget sensus & cognitio: sic confunduntur bellatores in exercitu si careant centurione & duce, qui debet esse eorum caput & eorum directiuum. Inde est quod antiquitus ne accideret confusio in bello, constituebatur, dux aliquis qui toti exercitui erat præpositus. Sub hoc autem duce erant centuriones. Sub centurione vero decani. Dicitur enim decanus a decem. Sic centurio à centum, Habebat enim centurio sub se decē decanos, ita quod præerat centum bellatoribus, & decē decanis. quorū quilibet decanorum sub se decē viros pugnatiuos habe

bat. In galea enim centurionis scriptæ erant literæ aliquę, vel signum aliquod euidens; quod respicientes decani agnoscebant centurionem proprium,& sciebant quem sequi debebant. Sic etiam in galea cuiuslibet decanorum signum aliquod erat impressum, per quod decem bellatores viri, quibus ipse erat præpositus, decanum proprium agnoscebant. Hoc itaq; modo, vel alio tam in aciebus equitum, quam etiam peditum constituendi sunt duces & præpositi,& ferentes vexilla: vt quilibet sciat quid debeat ageee. Est enim tantus terror in bello propter armorum strepitum & percussiones illatas,quod verba & monitiones non sufficiunt ad dirigendum bellantes, sed oportet dare euidentia signa;vt quiliber solo intuitu sciat se tenere ordinate in acie, & cognoscat quid sit acturus. Ex hoc autem patere potest, quales debeant esse portantes insignia & vexilla. Nam vexillo confracto totus exercitus est confusus. Cum magna igitur diligentia est vexillifer eligendus, vt sit corpore fortis, animo constans, fidelis principi,& expertus in armis, & alia singula habeat, quæ requiruntur ad probum & strenuum bellatorem. Contigit enim nostris temporibus totum populum ciuitatis cuiusdam deuictum esse à bellatoribus paucis, eo quòd vexillifer fraudem committens velauit vexillum & abscondit ipsum: quare confundebantur bellatores, quasi non habentes caput,& ignorantes ad quid deberent attendere: propter quod si in debellatione vita multorum hominum periculis mortis exponitur, cum magna diligentia vexillifer est quærendus. Ex dictis etiam patere potest, qualis esse debeat qui in exercitu est peditibus & equitibus præponendus. Nam sicut caput est præstantius membris alijs: sic qui in bello præponitur aliquibus turmis, vel bellatoribus alijs,debet esse magis strenuus illis,& magis expertus in ijs quæ requiruntur ad pugnam. Quare cum pedites, si debent boni belllatores existere debeant esse fortes viribus,proceri statura,scientes proijcere hastas & tela:

scire

ſcire etiam debeant gladium vibrare ad percutiendum, portare ſcutum ad ſe protegendum: & cum debeant eſſe vigilantes, agiles, ſobrij, habentes armorum experientiā: oportet omnia hæc peramplius & perfectius reperiri in eo, qui eſt ſupra pugnatores pedites præponendus. Debet ergo qui in pugna peditibus præponitur eſſe fortis viribus, procer ſtatura, ſciens eijcere haſtas & iacula, ſciens dimicare gladio ad percutiendum, portare ſcutum ad ſe protegendum, vigilans, agilis, ſobrius, habens omnium armorum exparientiam; vt ſciat erudire pugnantes ſibi commiſſos, & cogat eos ad bene debellandum, & ad arma tergendum. Nam ipſe armorum nitor terrorem incutit hoſtibus, vt portans huiuſmodi arma credatur bonus eſſe bellator. Ipſa enim rubigo armorum in eo qui portat illa, arguit inertiam bellandi. Si ergo talis debet eſſe qui præponitur peditibus bellatoribus: multo magis debet eſſe armorum expertus, & procer corpore, & fortis viribus qui eſt equitibus præponendus: quia in bello equeſtri maior conflictus efficitur, quam in pedeſtri pugna. Oportet igitur præpoſitum & ducem militaris belli eſſe habilem corpore, vt poſſit etiam armatus agiliter equū conſcendere: ſcire fortiter equitare, cum lancea percutere, eijcere iacula, cum ſcuto ſe protegere, cum claua & enſe dimicare, habere omnium armorum exercitium, vt poſſit ſuos commilitones de pugna erudire, vt fortiter pugnent, arma tergāt, & alia faciant quæ requiruntur ad bellum.

Quibus cautelis debet vti dux belli, ne suus exercitus lædatur in via. Cap. XI.

Eth. 2. cap. 6. MOrs est quid terribilissimum, & finis omnium terribilium, vt dicitur 2. Ethicor. Vbi ergo quæritur mors populi, & vbi hostes insidiantur morti ciuium, est omnis cautela adhibenda, vt exercitus seruetur illæsus, & vt vita ciuium conseruetur. Non ergo sufficit considerare ea quæ sunt consideranda in pugna publica committenda nisi sciantur cautelæ ad remouendum impedimenta viarum; ne exercitus per insidias hostium periclitetur in via. Possumus autem, quantum ad præsens spectat, octo cautelas enumerare: quas debet dux belli retinere memoriter, vt saluetur vita pugnatorum, qui sunt sub ipso. Prima est, vt sciat itinera regionum, per quæ exercitus proficisci debet: & interualla locorum, & qualitates viarum, compendia & diuerticula, & montes, & flumina existentia in itinere illo debet habere conscripta. Immo si viæ illæ, & passus, & flumina dux exercitus haberet depicta, quasi oculorum aspectu prospiceret qualiter exercitus deberet pergere, tutius posset suum exercitum ducere. Sic etiam marinarij faciunt, qui videntes maris pericula, ne eorum naues patiantur naufragium, descripserunt maris mappam vbi portus marini, discrimina maris, & cetera talia proportionaliter sunt descripta, qui marinarij intuentes, statim percipiunt qualiter debeant pergere, & in quo loco existant, & à quibus debeant se cauere. Quare propter insidias hostium exercitus tot quasi, vel etiã pluribus periculis exponatur in via quã nautæ in mari, nullo modo debet exercitus pergere per viam aliquam in qua pati possit insidias, nisi qualitates viarũ, montes, flumina, & cetera reperta in ipso itinere habeat dux conscripta etiam & depicta. Secunda cautela est, vt simul cũ hoc

quod

quod habet vias & qualitates viarũ conſcriptas & depictas; ducat dux belli conductores aliquos bene ſcientes vias illas, qui pluries per vias illas perexerint, & experti ſint illas. Nã videre aliqua conſcripta & depicta non ſunt ita nota, ſicut ſi per ſeipſa ſenſibiliter videmus ipſa. Nam potior eſt cognitio rei per quã cognoſcitur in ſe ipſa, quàm cognoſcitur in pictura, vel in alio ſimili. Ne tamen conductores moliantur fraudes aliquas, debet circa eos dux belli bonas apponere cuſtodias ne poſſint fugere. Debet etiam eis minari mortem, ſi in aliquo fraudulenter ſe habeant, & promittere dona ſi ſe fideliter geſſerint. Tertia eſt, habere ſecum plures ſapiẽtes fideles prĩcipi, exercitatos in bellis, de quorum conſilio agat quicq̃d viderit ipſe dux belli eſſe fiendũ. Nã vbi tantũ currit periculũ, nullus debet inniti proprio capiti, nec credere ſibi ſoli. Quarta cautela eſt, vt itinera ignorentur ab hoſtib., per quæ debet exercitus proficiſci. Nã conſiliũ ducis quanto minus eſt publicum, tanto quæ ſunt in conſilijs deliberata minus impediũtur, & citius fini debito mãcipantur. Poſtquã igitur deliberatum eſt per quas vias debet exercitus pergere, & vias illas Dux habet conſcriptas & depictas, & habentur conductores aliqui fideles, quanto hoc minus eſt publicũ & magis celatur ab hoſtib., tãto exercitus magis ſecure droficiſcitur. Quinta eſt, in quolibet munimine, & in qualibet acie habere aliquos equites fideliſſimos & ſtrenuiſſimos, habẽtes equos veloces & fortes; qui ante & à tergo, & à dextra & à leua percurrãt, illuſtrãtes & diſcooperientes inſidias, ne hoſtes aliqui latitãtes ex aliqua parte moleſtent exercitũ. Nã etſi nullis eſſet notũ ducis conſiliũ, eo tamẽ ipſo quod per aliquas vias incipit exercitus iter arripere, coniecturari quis põt per quas partes debeat ꝓficiſci. Et q̃a ꝓbabile eſt sẽper in talibus aliquos exploratores adeſſe, cogitare debet dux belli ꝙ & hoc poſſet ad aures hoſtiũ ꝑuenire. Itaq; cũ pericula viſa minus noceãt, ꝑ velociſſimos eq̃tes sũt detegẽdæ ĩſidiæ, ne exercitus cir-

ca aliquam partem ex improuiso patiatur molestias. Sexta est, vt semper ex illa parte exercitus probiores milites & magis bellicosi pedites apponātur, ex qua creditur maius periculum imminere: quod si ex omni parte de periculo dubitatur, vndique sunt remedia adhibēda. Septima est, ne exercitus disparsim vadat. Nam interrupta acie facilius debellatur. In qualibet enim hora sic exercitus se debet habere, vt si & tunc hostes præsentes adessent, ei nō possent efficere nocumentum. Vnde & prouerbialiter dicitur, quod qui est munitus, non est derisus. Semper ergo dux belli cui commissa est tantorum vita, debet esse attentus & vigilans, ne hostes eum inuadere possent quasi negligentem & dormientem. Debet etiam dux exercitus centuriones, & decani, & alij, qui operibus bellicis præponuntur, semper monere milites pedites, vt sint parati ad arma; vt si contingeret aliqua inuasio subita, possent inuadentibus resistere Sic enim dicendo, dato quod accideret aliquis repentinus insultus, esset quasi prouisus, & minus præstaret nocumentum. Octaua cautela est, considerare exercitum in quibus sit copiosior, vtrum magis abundet peditibus, vel equitibus. Nam equites melius se defendunt in campis. Pedites vero in locis syluestribus & montuosis. Itaque prout viderit dux belli se abundare in equitibus, vel in peditibus, eligere poterit vias campestres & amplas, vel montanas, syluestres, & nemorosas, & alia prout nouerit expedire.

Qua-

Qualiter ordinandæ sunt acies, si debeamus contra hostes vel contra aduersarios dimicare. Cap. XII.

POstquam diximus sub quo continetur operatio bellica, & ex quibus regionibus sunt meliores pugnantes & est quibus artibus sunt meliores bellicosi: declarauimus etiam qualiter in exercitu construendæ sunt munitiones & castra, & quæ sunt consideranda si debeat publica pugna committi, & quibus cautelis abundare decet bellorum ducem ne suus exercitus lædatur in via quantum ad campestrum bellum. Nihil (vt videtur) vlterius dicere restat, nisi vt doceamus ordinare acies, percutere aduersarios, & inuadere hostes. Prius tamen dicemus de ordine acierum. Si enim ordo seruetur in ipsa acie, non modicum valet ad pugnam. Nam, vt ait Vegetius, nisi bellantes sint ordinati, & occupent debitum spatium, bene pugnare non poterunt. Nam si nimis sunt constricti, impediuntur ne alios percutere possint. Si vero nimis rari & interlucentes, aditum præstant hostibus vt facilius deuincantur. Seruare autem debitum ordinem in acie vt equites & pedites suam aciem seruent, non sine magno exercitio fieri potest. Qui igitur in tempore aliquo vult bellare, per diuturna tempora debet exercitare pugnatores ad seruandum debitum ordinem, & ad faciendum ea quæ requiruntur in bello. Modus autem, per quem pugnatores huiusmodi ordinem seruare discunt, est, vt frequẽter tam equites quam pedites ducantur ad campos. Et ille qui est exercitatus in bellis, & qui debet equitibus vel peditibus esse præpositus, primo debet equites & pedites linealiter disponere ita vt seriatim maneant, & æqualiter à se inuicem distent secundum distantiam quam requirit acies equestris vel pedestris. Postea præcipere debet vt dupli-

cent aciem ita quòd medietas aciei statim separet se à medietate alia, & seriatim ordinet se ante aliā vel post ipsam. Quo facto statim debet præcipere dux belli, vt aciē quadratam faciant, & deinde, vt constituant trigonum: quod faciliter fit. Nam acie quadruplicata & secata diametro, & partibus quadratis coniunctis simul faciunt trigonum. Vel, vt sit ad vnum dicere, qui non omnes hos modos geometricos capiunt, ductis pugnatoribus ad campos siue equitibus siue peditibus imperare debet dux belli, quod pugnatores ordinent se secundum formam quadrāgularem, & postea secundum triangularem, & deinde secundū rotundam: & sic deinceps debet assuefacere bellantes, vt sciant construere aciem secundum quamcunq; formam. His visis sciendum quadrangularem formam aciei inter cæteras formas esse magis inutilem: ideo secundum hanc formam nunquam formanda est acies simpliciter, sed in casu. vt si situs talem formam requireret, in huiusmodi casu construenda est forma prædicta. Formæ autem acierum secundum se vtiles ad bellandum, sunt pyramidalis, rotunda, & forficularis. Nam pugnantes vel solum volunt se defendere & sustinere ictus. vel volūt alios inuadere. Si ergo bellantes non sentiunt se tantæ potentiæ vt alios debellare possint, sed sufficit eis vt se defendant: tunc est construenda acies secundum rotundam formam; & pugnantes debent se magis constringere & constipare, vt acies non possit ab hostibus transcindi. Circa aciem autem in summitate, & in exteriori parte constituendi sunt homines grauioris armaturæ & melius armati, qui absq; minori grauamine possint ictus suscipere. Si vero pugnantes credunt se esse tantæ potentiæ, vt possint aduersarios inuadere: tunc secundum eorum proportionem hostes, vel sunt pauci, vel multi. Si hostes sunt valde pauci, construenda est acies secundum formam forficularem, vt acies sit aperta ad modum ferri equi & quasi forficis, vt aduersarios quasi in medio capiat & concludat. Si vero

hostes

hostes sunt multi, construenda est ipsa acies secundum formam quam appellant conum, id est secundum figuram pyramidalem & acutam, vt possit hostes scindere & diuidere. Nam diuisis hostibus facilius debellantur. Acies ergo constructa in forma rotunda, vtilis est ad sustinendum. In forma vero forficulari, est vtilis ad circum dandum & concludendum, cum hostes sunt pauci. Sed in forma acuta & pyramidali, vtilis est ad scindendum & diuidendum, cum hostes sunt plures. Sciendum est ergo, quod numerus acierum constituendus est secundum multitudinem pugnatorum: vt prout quis plures aut pauciores pugnantes viderit se habere, poterit plures aut pauciores acies construere. Sciendum etiam, quòd semper in cornu aciei & in locis vbi maius periculum est, ne acies confundatur, apponendi sunt probiores pugnatores, qui possint virilius dimicare. Est etiam aduertendum, quòd in qualibet acie præter numerum pugnatorum constituẽtium aciem, reseruandi sunt aliqui strenui bellatores extra ipsam aciem qui possint ad illam partem succurrere vbi viderit magis aciem deficere. Hæc igitur tria obseruanda sunt in constitutione acierum. Primo, vt acies bene ordinetur secundum formam acutam, rotundam, & forficularem: vt requirit bellum committendum. Secundo, vt probiores bellatores in illis partibus aciei apponantur, in quibus magis potest confundi & perforari acies. Tertio, vt extra quamlibet aciem reseruentur aliqui milites strenui & audaces, qui possint succurrere ad partem illam, erga quam viderint aciem titubare, & deficere.

Quod

Quod deridendi sunt in bello omnes percutientes cæsim, & quod eligibilius est percutere punctim. Cap. XIII.

OStenso qualiter sunt acies ordinandæ & construendæ, reliquū est ostendere, qualiter pugnantes percutere debeant, vtrū eligibilius est percutere cæsim vel pūctim. Possumus autem quinque vijs ostendere, quod deridendi sunt percutientes cæsim, & eligibilius est percutere punctim. Prima sumitur ex prohibitione armorū. Secunda ex resistentia ossium. Tertia ex prouidentia vulnerum. Quarta ex fatigatione membrorum. Quinta ex detectione percutientum. Prima via sic patet. Nam quanto ensis aut gladius plus capit de armis, tanto propter armorum resistentiam difficilius itur ad carnem. Inde est quod bellorum experti dicunt pugnantes semper debere habere loricas amplas ita, vt annuli loricarum se constringant: quia quanto illi annuli magis sunt compacti, tanto oportet plures ex eis frangere vt vulnera noceant. Sic quia percutientes cæsim oportet plus de armis incidere, quam percutiētes punctim. vt ergo vulnus perueniat citius ad carnem, magis est eligibile percutere punctim, quam cæsim. Modica autem armorum incisio sufficit ad lædendum carnē percutiendo punctim, quæ non sufficeret si percuteretur cæsim. Secunda via ad inuestigandum hoc idem, sumitur ex resistentia ossium. Nam & si quis quasi inermis existeret, in percussione cæsim priusquam perueniretur ad cor vel ad membra vitalia, oporteret magnam plagam facere & multa ossa incidere: sed percutiendo punctim duæ vnciæ sufficiunt ad hoc vt fiat plaga mortalis, & sit lethale vulnus. Considerare quidem debemus, quod quicquid est hosti nociuum, secundum quod huiusmodi, est nobis proficuum: ideo in exercitu vbi quæritur mors aduersariorum, percutiendum est punctim, quia sic feriendo ci-

tius

tius infligitur plaga mortifera. Tertia via sumitur ex prouidentia vulnerum. Nam quanto hostis magis vulnera prouidet, magis potest se protegere, & citius potest illa vitare: quia iacula præuisa minus lædunt. In percutiendo autem cæsim, quia oportet fieri magnum brachiorum motum prius quam infligatur plaga, aduersarius ex longinquo potest prouidere vulnus, ideo magis sibi cauere potest & cooperire se ictibus. Ideo ait Vegetius, quod punctim percutere aduersarium sauciat antequam videat. Vnde hoc genere percutiēdi potissime vsi sunt Romani. Deridebant enim Romani milites, omnes percutientes cæsim, quia & ipsi semper volebant percutere punctim. Quarta via sumitur ex fatigatione membrorum. Inter cetera enim in bellis est hoc potissime attendendum: vt pugnantes absque nimia fatigatione sui possint nimis aduersarios lædere. Nam si bellantes nimis se fatigent, non valentes laborem illum tolerare, de facili dimittunt aciem, & conuertuntur in fugam. Quare cum percutiendo cæsim propter magnum motum brachiorum insurgat ibi magnus labor, punctim uero feriendo modica fatigatio sufficiat, elegibilius est percutere punctim, quam cæsim Cæsa enim percussio quouis impetu veniat raro occidit. Sed puncta modico impetu inflicta, facit lethale vulnus Quinta via sumitur ex detectione percutientis Nam bonus bellator, si potest, sic debet aduersarium lædere, vt tamen ipse non lædatur. Omnis ergo ille modus percutiendi est magis eligendus, secundum quem feriens minus discooperitur & detegitur; quia sic feriendo, minor læsio ei potest accidere. Quare cum percutiendo punctim etiam tecto corpore possit nimis aduersarius lædi, melius est percutere punctim quàm cæsim. Percutiendo enim cæsim oportet eleuare brachium dextrum: quo eleuato dextrum latus nudatur & discooperitur, & datur hosti via, vt possit nos lædere. Nam leuius infertur læsio & nocumentum corpore nudato, quam tecto.

Quot

Quot, & quæ sunt illa quæ hostes potentiores reddunt, & quot modis, & qualiter debemus hostes inuadere. Cap. XIV.

VT dicebatur superius, quod hosti est proficuum, nobis est nociuum: & èconuerso. Quæcunque igitur reddunt hostes fortiores ad resistendum bellantibus, quia illa sunt eis proficua, eorum opposita sunt eis nociua, & reddunt eos debiliores ne possint impugnantibus resistere. Quantum autem ad præsens spectat, possumus septé enumerare, per quæ hostes sunt fortiores contra impugnantes. Primum est, si sint in acie debite ordinati. Nam cum ipsa virtus vnita, (vt etiam supra tangebatur) fortior sit se ipsa dispersa: si hostes sint bene vniti & debite in acie ordinati, si inuadantur, difficilius euincuntur. Secundum quod reddit hostes fortiores ad resistendum, est locus. Nã in vno loco hostes facilius se tuentur, quàm in alio. Nam in transitu fluuiorum inter præcipitia montium, & inter difficultates viarum si contingat hostes in tali situ reperiri, difficilius se defendere poterunt: quia oportet eos sparsim incedere. Quare sicut locus ineptus defensioni, si in eo hostes inueniantur, reddit eos debiliores ad bellandum: sic locus aptus facit eos potentiores ad resistẽdũ. Tertium, est ipsum tempus. Nam tempore in quo ventus est contra hostes, & in quo puluis facies eorum percutit, & in quo solares radij opponuntur eorum oculis, difficilius possunt hostes resistere: tempore vero in quo hæc modo opposito se habent, hostes habiliores sunt ad pugnandum. Quartum quod reddit hostes magis animosos & magis promptos ad renitendum, est præuisio. Quia quanto præuisi sunt & præsciunt pugnatorum aduentum, magis se muniunt, & minus terrentur ex eorum occursu. Quintum autem, est debita & moderata quietatio. Nam quanto

quanto hostes sunt lassati laboribus, vigilijs, & incommoditatibus alijs: si tunc inuaduntur, facilius deuincuntur, quam si debite quieuissent. debita ergo quies hostes potentiores reddit. Sextum quidem, est amor & concordia ipsorum. Nam si hostes diuisi corporaliter facilius deuincuntur, multo magis diuisi animo & voluntate debellantur celerius, quia maior est diuisio animorum quam corporum. Et è contrario, si hostes non sunt sparsi, sed sunt corporaliter coniuncti, potētiores sunt ad bellandum, & multo magis si se diligunt & sunt coniuncti animo & voluntate: quia de se ipsis magis confident, & erunt viriliores & promptiores ad pugnam. Omnis enim amor est quædam vis vnitiua, & plus amor vnit amantium corda, quam loci vnitas existentium corpora. Quare si vnitas loci & congregatio bellantium eos potentiores facit, amor & vnitas cordium eos viriliores reddit. Septimum, quod facit hostes potentiores ad renitendum, est latentia propriarum conditionum existentium circa ipsos. Nam quanto conditiones hostium melius sciuntur, tanto facilior eligitur via, qualiter debeant impugnari: quanto vero eorum negocia sunt magis latentia, magis ignoratur impugnationis modus. Enumeratis itaq; quæ reddunt hostes potentiores ad renitendum; de facili patere potest, quomodo & qualiter bellantes suos hostes inuadere debeant. Nam cum septem modis enumeratis hostes fortiores existant; cum modo opposito se habent, sunt inuadēdi & debellandi. Primo igitur dux belli per insidias vel propter aliquem alium modum, debet diligenter aduertere, quando hostes sunt dispersi: & tunc debet eos inuadere, quia non habebunt potentiam resistendi. Secundo debet diligēter explorare eorum itinera, vt ad transitus fluuiorum, ad præcipitia montium, ad angustias syluarum, ad difficultates paludum & viarum se hostibus opponant: quia sic facilius deuincentur. Tertio debet aspicere ad ipsum tempus: quando sol reuerberat ad oculos hostium, puluis &

ventus repercutiunt ad eorum vultus: tunc debet eos inuadere, quia oculis eorum disgregatis à sole, & offensis per ventum & puluerem, non bene videre poterunt, qualiter debeant dimicare: propter quod oportebit eos fugam eligere. Quarto dux exercitus sic se temperare debet: vt tali hora faciat suos commilitones cibum capere, & requiescere: & eorum equos pausare, vt possint inuadere hostes ex improuiso; vt eos inuadant quando cibum capiunt, vel quando dormiunt, quando sunt securi existentes inermes, vacantes, discalceati, distractis equis, non suspicantes eorum aduentum. Quinto debet diligenter explorare, quando hostes magnam fecerunt dietam, sunt fatigati habent laxatos equos: tunc enim, si eos inuadere poterint, de facili terga vertent. Sexto (secundum Vegetium) debet dux belli inter suos hostes & inimicos, vel per se, vel per alios mittere dissensiones, iurgia, commouere eos ad lites, vel ad inimicitiam; vt de se inuicem nō confidant. Hoc enim facto, si eos inuadat, non habentes fiduciam de se inuicem, de facili conuertentur in fugam. Sed hæc cautela licet ponat eam Vegetius, non multum est appretianda: quia repugnaret bonis moribus. Septimo debet diligenter explorare conditiones hostium: qualiter se gerant, qualiter se habeant, quis est dux eorum, de quo dux ille magis confidit, quos mores habeat. Nam exploratis conditionibus singulis facilius inuenitur via, qualiter possit hostes inuadere, & debellare.

Quo-

Quomodo homines bellatores stare debeant, si velint hostes percutere, & quomodo debeant eos circundare, & quomodo debeant se declinare à pugna, si non sit bonum pugnam committere.
Cap. XV.

DIximus in quodam capitulo præcedenti, percutiendum esse punctim non cæsim: in quo docuimus milites, & etiam pedites. In hoc autem capitulo specialem doctrinam volumus dare peditibus, qualiter debeant stare cum volunt hostes percutere. Percussionis autem hostium duplex est modus. Vnus à remotis, vt cum iaciendo iacula, vel missilia aduersarios feriunt. Alius autem cum adeo appropinquant, quòd manu ad manum se percutiunt. Aliter autem debent stare bellatores viri, cum à remotis iacula iaciunt, & aliter cum ex propinquo se feriunt. Nam iaciendo iacula à remotis, debent habere ipsos pedes sinistros ante, & dextros retro. Nam cor, quod est in animali principium motus, principalius influit in partem dextram ita, quod pars dextra in animalibus fortior est in mouendo, & aptior ad motum: & quia mobile semper innititur alicui immobili, vt si mouetur manus, innititur brachio stanti, & si mouetur brachiũ, innititur corpori quiescenti: & si mouetur vnus pes, innititur alij pedi non moto: oportet quod pars dextra innitatur parti sinistræ quiescenti. Cum igitur pes sinister anteponitur, & latus dextrum elongatur, optime disponitur homo ad iaciendum iacula & missilia: quia tunc quiescit in sinistra, & mouetur in dextra vibrans ipsum iaculũ, quo vibrato vehementius mouet aerem, & fortius ferit. Licet enim tam secundum partem dextram quam secundum sinistram possumus quiescere & moueri, dextra tamen est aptior ad mouendũ, & sinistra ad quiescendum.

Ideo percutientes à remotis debemus quiescere super sinistrum pedem ante missum, & elongare nos cum dextro, vt possimus vehementius impellere, & vibrare iaculum. Sed quando manu ad manum pugnatur gladio: debemus è contrario nos habere, ita quod pedem dextrum teneamus ante, & sinistrum post. Nam quia latus dextrũ aptius est ad motum, si illud sit hosti propinquius, ratione motus poterit melius ictus effugere: vehementius enim percutitur quod stat, quam quod mouetur. Rursus, si dextrum latus sit hosti propinquius, melius poterit ipsum percutere. Debent enim bellatores, cum ad manum pugnant, tenere pedem sinistrum immobiliter: & cum volunt percutere, cum pede dextro debent se antefacere, & cũ volunt ictus fugere, cum eodem pede debent se retrahere. sic itaque tenendo pedem sinistrum immobilem, & cum dextro se mouendo, poterunt fortius hostes percutere, & eorum ictus facilius fugere. Viso quomodo debeant stare bellantes, si debeant hostes percutere: videre restat, quomodo sunt hostes includendi & circumdandi. Sciendum igitur, quod raro aut nunquam sic circumdandi sunt hostes in pugna publica, quòd non pateat aliquis aditus fugiendi: quia desperantes quasi necessitate compulsi efficiuntur audaces, videntes enim se necessario moriendos, possunt multa mala committere in eos qui contra pugnant. Inde est quod laudatur Scipionis sententia, dicentis, Nunquam sic esse claudendos hostes, quod non pateat eis aditus fugiendi. Nam fugientibus hostibus nullum est periculum, & in fuga periclitantur multi absque nocumento persequentium. sed cum se vident inclusos, quasi coacti feriunt includentes. Cum ergo supra diximus, formandam aliquando esse aciem sub forma forficulari, vt quando hostes pauci, ad hoc quod melius includantur & circundentur. Non sic intelligendum est, quod ita debeant circumdari, quod nullus pateat aditus abscindenti, nisi forte adeo essent pauci, quod quantumcunq; debellare vellent,

lent,

lent nullum possent nocumentum efficere. Ostenso itaque qualiter debeant stare pugnantes, si velint hostes percutere, & qualiter eos circumstare. Restat nunc tertio declarare, qualiter sit declinandum à pugna, si non habeatur consilium, nec videatur bonam pugnam committere, eo quod hostes sint fortiores, & non possumus illis resistere. In quo (quantum ad præsens spectat) debet dux belli duplicem cautelam habere. Prima est, quantum ad exercitum proprium. Nam & si dux consilium habeat non esse pugnandum, debet hoc valde paucis patefacere, & non debet illud toti exercitui pandere; ne timentes, turpiter fugiant, & ab insequentibus hostibus occidantur. Taliter itaque dux se habere debet, quòd non credat exercitus quòd velit fugere, sed quod velit alibi insidias parare, & contra hostes velit acrius dimicare. Secunda cautela adhibenda est ex parte exercitus hostium. Nam sic debet deducere bellum, vt hoc hostes lateat. Ideo multi tempore nocturno potius quam diurno hoc agunt: & plures hanc habuere cautelam, quod milites stantes in acie ex opposito hostium, prohibent eos ne pedites videre possint: propter quod pedestris pugna latenter recedit, qua recedente, equites postea melius possunt vitare hostium percussiones. Est etiam aduertendum quòd quando sic declinatur pugna, nunquam acies se debent diuidere: quia si contingeret hostes insequi fugientes à bello, plures occiderent; & maius nocumentum eis infertur à fugientibus, quam si se verterent & bellarent. Debet etiam dux belli inquirere, vtrum sit aliquis locus propinquus, ad quem posset confugere exercitus, si fugaretur ab hostibus.

Quot sunt genera bellorum, & quot modis deuincendæ sunt munitiones & vrbanitates, & quo tempore melius est obsidere ciuitates & castra. Cap. XVI.

VIdentur omnia bella ad quatuor genera redu . videlicet ad campestre obsessiuum, defensiuum, & natiale. Bellum autem campestre dicitur omnis pugna facta in terra. secundum quam bellantes ad inuicem pugnant absq; munitione media. Quanto tamen huiusmodi pugna magis est à munitionibus separata, tanto est magis campestris, & magis periculosa. Secundum genus pugnæ dicitur obsessiuum, quando bellatores sunt tantæ potentiæ quòd non expectant, quòd hostes de munitionibus exeuntes vadant bellare ad campum, sed ipsi munitiones inuadunt & obsident illas. Tale genus pugnæ communi nomine dicitur obsessiuum. Est autem & tertium genus pugnæ, quod defensiuum vocari potest. Nam sicut contingit pugnantes aliquos in tanta multitudine esse, & tantam habere potentiam, vt non expectant hostes exire ad campum, sed ipsas munitiones obsideant & inuadant: sic contingit aliquos esse adeo paucos & tam debiles, vt non putent in campo posse resistere impugnantibus. Ideo se in munitionibus tenet clausos, & sufficit eis quòd possint munitiones defendere, si contingat eas ab hostibus impugnari. Tale genus pugnæ quo quis defendit munitiones & castra, dicitur defensiuum. Nam etsi in omni pugna est aliquo modo inuasio & defensio, attamē cum quis obsedit munitiones, & castra, magis dicitur alios inuadere quàm se defendere. In pugna ergo obsessiua magis est inuasio, quàm defensio. In bello vero quo quis se tuetur in munitionibus & castris, magis est ibi defensio, quam inuasio.

sio: ideo tale genus pugnæ merito dicitur defensiuum. Quartus autem pugnandi modus dicitur naualis: quia sicut contingit esse pugnam in terra, sic contingit eam esse in aquis. Imo horribiliores & periculosiores sunt pugnæ aquaticæ, quàm terrestres. Huiusmodi autem pugna in aquis facta cuiuscunque conditionis aquæ illæ existāt, nauales dicuntur. Quare cum sint quatuor genera pugnarum, postquam diximus de campestri, restat dicere de obsessiua, defensiua, & nauali. Contingit enim aliquando Reges, & Principes pugnare omnibus his modis pugnandi. Nam aliquando committunt campestre bellum. Aliquando vero obsident munitiones & castra. Contingit etiam aliquando aliquos inuadere aliquas munitiones eorum; propter quod eos oportet vti pugna defensiua. Amplius in principatu & regno contingit esse portus & terras maritimas iuxta mare sitas: propter quod ne portus destruantur, & ne fiat ab hostibus per eos introitus in regnum, & ne terræ marinæ impugnentur, expedit regibus & principibus aliquando ordinare bella naualia. Dicto itaque de bello campestri; dicendum est de alijs generib. bellorum. Verum quia de campestri pugna diffusius diximus, & de cautelis bellorum multa discutimus; cum per iam dicta circa omne bellum possint cautelæ haberi qualiter quis debeat se habere; non oportet circa alia bellorum genera diutius immorari. Primo tamen dicemus de bello obsessiuo. Viso ergo quot sunt bellorum genera, & dicto quòd post castrum campestre primo dicendum est de pugna obsessiua: cum per huiusmodi pugnam contingat obtineri & deuinci munitiones & vrbanitates: restat dicere quot modis talia deuinci possunt. Est autem triplex modus obtinendi munitiones & castra: videlicet, per sitim, famem, & pugnam. Contingit enim aliquando obsessos carere aqua: ideo vel oportet eos siti perire, vel munitiones reddere. Quare diligenter excogitare debent obsidentes munitiones aliquas, vtrum per aliqua ingenia,

vel per aliquam industriam possint ab obsessis accipere aquam. Nam multotiens euenit, aquam à remoto principio deriuari vsque ad munitiones obsessas: quare si in illo fontali principio destruatur fistula vel meatus, per quam pergit aqua ad obsessos, oportebit ipsos pati aquarum penuriam. Rursus, aliquando munitiones sunt altæ, & aqua non peruenit vsque ad eas: quare si sit à munitionibus remota, debent obsidentes adhibere omnem diligentiam, quomodo possint obsessis prohibere aquam. Secundus modus impugnãdi munitiones, est per famẽ. Nam sine cibo durare non possumus; ideo obsidentes, vt munitiones obtineant, passus, vias & omnia loca per quæ possent obsessis victualia deferri, diligenter custodire debent, ne eis talia deferantur. In huiusmodi enim obsessionibus multotiens plus affligit fames quam gladius. Inde est quod multotiens obsidentes volentes citius opprimere munitiones, si contingat eos capere aliquos de obsessis, non occidunt illos, sed per mutilationem membrorum eos reddunt inutiles, & postea illos remittunt ad munitiones obsessas, vt ibi vna cum alijs comedentes apud ipsos obsessos, maiorem famem & inopiam inducant. Tertius modus obtinendi munitiones est per pugnam: vt cum itur ad muros, & cum per pugnam dimicatur contra obsessos. Sed qualiter & quot modis contingat pugnam committere, in sequenti capitulo ostendetur. Ostenso quot sunt genera bellorũ, & quot modis deuincendæ sunt munitiones obsessæ: restat ostendere, quo tempore melius est obsidere ciuitates & castra. Sciendum itaq; quòd tempore æstiuo antequam sint recollecta blada, vina, & alia per quæ subueniri potest inopiæ obsessorum, est melius obsessionem facere. Illo enim tempore omni modo deuincendi, melius deuincuntur obsessi: Nam si per sitim sunt munitiones obtinendæ, melius est facere obsessionem tempore æstiuo, eo quod tunc magis desiccantur aquæ, nec si abundant pluuiæ cælestes, vt possit per cisternas subuenire obsessis. Rursus si

per

per famen est castrum, vel ciuitas obsessa obtinenda, melius est obsessionem facere æstiuo tempore, antequã messes & vina sint recollecta: quia semper tali tempore consueuerunt deficere fructus anni præteriti. Quare si obsessi non possunt gaudere fructibus anni aduenientis, citius peribunt inopia. Amplius si post bellum & pugnam munitiones sunt obtinendæ, melius est hoc agere æstiuo tempore. Nam tempore hyemali abundant pluuiæ, replentur fossæ aquis. quare difficilius impugnantur obsessi. Rursus incommoditates temporum magis molestant obsidentes & existents in campis, quam obsessos manentes in domibus. Vel igitur obsessiones fiendæ sunt tempore æstiuo, vel si per multa tempora obsessiones durare debent, saltem inchoandæ sunt tempore æstiuo, priusquam blada, vina, & alios fructus terræ recolligere possint obsessi.

Quomodo debent munitiones obsideri, & quomodo periculosius impugnari possunt munitiones obsessæ. Cap. XVII.

SI obsidentes negligentes fuerint, & non diligenter se muniant; ab obsessis molestari poterunt. Nam cum contingat obsessiones per multa aliquando durare tempora, non est possibile obsidentes semper esse paratos æquè. Ideo nisi sint muniti, contingit quòd existentes in castris (cum fuerint occupati obsidentes somno, vel ludo, vel ocio, aut aliqua necessitate dispersi) repente prorumpunt in ipsos, & succedunt tentoria, destruũt obsidentium machinas, & aliquando multi ex obsidentibus perdunt. Quare obsidentes vt tuti permaneant, lõge à munitione obsessa saltem per ictum teli vel iaculi debent castrametari, & circa se facere fossas, & figere ibi ligna, &

construere propugnacula: vt si oppidani eos repente vellent inuadere, resistentiam inuenirent. Viso quomodo se munire debent obsidentes, ne ab oppidanis molestentur: restat ostendere quot modis impugnare debent obsessos. Est autem vnus modus impugnandi communis & publicus. videlicet, per ballistas, arcus, & per lapides emissos manibus vel fundis, & etiam per appositiones scalarum. Multum enim industres in pugna, si obsessi faciunt se ad muros & ad propugnacula, statim impugnant eos cum ballistis & arcubus: iaciunt contra ipsos lapides cum manibus vel cum fundis; apponunt scalas ad muros, vt si possint ascendere * ad partes illas. Præter tamen hos modos impugnationis apertos, est dare triplicem impugnationis modum non omnibus notum. Quorum vnus est per cuniculos. Alius est per machinas proijcientes lapides magnos & graues. Et tertius per ædificia impulsa vsque ad muros munitionis obsessæ. De omnibus itaque his impugnationibus dicemus, sed primo de impugnatione per cuniculos. Primo igitur per cuniculos, id est per vias subterraneas deuincuntur munitiones. Debent enim obsidentes priuatim in aliquo loco terram fodere: ante quem locum, tentorium vel aliquod aliud ædificium debent apponere, ne obsessi videre possint vbi incipiant fodere: ibi enim faciendo vias subterraneas sicut faciunt fodientes argentum & inuenientes venas metallorum; debet per vias illas, faciendo eas profundiores, quam sint fossæ munitionis deuincendæ, pergere vsque ad muros munitionis prædictæ: quod si hoc fieri potest, leue est munitionem capere. Nam hoc facto primo debent muros fodere, & suppônere ibi ligna ne statim cadant. Et cum omnes muros, vel maximam partem murorum sic suffoderint & subpunctauerint, si viderint obsidentes quòd per solum casum murorum possint munitionem obtinere; statim debent apponere ignem in lignis sustinentibus muros & facere omnes muros vel facere magnam eorum partem cadere,

* *sint pares illi.*

& re-

& replere fossas: quo simul (quasi ex inopinato facto) terreantur obsessi, vt facilius deuincatur oppidum. Est etiam attendendum quòd viæ subterraneæ semper sunt muniendæ tabulis & alijs artificijs, ne cadat terra & suffocet fodientes: terra etiam quæ extrahitur de dictis fossis est taliter abscondenda, ne videatur ab obsessis. Et rursus cum ignis apponitur ad ipsa ligna sustinentia murum, apponẽs huiusmodi ignem & existentes cum eo debent ad locum tutum fugere, ne lædantur per murorum casum. Sic ergo agendum est in impugnatione per cuniculos, cum ad munitionem obtinendam sufficit sola murorum ruina. Sed cum hoc creditur non sufficere, muris existentibus subfossis & subpunctatis, nondum apponendus est ignis, sed procedendum est ad maiores munitiones & ad maiora mœnia castri, vel ciuitatis obsessæ, & per similes vias subterraneas est similiter faciendum circa ea, quod factũ est circa muros. Rursus procedendum est diuertendo vias subterraneas, vt per eas possit haberi ingressus ad ciuitatem & castrum: quæ omnia latenter fieri possunt absque eo quod sentiantur ab obsessis: licet tamen sine difficultate & diuturnitate temporis, possint hæc omnia fini debito mancipari. His itaq; sic peractis in aliquo nocturno tempore, vel in aliquo alio congruo ad pugnandum per appositionem ignis fieri debet, vt simul cadant muri & munitiones suffossæ: & per vias subterraneas fiat ingressus ad castrum, vel ad ciuitatem: & per aditum factum ex muris cadentibus reliqui obsidentes ingrediantur castrum, vel ciuitatem obsessam: & sic poterunt obtinere illam.

Quæ, & quot sunt genera machinarum eÿcientium lapides; per quæ impugnari possunt munitiones obsessæ, & deuinci possunt ciuitates & castra. Cap. XVIII.

Contingit autem pluries, munitiones aliquas obsessas super lapides fortissimos esse constructas, vel esse aquis circumdatas, vel habere profundissimas foueas, vel aliquo alio modo esse munitas. vt per viculos & per subterraneas vias nunquam, vel valde de difficili obtineri possint. Euenit etiã pluries vt si munitio obsessa per vias subterraneas capi possit, obsessi tamen prouidentes fossionem impediunt eam, ne per ipsam fraudulenter & per insidias deuincantur. Quod quomodo fieri habeat, ostendemus in sequentibus capitulis, vbi agetur de defensiua pugna. cum enim tractabimus qualiter obsessi se defendere debeant, declarabitur qualiter obsessi per cuniculos & alia machinamenta obsidentium debeant prouidere. Quare si modus artis debet imitari naturam quæ semper faciliori via res ad effectum producit: cum per viculos non ita de facili munitiones impugnari possunt, sicut per machinas lapidarias, vel per ædificia propulsa vsque ad moenia castri, vel ciuitatis obsessæ, oportet talibus vti argumentis vt habeatur intentum. Videndum est igitur, quot sunt genera machinarum lapidariarum, & quot sunt modi ædificiorum per quæ munitiones impugnantur. Machinæ autem lapidariæ quasi ad quatuor genera reducuntur. Nam in omni tali machina est dare aliquid trahens & eleuans virgam machinæ, ad quam coniuncta est funda, qua lapides iaciuntur. Huiusmodi autem eleuatio virgæ aliquando fit per contra pondus, aliquando autem non sufficit contrapondus, sed vlterius cum funibus eleuatur virga machinæ, qua eleuata iaciuntur lapides. Si ergo

go per solum contrapondus fit huiusmodi proiectio: contrapondus illud est vel ex fixum, vel est mobile, vel est compositum ex vtroque. Dicitur autem contrapondus esse fixum, quando in virga infixa est quædam cassa im- immobiliter adhærens virgæ plena lapidibus & arena, vel plena plumbo, vel aliquo alio graui corpore: quod genus machinæ veteres Trabutium vocare voluerunt. Inter ceteras autem machinas hæc rectius proijcit, eo quod contrapondus semper vniformiter trahat: ideo semper eodem modo impellit, cum hac enim machina quasi acus percuti posset. Nam cum aliquod signum percutiendum est per ipsam, si nimis proijcit ad dextram, vel ad sinistram vertenda est ad locum erga quod iaciendus est lapis. Si vero nimis alte proijcit, vel elonganda est machina à signo, vel in funda eius apponendus est lapis grauior, quem non tantum eleuare poterit. Si vero nimis ime vel nimis basse, appropinquanda est machina, vel alleuiandus est lapis. Semper enim ponderandi sunt lapides ipsarum machinarum, si determinate proijciendum sit ad aliquod certum signum. Aliud genus machinarum habet contrapondus mobiliter adhærens circa flagellum, vel circa virgam ipsius machinæ, vertens se circa huiusmodi virgam. Et hoc genus machinæ Romani pugnatores appellauerunt Biffam. Differt autem hæc à Trabutio: Nam quia contrapondus mobiliter adhæret virgæ machinæ, licet plus trahat ratione motus, non tamen sic vniformiter trahit, ideo plus proijcit quam biffa, non tamen ita recte & vniformiter percutit. Est autem & tertium genus manichæ, quod Tripantum nuncupant, habens vtrumque contrapondus, vnum infixum virgæ, & aliud mobiliter se vertens circa ipsam: hoc enim ratione ponderis infixi rectius proijcit, quam Biffa: ratione vero ponderis mobiliter se vertentis longius emittit lapidem quam Trabutium. Quartum vero genus

machi-

machinæ eſt, quod loco contraponderis habet funes, qui trahuntur per vires & manus hominum. Huiuſmodi .n. mahina non proijcit lapides ita magnos, ſicut prædicta tria genera machinarum: tamen non oportet tantum tẽpus apponere ad proportionandum huiuſmodi machinam, ſicut in machinis præfatis, ita quod pluries & citius proijcit hæc machina quam prædictæ. Illæ igitur qui obſidet caſtrum aut ciuitatem aliquam, ſi vult eam impugnare per machinas lapidarias, diligenter conſiderare debet, vtrum magis poſſit munitionem illam impugnare proijciendo rectius vel longius, vel medio modo inter vtrunq;, vel etiam magis poſſet obſeſſos offendere proijciendo ſpiſſius & frequentius. Nam prout viderit expedire omnibus prędictis machinis, vel omnibus præfatis modis proijciendi, vel aliquibus ſine aliqua prędictarum machinarum, caſtrum, vel ciuitatem obſeſſam poterit impugnare. Si enim plena notitia habeatur de machinis, de quibus mentionem fecimus; ſufficienter ſcietur, quomodo per machinas lapidarias poterit quælibet munitio impugnari. Nam omne genus machinæ lapidariæ, vel eſt aliquod prædictorum, vel poteſt originem ſumere ex prædictis. Eſt etiam aduertendum quòd die & nocte per lapidarias machinas impugnari poſſunt munitiones obſeſſæ. Tamen, vt videatur qualiter in nocte percutiunt lapides emiſſi à machinis, ſemper cum lapide alligandus eſt ignis, vel ticio ignitus. Nam per ticionem ignitum lapidi alligatum apparere poterit qualiter machina proijcit, & qualis ſiue quam ponderoſus lapis eſt in funda machinæ imponendus.

Quo-

Quomodo per ædificia lignea impulsa ad muros ciuitatis, & castri, impugnari possint munitiones obsessæ. Cap. XIX.

TAngebatur autem supra tres modi impugnandi munitiones obsessas. Quorum vnus erat per cuniculos, Alius per machinas lapidarias. Tertius vero, per ædificia lignea impulsa ad muros munitionis obsessæ. Dicto ergo de impugnatione facta per cuniculos, & per lapidarias macbinas; restat dicere de impugnatione quam fieri contingit per ædificia impulsa ad muros, vel ad mœnia castri, vel ciuitatis obsessæ. Huiusmodi autem ædificia, quasi ad quatuor genera reducuntur. videlicet, ad arietes, vineas, turres, & musculos. Vocatur enim Aries, testudo quædam lignorum, quæ, ne igne comburatur, crudis corijs cooperitur. Sub hac enim testudine sic cooperta corijs, & fortiter contexta, ne lapidibus obruatur intrinsecus ponitur trabs, cuius caput ferro vestitur, ideo appellatur aries, quia ratione ferri ibi appositi durissimam habet frontem ad percutiendum. Huiusmodi autem trabs funibus, vel cathenis ferreis alligatur ad testudinem factam ex lignis, & ad modum arietis se subtrahit: & postea fortiter muros munitionis obsessæ percutit & disrumpit. Cũ enim per huiusmodi trabem sic ferratam multis ictibus percussus est murus ita, quod iam lapides existentes in ipso incipiant commoueri: in capite eius infligitur quoddã ferrem retortum ad modum falcis, per quod lapides cõmoti & conquassati euelluntur à muro, vt citius perforetur. Valet autem huiusmodi ædificium ad impugnandum munitionem aliquam, dato quod quis non possit pertingere vsque ad muros eius. Nam quia huiusmodi trabs habens caput sic ferratum retrahitur & impingitur, poterit percuti murus ipsius munitionis obsessæ, dato quòd textura

tura illa sub qua sunt homines impingentes trabem non pertingat vsque ad muros. Est autem huiusmodi textura sub qua sunt homines impingentes arietem siue trabem optime munienda, ne viri illi sagittis, vel lapidibus, vel aliquo modo ex aliqua parte possint offendi. Aliud autem ædificium est ad impugnandum munitiones obsessas, quod vocant Vineam. Fit autem hoc, cum tabulæ grossæ & fortes optime conligantur, & duplicantur, siue fit duplex tabulatum, ne lapides emissi possint tale ædificium frangere. Cooperitur etiam crudis corijs, ne ab igne possint offendi. Consueuit autem tale ædificium fieri in latitudine octo pedum, & in longitudine sexdecim: in altitudine vero tot pedum, quot homines ibi competenter possunt existere. Huiusmodi enim ædificium tantæ quantitatis, vel etiam maioris, est optime vndique muniendum, & impellendum vsque ad muros munitionis obsessæ; sub quo homines existentes fodiunt muros illos. Est autem hoc ædificium vtile, cum talis est munitio obsessa, quòd vsque ad muros eius potest tale ædificium impelli. Tertium genus ædificiorum sunt turres vel castra. Nam si nec per arietes, nec per vineas capi possunt munitiones obsessæ, accipienda est mensura murorum munitionis illius, & secundum huiusmodi mensuram, vel etiam secundum altiorem construendæ sunt ligneæ turres vel castra, quæ tegenda sunt crudis corijs, ne succendantur ab igne. Cum his quidem ligneis castris dupliciter impugnantur munitiones obsessę. Primo iaciendo lapides. Nam si altitudo castrorum excedit altitudinem murorum, & etiam curricularum & propugnaculorum existentium in ipsis: sic se habebunt existentes in castris ad existentes in munitionibus quodammodo, sicut existentes in munitionibus ad eos, qui sunt in basso, vel in terra. Rursus in huiusmodi castris ordinantur pontes cadentes, per quos itur ad muros munitionis obsessæ.

Alti-

Altitudo autem murorum dupliciter potest accipi. Primo per vmbram. Nam leue filum, cuius nota sit quantitas, ligandum est ad sagittam, & proijciendum vsque ad muros munitionis secundum quantitatem cuius sciri poterit quantitas vmbræ: in illa ergo hora, in qua accipitur vmbræ quantitas, erigendum est aliquod lignum in altũ, faciens tantam vmbram; & secundum altitudinem illius ligni erit altitudo murorum. Verum quia non semper sol splendet & facit vmbram, sed aliquando tegitur nubibus; dabimus alium modum accipiendi altitudinem cuiuslibet ædificij, & quorumcumque murorum. Accipiatur autem lignum, vel tabula aliqua ad quantitatem alicuius hominis; & ille homo ad cuius quantitatem accepta est tabula illa, iaciat se in terram: & ad pedes eius ponatur prædicta tabula, & aspiciat per summitatem illius tabulæ & si visus eius proceditur magis alte quam sit ædificium cuius est altitudo sumenda, trahat se magis prope ædificium illud, si vero visus protendatur magis basse, cum tabula sit existente ad pedes, & sic iacens in terra, elonget se ab ædificio prædicto, donec per summitatem tabulæ punctaliter viduat summitatem eius. Nam, vt probari potest geometrice, quanta erit distantia à capite hominis sic iacentis vsque ad ædificium illud, tanta erit ædificij altitudo. Possent etiam mensuræ talium altitudinum accipi per regulas traditas in Astrolabio, & Quadrante. Sed de hoc nobis non sit curæ: sufficiat autem de talibus ad præsens tanta dicere, quanta sufficiunt ad propositum. Quartum genus ædificiorum vocãt Musculos. Sunt enim musculi quædam ædificia parua, sub quibus teguntur homines trahentes, vel impellentes castra vsque ad moenia munitionis obsessæ. Potest autem per huiusmodi musculos quasi continuari castra vsque ad munitioné obsessam: quod cum factum est, tripliciter impugnanda est munitio. Nam in castro sic ædificato ad munitionem impugnandam, est tria considerare, videlicet partem superiorẽ

excedentem muros; & curriculas munitionis capiendæ partem quasi mediam, ad quam applicantur pontes cadendi super illos muros: & partem infimam, ad quam applicantur musculi, à quibus sunt homines trahentes, vel impellentes castrum. Cum ergo castrum illud appropinquauit quantum debuit ad muros munitionis obsessæ, illi qui sunt in parte superiori debent proijcere lapides, & fugare eos, qui sunt in muris. Qui vero sunt in parte intermedia, debent pontes dimittere, & inuadere muros. Sed qui sunt in parte infima & sub musculis, si possunt debent ad muros attendere, & eos suffodere, vt etiam & sic obsidentes intrare possint obsessam munitionem. Sunt etiam; ballistæ arcus, machinæ lapidariæ, & omnia talia congreganda: vt quando hæc fienda sunt tunc munitionem percutiant. Quanto enim pluribus modis simul munitio impugnatur, tanto plus terrentur obsessi, & citius capitur.

Qualiter ædificanda sunt castra aut ciuitates, ne per pugnam ab obsidentibus facilius deuincantur. Cap. XX.

POstquam diximus de bello campestri, & determinauimus de bello obsessiuo, docentes ipsos obsidentes munitiones & castra qualiter debeant ea obsidere, & debellare. In parte ista determinare volumus de bello defensiuo: vt postquam docuimus obsidentes qualiter debeant inuadere obsessos; volumus docere ipsos obsessos qualiter se debeant defendere ab obsidentibus. Primum autem quod maxime facit ne obsessa ciuitas deuincatur ab obsidẽtibus, & maxime facit vt obsessi faciliter possint defendere munitionem aliquã, est scire, qualiter ædificãda sunt castra, & ciuitates, & munitiones cæteræ, ne faciliter

impu-

impugnentur. Sunt autem quinq; in huiusmodi ædificatione consideranda: per quæ munitiones fortiores existũt, & difficiliores ad capiendum. Primo quidem fortificantur munitiones, & sunt difficiliores ad bellandum ex natura loci. Secundo ex angularitate murorum. Tertio ex terratis. Quarto ex propugnaculis. Quinto ex fossatis. Ex natura quidem loci, vrbs & munitiones fortiores existunt si editæ sint in præruptis rupibus, vel in locis eminentibus & inaccessibilibus: aut si mare sit circa eas, vel paludes, aut flumina circumdant ipsas. A principio igitur quando ædificandæ sunt munitiones, defendendæ ab exteriori pugna, & ab obsidentibus, consideranda est natura loci, vt in tali loco ædificentur; quod ex ipso situ fortiores existant. Vel si non vacat munitiones de nouo ædificare, & aliqui timentes iram dominorum, aut Domini metuentes furorum populi, volunt se tueri in munitione aliqua: si adsit facultas quærenda est munitio talis, quę ex ipsa natura loci fortior existat, & difficilior ad impugnandum. Secundo vrbes & munitiones sunt difficiliores ad impugnandum ex angularitate murorum. Nam si munitio muros habeat angulares, si contingat obsidentes ad muros accedere vt munitionem deuincant; obsessi facilius se tuentur ab illis, & leuius offendunt obsidentes. Nam propter angularitatem murorum non solum ex parte anteriori, sed etiam à tergo, & quasi ex parte posteriori percurrunt impugnantes munitionem illam. Fiendi itaque sunt muri angulares, vt munitio faciliter defendi possit. Tertium, quod reddit munitionem difficiliorem ad capiendum, dicuntur esse terrata, vel muri ex terra facti. Nam in munitione fienda non solum est quærenda bonitas situs, & angularitas murorum, sed circa munitionem illam ædificandi sunt duo muri aliqualiter distantes: & intra spatium, quod inter illos duos muros includitur, ponenda est terra, quæ fodienda est de fossis, quæ fiendæ sunt circa munitionem illam,

vel est aliunde terra apportanda, & ponenda in illo spatio intermedio. Est etiam huiusmodi terra inter tale spatium posita ita densanda, quod ad inuicem conglutinetur, & efficiatur quasi murus. Contingit etiam turres ex terra facere, si bene condensetur: propter quod non est inconueniens construere huiusmodi muros ex terra depressata. valet quidem constitutio talium murorum ad defendendam munitionẽ, ne deuincatur per machinas lapidarias. Nam dato quod per huiusmodi machinas totus murus exterior rueret, murus constitutus ex terra quasi absque læsione susciperet ictus machinarum: quia cum lapis eiectus a machina perueniret ad huiusmodi murum, propter mollitiem eius cederet terra, & reciperet lapidem illum quasi ac si esset sic fabricatus. Expertum est enim muros ex terra densata cōstitutos minus lædi à machinis lapidarijs, quam muri alij. debet quidem talis murus ex terra factus esse grossus, quia tunc quasi absque læsione suscipiet lapides emissos à machinis. Quartum autem quod facit munitiones fortiores sunt turres, & propugnacula. Nam in ipsis muris construendæ sunt turres, & propugnacula, vt munitio leuius defendi possit. Maxime autem ante portam quamlibet ipsius munitionis, de qua timetur, ne ad eam accendant obsidentes, fiendæ sunt turres, & propugnacula: & ante huiusmodi portam ponenda est cataracta pendens annulis ferreis vndique etiam ferrata, prohibens ingressum hostium, & incendium ignis. Nam si obsidentes vellent portas munitionis succendere, cataracta quæ est ante portam prohibebit eos. Rursus supra cataractam debet esse murus perforatus recipiens ipsam, per quem locum poterunt proijci lapides, emitti poterit aqua ad extinguendum ignem, si contingeret ipsũ ab obsidentibus esse appositum. Quintum quod facit munitiones magis inaccessibiles, & fortiores: est latitudo, & profunditas fossarum: quæ (si adsit facultas) replendæ sunt aquis. His ergo modis sunt munitiones difficiliores

ad

ad capiendum. Ideo videndum est à principio ab his qui volunt munitiones defendere ab obsidentibus eas, vt in munitionibus illis omnia hæc vel plura ex istis concurrant ad hoc, quod facilius defendantur.

Quomodo munienda sunt ciuitates, & castra, & vniuersaliter omnes munitiones, vt ab obsidentibus difficilius capiantur. Cap. XXI.

NOn sufficit scire, quomodo ædificandæ sunt munitiones, & quales muros debent habere, & quomodo debent esse sitæ, nisi sciatur quomodo sunt muniendæ, vt non de facili vinci possint. Dicebatur enim supra, triplicem esse modum deuincendi munitiones: videlicet per famem, sitim, & pugnam. Sic ergo muniendæ sunt munitiones obsessæ, ne aliquo horum modorum possint deuinci. Ne enim fame deuincantur, tria sunt attendenda, videlicet vt frumenta, auena, ordeum, & cibaria singula, & vniuersa pabula, quæ possunt deseruire ad victum, deportanda sint ad munitionem obsessam, prius quam obsideatur ad extraneis: & si timetur de obsessione ante recollationem frugum, ex alijs locis propinquis sunt talia acquirenda, ne munitio obsessa ob carentiam victus possit pati defectum. Quicquid autem non potest ad munitionem deferri (vel si deferretur non multum esset vtile castro vel ciuitati obsessæ) totum est igni comburendum; ne obsidentes superuenientes inde capiant emolumentum, & ex bonis proprijs munitionis obsessæ impugnent ipsam. Si autem timeatur de diuturnitate temporis, vt quod per multa tempora debeat obsessio perdurare, maxime munienda est ciuitas vel castrum obsessum milio: nam milium inter cetera minus putrefit, & plus durare perhibetur. Copia etiam carnium salitarum non est prætermittenda.

tenda. Salis etiam multitudo multum est expediens munitioni obsessæ, eo quod ad multa sit vtilis. Secundo in muniendo castrum vel ciuitatem aliquam obsidendam, quantum ad victum non solum attendendum est, vt magna copia victualiũ deferatur ad munitionem obsessam, sed etiam vt victualia delata per temperatos erogatores per familias dispensentur. Vnde (si fieri posset) si ciuitas obsessa esset magna, & non posset aliunde recuperare victum, in qualibet contrata ciuitatis victualia reduci debent ad horrea publica, & parce, & temperate per viros prouidos dispensare. quod si munitio obsessa modici esset ambitus, hoc efficere non est difficile. quasi enim nihil prodest multa præparatio victualium, nisi parce, & cum temperamento dispensetur. Tertio est in talibus attendendum, vt personæ debiles, & inutiles, non valentes proficere ad defensionem munitionis obsessæ, si commode fieri potest, sunt ad partes alias transmittendæ: tales enim consumunt, & comedunt, quæ deberent bellatoribus erogari. Rursus si timeatur de inopia victualium, bestiæ quæ sunt in munitione obsessa, à quibus obsessi possunt commode abstinere, sunt occidendæ, & comedendæ, vel saliendæ, si esui aptæ sunt: immo in tali casu comedenda sunt multa, quę ad esum vetat communis vsus. Viso quomodo munitio obsessa vitat, ne capiatur fame: de leui patere põt qualiter se debeãt habere obsessi ne deuincãtur per sitim. Nã antequã aliqui eos obsideant, prouidere debent ꝙ ad talem munitionẽ pergant, in qua sit aquarũ copia: quod si vero ibi non sint fontes, fodiendi sunt putei: quod si etiã locus sit siccus, vt ibi nec putei fieri possint, fiendæ sunt cisternæ, vt cælestiũ aquarum superabũdantia suppleat aliarũ aquarũ defectũ. quod si munitio obsessa sit circa mare, & nõ possit habere aquã nisi salitam, eo quod dulcẽ aquã habeat distantem, ad quam capiendam prohibent obsidentes: tunc mediante cæra poterit dulcificari. Nam secundum philosophum in Meteoris; Quicquid ex aqua

salita

salita per poros ceræ pertransit, totum in dulce conuertitur. Deferendum est etiam ad munitionem obsidendam in magna copia acetum, & vinum, ne ex potu solius aquæ bellatores adeo debilitentur, quod non possint viriliter resistere obsidentibus. Ostenso quomodo sunt remedia adhibenda contra famem, & sitim per quæ obsessa munitio deuinci consueuit: restat videre, quæ sunt remedia adhibenda, ne per pugnam obsessa munitio deuincatur. Debent ergo ad ciuitatem, vel ad castrum obsessum deportari in magna copia sulphur, pix, oleum, ad comburendum machinas hostium. Ferra autem & ligna sunt ad munitionem obsessam in debita abundantia deportanda, vt per ligna hastæ sagittarum, & telorum, & etiam ædificia necessaria munitioni fieri possint. Per ferra vero etiam reparari possint arma, & fieri tela, & sagittæ, & alia per quæ impugnari valeant obsidentes. Est etiam multitudo ferri perutilis ipsis obsessis ad destruendum ædificia, & machinas ipsorum obsidentium, vt in sequenti capitulo apparebit. Saxa etiam torrentium in magna copia sunt ad munitionem deportanda: quia talia sunt solidiora, & aptiora ad iaciendum. Ex eis ergo replendi sunt muri, & turres munitionis obsessæ. Calcem etiam pulucrizatam deferendum est ad ipsam munitionem in magna abundantia, & ex ea replenda sunt multa vasa; vt cum obsidentes appropinquant muris munitionis, iacenda sunt vasa illa, quibus fractis puluis illius subintrat obsidentium oculos, & adeo offendit eos, vt quasi cæci, & non videntes percuti possint. Neruorum etiam copia, & funium vtilis est munitioni obsessæ, propter ballistas, & arcus, & alia præparanda, quod si nerui deficiant, loco eorum adhiberi poterunt crines equi, vel capilli mulierum. Recitat enim Vegetius, quod cum Romanis neruorum copia defecisset, & non possent eorum machinas reparare ad resistendum bella-

toribus mulieres Romanæ abſciſſis crinibus eos ſuis maritis tradiderunt: per quos machinis reparatis aduerſariorum impetum repulerunt. Maluerunt enim (vt ait Vegetius) illæ pudiciſſimæ fœminæ cum maritis conuiuere deformato capite, quam ſeruire hoſtibus integris crinibus. Sunt etiam ad munitiones deportanda cornua beſtiarum ad reformandum balliſtas, & arcus: & coria cruda ad tegendum machinas, & alia ædificia, ne ab aduerſarijs per incendia comburantur. His etiam cautelis, & per ea quæ dicta ſunt reſiſtere poterunt obſeſſi; ne eorum munitiones per pugnam ab obſidentibus deuincantur.

Quomodo reſiſtendum eſt munitioni factæ per cuniculos, & qualiter machinis lapidarijs, & alijs ædificijs obſeſſi debeant obuiare. Cap. XXII.

ENumerabantur ſupra tres ſpeciales modi impugnandi munitiones obſeſſas. Quorum vnus erat per cuniculos & vias ſubterraneas. Alius per machinas lapidarias. Et tertius per ædificia impulſa vſque ad mœnia caſtri, vel ciuitatis obſeſſæ. Quare ſi docuimus per præfatos modos inuadere obſidentes obſeſſos: reliquum eſt vt declaremus quomodo obſeſſi à prædictis impugnationibus contra obſidentes ſe defendere valeant. Primo ergo dicemus de remedijs contra impugnationem per cuniculos. Poſſumus autem circa hæc, duo remedia aſſignare. Vnum eſt per profunditatem foſſarum repletarum aquis. Nam ſi circa munitionem obſeſſam ſint profundę foueæ aquis repletæ, impediuntur obſidentes; ne obſeſſos impugnare poſſint per cuniculos, & vias ſubterraneas. Dato tamen quod foſſæ aquis repleri non poſſint, ſi ſint valde profundæ, per ample, ſufficienter impediunt ſubterraneas vias: quia hoc

gene-

genere impugnationis impugnari non possunt munitiones obsessæ, nisi dictæ viæ subterraneæ profundiores sint fossis. Munitio ergo defendenda vel est supra petram firmam: & tunc propter duritiem lapidum non est facile per cuniculos debellare eam. vel est supra petram de facili labilem, aut supra terram, quæ de facili fodi potest: & tunc per profundas foueas est fortificanda munitio, ne per cuniculos deuincatur. Secundum remedium contra cuniculos & vias subterraneas est, facere in munitione obsessa viam aliam correspondentem viæ subterraneæ factæ ab obsidentibus. Si enim obsessa munitio foueas non habet profundas, nec habet eas repletas aquis, propter quod timetur de impugnatione per cuniculos; diligenter considerare debent obsessi, vtrum ab aliqua parte videant terram deferri, & vtrum per aliqua signa cognoscere possint obsidentes inchoare cuniculos: quod cum perceperint, statim debent viam aliam subterraneam facere correspondentem illis cuniculis, ita tamen quod via illa pendeat contra obsidentes: & tunc per viam illam sic perforatam (cuius partem fecerunt obsidentes, & partem obsessi) debet esse bellũ continuum, ne obsidentes per viam illam munitionem ingrediantur. Debent etiam obsessi iuxta inchoationem viæ subterraneæ habere magnas tinnas plenas aquis vel etiam vrinis: & cum bellant contra obsidentes, debent se fingere fugere, & exire foueam illã quo facto totam aquam aut vrinam congregatam effundere debent supra obsidentes existentes in cuniculis. Temporibus enim nostris multi obsidentium sic periclitati sunt: quare si hoc aliquando factum fuit, non debemus reputare impossibile ne iterum fieri possit. Viso quomodo resistendum sit debellationi factæ per cuniculos: restat videre quomodo obsessi debeant obuiare impugnationi factæ per lapidarias machinas. Contra has autem quadrupliciter subuenitur. Primo, quia aliquando subito ex munitione obsessa exiuit magna multitudo armatorum, &

inua-

inuadunt machinam ; & prius quam exercitus possit succurrere ad defendendum eam, succendunt ipsam. Sed si munitionem ipsam obsessi exire non audeant : tunc clam de nocte aliqui ligati funibus per muros emittuntur, qui absconse ignem portantes absq; eo quod alij percipiant, machinam incendunt: quo peracto trahuntur superius per funes ad munitionem illam. Est etiam & tertius modus destruendi machinas faciendo sagittas quas appellant telos. Est autem sagitta illa in medio quasi quædam cauea, in qua ponitur ignis fortis factus ex oleo, sulphure, & pice, & resina : quem ignem cum stupa conuolutum bellatores antiqui Incendiariũ vocauerunt. Huiusmodi autem sagitta per ballistam fortem emissa vsque ad machinam, multotiens succendit ipsam. Quarto etiam modo resistitur machinis lapidarijs, faciendo alias machinas interius, percutiendo eas, & destruendo ipsas. Inter cætera autem summum remedium est, postquam constituta est machina; interius facere ei fundam ex cathenulis ferreis, vel testam ex ferro; & iuxta machinam illam construere fabricam in qua aliquod magnum ferrum bene ignatur, quod bene ignitum apponatur super fundam ex ferro textam & proijciatur ad machinam aliam; vel ad quodcunque ædificium lignorum. Contra hoc enim coria cruda non valent, ligna non habent resistentiam : omne enim ædificium ligneum hoc modo comburi potest. Sunt autem & multæ aliæ particulares cautelæ, valentes ad defensionem contra lapidarias machinas : sed quia talia complete sub narratione non cadunt, prudentis iudicio relinquantur. Ostenso quomodo resistendum sit cuniculis, & lapidarijs machinis : reliquum est declarare, quomodo obuiari debeat ædificijs alijs impulsis ad mœnia munitionis obsessæ. Ad hoc autem valeret quæcumque diximus contra resistentiam machinarum. Nam sicut destrui possunt lapidariæ machinæ per improuisum insultum obsessorum, & per homines de nocte latenter

emis-

emissos, & per sagittam deferentem ignem fortem, & per machinas alias emittentes lapides, vel per fundas ex ferro textas iacientes ignita ferra: sic omnibus his modis possunt huiusmodi ædificia lignea impugnari. Immo expertum est contra singula huiusmodi ædificia maxime valere, si per alias machinas, vel aliquo alio modo, ferra ignita iaciantur in ipsa. Possumus tamen specialia remedia contra huiusmodi ædificia assignare, vt contra Arietem constituatur Lupus. Dicebatur enim, trabem ferratam percutientem muros munitionis obsessæ propter duritiem capitis vocari Arietem. Contra hoc autem constituitur quoddam ferrum curuum dentatum dentibus fortissimis, & acutis, & ligatum funibus, cum quo capitur caput arietis, vel caput illius trabis ferratæ: quo capto, vel omnino Aries ad superiora trahitur, vel ita suspenditur, vt muris nocere non possit. Vnde & bellatores antiqui huiusmodi ferrum vocauerunt Lupum, eo quòd acutis dentibus arietem caperet. Contra castra vero multum valent ferra ignita: adhibetur tamen speciale remedium contra ipsa, quia fiunt cuniculi, & viæ subterraneæ, & clam suffoditur terra vnde debet transire castrum; qua suffossa, & castro demerso in ipsam propter magnitudinem ponderis, oportet castrum iterum construi, eo quod non possit ex fouea in integrum remoueri. Contra vineas vero, & musculos etiam multum valent ignita ferra. Quod si tamen contingeret per huiusmodi ædificia perforari muros munitionis obsessæ: cum de hoc dubitatur, antequam hoc fiat, iuxta illos muros erigantur ædificia lignea, vel (si sit possibile) ædificentur muri lapidei: vt si continget obsidentes intrare munitionem, retineantur clausi inter muros illos; & non valentes se defendere propter murorum inclusionem, lapidibus obruantur. Est tamen diligenter aduertendum, quod aliquando obsidentes fingunt se fugere, & sic per insidias, & versutias inuadunt munitionem obsessam.

Ideo

Ideo non statim post recessum hostium sunt munitiones dimittendæ; & est custodia negligenda. Immo inuestigandæ sunt conditiones hostium: vt quod palam habere non potuerunt, per insidias & astutias obtinere non possint.

Qualiter construenda est nauis, & qualiter committendum nauale bellum, & ad quæ bella singula ordinantur. Cap. XXIII.

IN hoc vltimo capitulo tractare volumus aliqua de nauali bello: non tamen oportet circa hoc tantum insistere, quia multa quæ dicta sunt in alijs generibus bellorum, applicari poterunt ad naualem pugnam. Circa hoc autem pugnandi genus, primo videndum est, qualiter fabricanda sit nauis: nam nauis male fabricata, ex modica impugnatione hostium de facili perit. Sciendum ergo, quod secundum Vegetium, ligna ex quibus construenda est nauis, non sunt de quolibet tempore incidenda. Nam tempore Martij & Aprilis, in quo humor incipit in arboribus abũdare, non est bonum incidere arbores, ex quibus fabricanda est nauis. Sed tempore Iulij & Augusti vel aliquo alio tempore, in quo humor arborum desiccatur, ad huiusmodi fabricam incidenda sunt ligna. Rursus, non statim incisis lignis est ex eis fabricanda nauis: sed primo arbores sunt diuidendæ per tabulas; & per aliquod tempus dimittendæ, vt desiccari possint. Nam si ex lignis viridibus construatur nauis, quando naturalis eorum humor expirauerit, contrahuntur ligna, & faciunt in nauibus rimas, quibus in nauibus nihil periculosius esse potest. Durũ est enim intendere simul bellis naualibus, & exponere se periculis, ne puppis per rimas naufragium patiatur. Viso qualiter incidenda sunt ligna, & quomodo reseruanda, vt ex eis nauis debite valeat fabricari: restat videre; quomodo

modo in naui bene fabricata committenda sunt bella. Habet autem nauale bellum quantum ad aliqua similem modum bellandi cum ipsa pugna terrestri. Nam sicut terrestri pugna oportet pugnantes bene armatos esse, & bene se scire à persecutionibus protegere, & hostibus vulnera infligere: sic & hæc requiruntur in bello nauali. Immo in huiusmodi pugna oportet homines melius esse armatos, quam in terrestri: quia cum pugnatores marini quasi fixi stent in naui, & quasi modicum se moueant, melius sustinere possunt armorum pondera: quare eorum armatura grauior esse debet. Possumus tamen, quantum ad præsens, decem enumerare, per quæ marini pugnatores hostes impugnare debent. Primum est ignis, quem Incendiarium vocant. Expedit enim eis habere multa vasa plena pice, sulphure, rasina, oleo; quæ omnia sunt cũ stupa conuoluenda. Hæc enim vasa sic repleta sunt succendenda, & proijcienda ad nauem hostium. Ex qua proiectione vas frangitur, & illud incendiarium comburitur & succendit nauem. Sunt enim multa talia in naui proijcienda, vt ex multis partibus possit nauis succendi; & cũ proijciuntur talia, tunc est contra nautas committendum durum bellum, ne possint currere ad extinguendũ ignem. Secundo ad committendum marinum bellum multum valent insidiæ. Nam sicut in terra ponuntur insidiæ militum, qui ex improuiso inuadentes hostes, eos terrent, & de facili vincunt: sic in mari post aliquas insulas fiunt insidiæ, vt marini pugnatores ex improuiso irruentes in hostes, eos facilius vincant. Tertio est circa marinum bellum attendendum, vt semper pugnantes nauem suam faciant circa profundum aquarum, & nauem hostium impingant ad littus: quia pugnandi impetum perdunt, qui detrahuntur ad terram. Quarto ad arborem nauis suspendendum est lignum quoddam longum ex vtraque parte ferratum, quod ad percutiendum tam nauem, quàm nautas se habeat quasi aries, cum quo teruntur muri ci-

uitatis

uitatis obſeſſæ. Debet autem ſic ordinari lignum illud; vt ligamentum retinens ipſum poſſit deprimi, & eleuari: quia hoc facto maior habetur commoditas, vt cum ipſo percuti poſſit tam nauis, quàm etiam exiſtentes in ipſa. Quinto in bello nauali habenda eſt copia ampliarum ſagittarum, cum quibus ſcindenda ſunt vela hoſtium. Nam velis eorum perforatis, & non valentibus retinere ventum; non tantum poſſunt ipſi hoſtes impetum habere pugnandi, nec etiam poſſunt ſic faciliter recedere, ſi volunt declinare à bello. Sexto conſueuerunt nautæ habere ferrum quoddam coruatum ad modum falcis bene incidens, quod applicatum ad funes retinentes vela; ſtatim incidit ipſa. Velis autem ſic inciſis, & cadentibus ab arbore, ſubtrahitur ab hoſtibus, ne ſic pugnare poſſint: quia per talem inciſionem velorum redditur nauis pigrior, & quodammodo inutilior ad pugnandum. Septimo conſueuerunt etiam nautæ habere vncos ferreos fortes, vt cum vident ſe eſſe plures hoſtibus, cum illis vncis capiunt eorum naues, vt non permittant eos diſcedere. Octauo in nauali bello eſt hæc cautela attendenda: vt de calce alba pulueriżata habeant multa vaſa plena, quæ ex alto ſunt proijcienda in naues hoſtium, quibus ex impetu proiectis, & fractis eleuatur puluis (vt ſupra diximus in bello terreſtri) & ſubintrat hoſtium oculos, & adeo offendit eos vt quaſi cæci videre non poſſint: quod in bello nauali eſt valde periculoſum, quia ex omni parte bellantes in tali bello vident ſibi imminere mortem: quare ſi oculi bellantium in tali pugna ex puluere calcis ſic offenduntur, vt videre non poſſint; de facili vel perimuntur ab hoſtibus, vel ſubmerguntur in aquis. Nona cautela eſt habere multa vaſa plena ex molli ſapone, quę cum impetu proijcienda ſunt ad naues hoſtium; & hoc ſuper loca illa, in quibus contingit hoſtes exiſtere ad defendendum naues. Nam vaſis illis confractis in huiuſmodi locis, loca illa per ſaponem liquidum red-

dantur

duntur adeo lubrica, quod hostes ibi ponentes pedes statim labuntur in aquis. Est etiam & decima cautela quasi pernitiosior omnibus alijs. Nam reperiuntur aliqui marinarij, qui diu sub aquis durare possunt: nautæ igitur debent se serio ordinare contra nauem hostium, & clam post tergum debent aliquem emittere diu valentem durare sub aquis; qui accepto penetrali sub aquis debet accedere ad hostilem nauem, & eam in profundo perforare, faciendo ibi plura foramina, quæ foramina ab hostibus reperiri non poterunt, cum per ipsa cœperit abundare aqua, qua abundante, & hostes, & nauem periclitabit. Sunt autem in bello nauali alia obseruanda, vt sit ibi copia lapidum, & etiam ferrorum acutorum, quæ quasi lapides iaciuntur, cum quibus hostes nimium offenduntur. Sed cætera talia quia nimis particularia sunt, sub narratione non cadunt. Sufficiant ergo cautelæ, quas tradidimus erga nauale bellum. Ostenso qualiter incidenda sunt ligna ex quibus construenda est nauis, & quomodo bellandum est in nauali bello. Reliquum est, vt declaremus, ad quid bella omnia ordinantur. Sciendum ergo quod secundum philosophum non bellamus, vt bellemus, sed vt pacem habeamus. Potest ergo bellum ex nequitia hominum, & ex cupiditate eorum ordinari ad lucrum, vel ad aliquam aliam satisfactionem iræ, vel concupiscentię. Bella tamen si iuste gerantur, & debite fiant, ordinanda sunt ad pacem, & ad quietem hominũ, & ad commune bonum. Nam sic se debent habere bella in societate hominum, sicut se habent potiones, & phlebotomiæ in corpore humano. Nam sicut in humano corpore sunt plures humores, sic in conuersatione, & societate hominum est dare plures personas, & plures homines. Et sicut quamdiu humores sunt æquati in corpore, & non est ibi humorum excessus, non indigemus potione nec phlebotomia; sic quamdiu homines debite se habent, & vnus non iniuriatur alteri; non sunt committenda bella. Quare sicut

per

per phlebotomiam, & potionem ſuperfluitas humorum eſt eijcienda per quam turbatur ſanitas corporis : ſic per bella ſunt hoſtes conculcandi, & occidendi, per quos impeditur commune bonum,& pax ciuium , & eorum qui ſunt in regno . Suppoſito ergo Reges & Principes habere iuſtum bellum,& hoſtes eorum iniuſte perturbare pacem & commune bonum : non eſt inconueniens docere eos omnia genera bellandi , & omnem modum per quem poſſint ſuos hoſtes vincere , quod totum ordinare debent ad commune bonum,& pacem ciuium. Nam ſi intendant commune bonum,& pacem ciuium, merebuntur pacem illam æternam , in qua eſt ſuprema requies : quam Deus ipſe ſuis promiſit fidelibus, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum . Amen .

FINIS.

I N-

INDEX,

IN QVO CONTINENTVR CAPITA PRIMAE PARTIS PRIMI LIBRI DE REGIMINE PRINCIPVM;

In qua tractatur vbi est ponenda felicitas, & in quo Reges, & Principes debeant suam felicitatem ponere.

Index secundæ partis primi libri, de regimine Principum: in qua tractatur, quas virtutes debeant habere Reges, & Principes.

Quid

Index tertiæ partis primi libri de regimine Principum. In qua tractatur, quas passiones Reges, & Principes debeant sequi.

Index quartæ partis primi libri de regimine Principum: in qua tractatur qui sunt mores iuuenum & senum, & eorum qui sunt in statu.

Index primæ partis secundi libri de regimine Principum, in qua tractatur quo regimine Principes debeãt suas cõiuges regere.

Quòd

Index secundæ partis secundi libri, de regimine Principum, in qua tractatur quomodo parentes circa proprios filios curam de eis habeant.

Qua-

Index tertiæ partis secundi libri de regimine Principum, in qua tractatur quo regimine à Regibus, & Principibus regendi sunt ministri, & familia cetera.

cap.

Index primæ partis tertij libri, de regimine Principum: in qua tractatur, propter quod bonum inuenta fuit communitas domus, ciuitatis, & regni.

Index secundæ partis tertij libri de regimine Principum, in qua tractatur quomodo regenda est ciuitas aut regnum tempore pacis.

re

vtrum

Index tertiæ partis tertij libri de regimine Principum, in qua tractatur quomodo regenda sit ciuitas, aut regnum tempore belli.

Qua

FINIS.

REGESTVM,

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S
T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm No Pp
Qq Rr,

Omnes sunt integra folia, præter † *&* Rr, *qui sunt folia cum dimidio,*



R O M A E,
Apud Bartholomæum Zannettum. 1607.

SVPERIORVM PERMISSV.

